



DE IMMACULATO

DEIPARAE

SEMPER VIRGINIS

CONCEPTU

CAROLI PASSAGLIA

SAC. E S. I.

COMMENTARIUS





Pars I.

ROMAE

TYPIS S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCLIV.

IMPRIMATUR — Fr. Dominicus Buttaoni O. P. S. P. A. M.
IMPRIMATUR — Fr. A. Ligi Archiep. Iconien. Vicesgerens.

PIO IX

PONTIFICI MAXIMO

Vix animo induxeram ut meum hoc qualecumque opus Sanctitati tuae offerrem, duae adversae inter se cogitationes animum commoverunt, quae cum possent me a proposito deterrere, tum Bernardi verba mihi in memoriam revocabant, quibus ille decessorem tuum Eugenium III olim compellavit. Nescio quomodo vult et non vult exire laeta quidem sed lenta oratio, dum certatim illi contraria imperare contendunt. *Equidem dum mente tacitus pervolverem esse* Te coryphaeum et episcoporum principem, summum antistitum verticem, pastoralis principatus dignitate praestantem, unum omnibus praeeminentem, principem episcopalis coronae, totius orbis pastorem et caput, aedificandae ecclesiae petram, cui Dominus sui nominis communionem indulsit et quam non vincunt superbae inferorum portae, firmamentum et crepidinem ecclesiae, fidei columnam, arbitrum ligandorum et solvendorum, in terreno iudicio iudicem

caeli, summam rerum de pascendis ovibus obtinentem, et bono unitatis electum, atque ipsius unitatis fontem, originem, supremumque assertorem: *fieri non poterat quin tuae me dignitatis fastigium vehementer percelleret, meque ipse audaciae crimine incusarem qui oculos in hanc splendoris amplitudinem auderem attollere. His accedit singularis quaedam suscepti operis difficultas, quam non ipsa modo rerum tractandarum conditio efficit, verum etiam copia et nobilitas artificum qui ut ipsam hanc operis materiem digererent, expolirent, perficerent, continentibus quinque seculis adlaborarunt. Quae ne magnificentius dicere videar quam verius, illud indicio esse potest, nullam forte catholicam sententiam lectissimorum hominum ingenia tanto temporum intervallo detinuisse, quemadmodum immaculatum illius Virginis conceptum, quam omnes genitricem Dei profitemur, quam naturae nostrae decus, excelsiorem caelis, plenam gra-*

tia, angelorum reginam, uno dumtaxat Deo minorem celebramus.

Nihilominus quae me primum tantopere retardabant ut a consilio pene dimoverent, eadem illa ne penitus animo deciderem effecerunt: addo etiam cunctantem erexerunt. Erexit me sane singularis ac prope divina pontificiae dignitatis maiestas, qua Te successorem Petri, vicarium Christi observamus. Existimabam enim Te soli simillimum, qui quamvis minores ignes candore et pulcritudine praecellat, tamen non ipsas tantum montium proceritates suo splendore illustrat, sed clivorum etiam ac vallium depressiones; et qua lege grandiores attrahit caelestium corporum moles, eadem prorsus minora corpora longiusve seiuncta agit et torquet. Quam opinionem ab ipsa tui muneris dignitate profectam altius animo ingessere doctoris Augustini voces quibus ille Pontificem adloquebatur Bonifacium I. Neque enim dedignaris, qui

non alta sapis quamvis altius praesideas, esse amicus humilium et amorem rependere impensum.

Immo ipsamet rerum conditio, quibus mentem ac studia adieci, vires animo meo addidit. Ago enim de immaculata Deiparae conceptione quae res cum Virgini decora, tum pergrata Sanctitati tuae atque exoptata summopere accidit. Nulla sane artis nobilitate, nulla dicendi gratia, nullis scribendi dotibus hoc meum opus commendetur: quamquam ne haec quoque omnino deessent, nervos omnes industriae diligentiaeque mea pro facultate contenderim. Ceterum vel una operis huiusce materies proposito satisfaciet, Teque PATER BEATISSIME *permovebit, ne dedigneris opus auctoremque operis pro animi tui benignitate complecti. Te enim exornandae Virgini addictissimum novimus; tua auctoritate freti conceptionem Deiparae fideles universi immaculatam dicunt; Tu munere doctoris oecumenici functus sententias ac vota antistitum rogasti,*

quorum voce praeclaram hanc Virgini dotem universum catholicum nomen adseruit, vindicavit; Tu in hac ipsa Urbe, quam unam christianae gentes caelestium doctrinarum magistram colunt, omnem operam eo contulisti, ut rei veritatem consiliorumque divinorum rationem adsequerere; Tu postremo paucis ante annis animi tui sententiam, seu potius iniectas Tibi divinitus praesensiones hisce verbis prodidisti: Nihil certe Nobis gratius, nihil optabilius, quam ut debitus erga sanctissimam Dei genitricem omniumque nostrum amantissimam matrem immaculatam virginem Mariam cultus, pietas et observantia magis in dies ubique augeantur, eiusque laudum praeconia ab omnibus rite concelebrentur.

Haec cum ita sint, BEATISSIME PATER, *haud ultra iam dubitem offerre ac dedicare Sanctitati tuae hoc opus, pietatis in virginem Matrem pignus, atque obsequii testimonium erga communem omnium Patrem Pastoremque.*

Illud Tu humanitate tua excipe ac patrocinio tuere, auctorique operis apostolicam benedictionem largire, dum coram Te provolutus sanctissimos illos exosculatur pedes de quibus maxime scriptum est beati pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona.

CAROLUS PASSAGLIA E SOC. IESU.

PRAEFATIO

Cum haec mihi semper cogitatio penitus insederit, in aestimanda operum molitione ac dispositione nonnisi finem quem sibi quisque proposuit spectandum esse; nulla alia praefationum ratio ac disciplina probari mihi umquam potuit, quam quae auctoris mentem initio primo aperiret, quaeque consilium suscepti ab eo operis eos qui legerent edoceret, atque eam animorum coniunctionem, quae benevolentiam facit, quaeque nonnisi perfecta absolutaque lectione haberetur, principio ipso conciliaret. Quidquid aliud, optima licet arte elaboratum atque perfectum, sive rei magnitudinem praedices, sive efferas dignitatem, sive opportunitatem commendes, sive difficultatem amplifices, sive, quod plerumque solet, commoda, fructus, utilitates verbis extollas; totum id quantum est, parum admodum aut nihil est. Patent omnibus hi fontes, noti sunt, quantoque his uti ad ornandum commodius, tanto iis aegrius edocere alios eosdemque in te benevolos facere possis. Quamobrem ut hisce omnibus aliisque id generis praetermissis, in iis dumtaxat quae graviora sunt tempus ponamus, eo revertor unde initio profectus sum; illudque unum quantum potero efficiam, ut qui opus hoc meum studiose attenteque legendum exceperit, non alia illud mente atque animo verset, quam quo et a me primum susceptum, et omni qua potui cura atque industria noverit esse confectum.

Atque illud initio velim suo quisque secum animo reputet, me non tam in eo esse versatum ut theorematis demonstrationem susciperem, quam ut problematis solutionem adgrederer. Ex quo factum est ut certa quaedam ratio ac via mihi esset necessario ineunda, qua non tam disputatione dissererem, uti in manifesta re atque perspecta fieri necesse est, quam diligentiori disquisitione usus investigarem potius atque colligerem. Ipsa igitur propositionis natura eo me adductum esse sentiebam, ut inquirendo investigandoque consequerer, utrum ex universa christiana revelatione certissima fide tenendum sit, Deiparam Virginem eo temporis momento quo concepta primum et quo beatissima illius anima coniuncta corpori est, ab ea universali peccati lege solutam prorsus fuisse atque immunem, quam indicta veluti caussa et solemni illa *in quo omnes peccaverunt* lata sententia Paulus expressit. In ea me scilicet sentiebam quaestione versari, utrum ex iis quibus universa christiana revelatio continetur, illud sit apertum atque perspicuum, unam esse beatissimam Virginem Dei matrem quae ex omnibus, qui filii irae procreantur, Adae posteris singulari Dei munere ac privilegio non prius concepta fuerit quam eamdem nulla infectam peccati labe, caelestique gratia illustrem sibi Deus in filiam adoptarit.

Iam vero vis ipsa ac natura problematis quod mihi solvendum proposui non solum rei materiam qua commode uti, et rationem qua id aptius exsequi, sed methodum etiam ac viam qua tuto possem incedere certis quibusdam legibus atque finibus ita mihi circumscripsit, ut illos praetergredi numquam liceret. Et primo quidem materiam duplici diversaque ratione definivit. Cum enim universa haec nostra investigatio de iis dumtaxat sit instituta quae christianae revelationis instrumenta nuncupantur, res ipsa monebat ne ullum, aut si quis forte et necessario dandus esset, nonnisi secundum locum eumdemque, ut aiunt, *indirectum* iis complexionibus faceremus quae in argumentatione sunt positae, iisque mutuis rerum convenientiis atque analogiis quae ab uno humanae rationis fonte derivantur. Equidem fateor ipse, si hac via incedere maluissem, quaestionis me huius meae probabilem et prope verum exitum facere potuisse: illud tamen numquam effecissem, ut quae accurata studiosaque disputatione essem assequutus, ea tamquam caelitus patefacta et ad divinam pariendam fidem idonea proferre in medium auderem. Quare illud a me postulari sentiebam, idque vel maximum, ut intra eos tantum fines ac terminos quibus universa christianae revelationis monumenta sive ea splendida aut subobscura sint, sive aperta aut latentia novimus contineri, ita mihi regionem circumscriberem, ut ex ea, licet peramplissime pateat, ne pedem quidem efferre me posse arbitrarer.

Neque vero materiam, sed et universam rationem qua suscepto operi insisterem, ipsa propositionis natura definitam plane postulabat. Ecquis enim non videat, cum ad criticae artis leges, tum ad hermeneuticae scientiae regulas, tum demum ad eam normam qua inductio conficitur illud mihi quam aptissime fuisse exigendum? Illud quidem primum, ut in tanta rerum copia testimonia atque instrumenta alia ab aliis secernerem, quae aptiora essent seligerem, quae minus idonea praeterirem, quaeque falsa occurrerent ea prorsus neglecta seponerem. Alterum vero ne in vitium prolaberer idque sane gravissimum; si tum testimonia quaecumque nactus essem, tum quae in ipsis continentur, ea arbitratu potius meo quam ad certas ratasque leges, ut par est, aperirem atque explanata proponerem. Tertium denique, ne ratiocinationi, ut supra commemoravi, quidquam aut plus aequo concederem, sed eo uterer genere disputandi quod a Platonicis et cum iis ab Augustino et quandoque etiam a Thoma dialecticum, non syllogisticum, appellari consuevit. Sed quoniam et locus et res ipsa id postulat, volo paucis explanari istud a me et quam fieri potest dilucide.

Itaque secum quisque reputet, non idem disputationis genus esse quod dialecticum et per inductionem dicimus, quodque syllogisticum et per ratiocinationem nuncupamus. Quemadmodum enim illud ad inventionem pertinet, eoque utimur cum ex rebus non dubiis assensionem eius quicum est disputatio instituta propter similitudinem eorum quibus assensit, capimus; ita et alterum ad confirmationem adhibemus eorum quae exposita et per se cognita, ipsa ratiocinationis vi et potestate sese ultro confirmant. Iam vero

cum illud unice constitutum nobis foret, ut nequaquam ea quae ab aliis inventa et disputata iam essent dedita opera confirmaremus, sed ut omni studio ac labore quae ab iis non essent nisi ex parte deprehensa, quae adhuc laterent aut non ita certe manifesta essent ut omnem vel levissimae dubitationi locum praecluderent, ea in novam lucem ac splendorem proferremus; quisque videt eam disputationis rationem, quae dialectica est atque inductione progreditur, in universa hac nostra tractatione necessario fuisse praehabendam. Fac enim aliquis id tibi sine ulla tergiversatione concedat nullum dubium esse posse, beatam Virginem omni expertem peccati labe fuisse conceptam: is profecto non dabit, neque ea assensione necessario fatebitur, eam veritatem iis esse adnumerandam quae certa revelatione continentur. Latius profecto patent quae vera sunt et rata omnibus, quam quae sunt nobis divina manifestatione comperta: et longe maior est numerus earum rerum quae extra omnem dubitationem sunt positae, quam earum quae nobis sunt manifestatae divinitus, et a quibus nonnisi supernae fidei iactura dissentire possumus. Quamobrem ne frustra essent a nobis tanti suscepti labores, et ab eo fine quem nobis proposuimus aberraremus, eam nobis exsequendi operis rationem adhibendam esse duximus, qua accurata disquisitione et dialectica inductione per institutam viam recto tutoque itinere duceremur.

Verum cum genus hoc tractationis magnam habeat difficultatem summa cum utilitate coniunctam, quo pacto ea aptius uterer atque commodius, ut id quod cogitabam consequi facile possem? Perspicuum id erit si locum hunc omnem magna cum cura et diligentia consideremus atque id quod insitum illi propriumque est attente velimus inspicere. Porro quemadmodum inductionis ratio et natura, ut id conficiat de quo quaeritur accurata et idonea partium omnium investigatione continetur, earum etiam quae diversae aliae ab aliis sunt, quae longius petitae quaeque non raro vix sese ostendunt; ita illud quod eius ope colligitur non singularum rerum est proprius fructus, sed ex omnium elementorum summa et cumulata complexione consistit. Eae namque partes atque elementa vel tibi aditum aperiunt, vel viam sternunt, vel gradientem te iuvant, agunt, provehunt: quo fit ut metam ipsam nonnisi emenso tandem per obscuriores anfractus universo itinere assequaris. Quod quidem et in aliis bene multis contingere plane videmus. In pictura enim, ea quae in uno alterove colore non est, in apta plurimorum temperatione nitescit imago; quemadmodum et in re musica ea quae harmonia dicitur non unius vocis cantu, sed plurium intervallis concentuum grata modulatione delectat.

Quare ut hac inductionis ratione quam descripsimus pro rei magnitudine ac dignitate, ut par est, accurate uteremur, mentem ingeniumque magis ac magis acuere, animi contemplationem latius protendere, atque elementa ea omnia diligentissime investigare necesse fuit, quae non modo illustriora et magna essent, sed etiam quae minus splendida et perexigua viderentur: idque eo maiori studio ac diligentia, quo ea quoque quae mentem atque oculos fu-

giunt, non parum saepe ad assequendum finem conducunt. Utrum vero totum studii officiique nostri munus expleverimus, quove illud pacto assequuti tandem simus, nostrum non est aequum iudicium ferre. Unum, quod testari bono animo possumus, id est: nulli nos hac in re nostrarum partium defuisse; non studio, non diligentiae, non laboribus pepercisse ut susceptum opus, quantum vires praestarent, ad absolutissimum exitum perduceremus.

Et initio quidem id mihi quaerendum esse existimavi quaenam idea et quae species ea fuerit quae maiorum nostrorum animis de Virgine insedit, et in quam conversos perpetuo fuisse eosdem novimus quotiescumque Virginem suis laudibus exornarunt. Non fuit magnus sane labor eximiam aliquam totius pulcritudinis speciem reperire. Illam ego adumbratam vix primisque lineamentis descriptam in suas veluti partes ac elementa distribui; et ni mea me opinio fefellit, nullam cum iis vel minimam communis peccati labem cohaerere posse, visus mihi sum non obscure deprehendisse. Neque tamen in hac mea opinione tamquam in stabili certaque sententia manebam. Progredi igitur me locus ipse monebat; et primum quod menti occurrit id consilii fuit; nullum earum opinionum iudiciorumque de quibus persuasum esset omnibus reperiri certius indicium posse, quam communem quamdam atque usitatissimam omnium loquendi rationem quae apud eosdem constanter solemniterque obtinuerit. Hanc igitur in rem totus incubui, omnemque quam potui in iis quae idonea essent versandis testimoniis operam contuli, ut universam hanc loquendi rationem quae ad Virginis dominae nostrae exordia atque originem aliquem in modum spectaret investigando persequerer. Neque vero frustra suscepti labores fuerunt, neque exspectatio decepta: quin imo luculentissima rerum evidentia ipsam animi exspectationem vicit cumulavitque. Etenim dum christianae antiquitatis monumenta investigando consuleremus, eam in hisce loquendi rationem exstare ac dominari quodammodo comperimus, ut primo quidem certiores efficeremur, ratam hanc penes maiores nostros thesim fuisse, integritatem ac sanctimoniam Deiparae veluti fastigium atque exemplar creatae cuiuslibet puritatis sanctitatisque esse habendam: tum vero intelligeremus, unanimi maiorum consensione stataque sententia exceptam hanc hypothesim fuisse, Virginis eiusdem exordia atque origines nulla vel levissima peccati labe fuisse maculatas.

Hoc tam felici rerum cursu atque exitu recreati animo et erecti, maiorem cepimus alacritatem ut ea ipsa quae eramus iam consequuti quaeque splendida adeo erant, nova luce perfundere conaremur. Etenim ab universa rerum sacrarum historia edocti, veteres illos scriptores de iis quae rata fide tenerent, duplici bibliorum accommodatione, altera rerum, verborum altera, suam mentem atque sententiam aperire consuevisse; continuo hanc etiam partem laboris libenti animo suscepimus, ne nihil non tentatum a nobis esset aut non plane cognitum atque perspectum. Itaque huc omnem curam atque operam convertimus ut quaereremus, quibus bibliorum typis atque imaginibus comparare ii Virginem consueverint, quibus sacrarum litterarum

testimoniis cohonestare, ut illius innocentiam, integritatem, sanctimoniam, totiusque caelestis gratiae qua Deus illam locupletavit plenitudinem celebrarent. Atque heic nemo sapiens iactantiae vitio id dictum esse existimabit si affirmare omni asseveratione non dubitemus, talem nos ac tantam pretiosissimarum rerum supellectilem nactos esse, ut non mirari modo, sed et fateri aperte debeamus, contingere numquam potuisse ut maiores nostri rerumque sacrarum scriptores tot ac tanta in Virginem cumularent, ut eos sacrarum litterarum typos atque imagines unius Virginis propria esse vellent, atque ea demum testimonia de una illa usurparent, quin persuasum omnibus maxime esset, tum eam esse Virginis integritatem quae, si Deum, uti oportet, exceperis, cuiusvis creatae naturae sanctitati longe antecelleret, tum illius originem non modo nulla fuisse infectam peccati labe, sed omni caelestis gratiae splendore enituisse.

Qua quidem in re omnium temporum sententiam eamdemque cumulatissimam comperisse, magnum id quidem et praeter omnem exspectationem iucundissimum contigit; non illud tamen erat in quo, sive finem ad quem omnis haec nostra tractatio instituta initio fuit spectaremus, sive eas omnes officii nostri partes reputaremus animo quas perfecta rei scientia expostulare videbatur, sistendum nobis et cessandum esse arbitraremur. Ecquis enim tam facile assentiat, te iam plane assequutum quod proposueras, nisi illius exploratae apud omnes sententiae caussam detegas? aut quid confectum a te esse putes, nisi ostendas illam non alio ex fonte quam ex divina revelatione esse profectam? Altius igitur assurgendum nobis esse intelleximus, idque quod postremo loco quaerebatur, duplici ratione praestitimus: altera qua sanctorum patrum principia accurata investigatione assequeremur, altera qua et ipsorum ductu atque auctoritate et exquisitiorum hermeneuticae artis regularum usu ea quae in sacris litteris continentur expenderemus. Utraque ratio ita sane cecidit ut volebamus. Quemadmodum enim universa illa principia quae tamquam dogmata iidem sanctissimi viri explorata habuere, sive ea modum spectent divinitus revelatum quo perditum humanum genus ad pristinam conditionem revocatum a Deo est, sive dignitatem illam celsissimam qua beata Virgo Dei mater est effecta, sive primorum parentum quorum scelere iacuimus, cum Christo et Virgine quorum ope erecti fuimus, comparationem, sive demum divinorum beneficiorum in numero, pondere ac mensura, ut sacrae litterae loquuntur, largitionem distributionemque respiciant, praeter omnem dubitationem nos certos esse docent, beatissimam Dei matrem nulla peccati labe in suis primordiis potuisse maculari; ita et quae sacris litteris consignata a Deo sunt, eam ab omni tum originis tum cuiuscumque alterius peccati naevo immunem fuisse testantur.

Accedebant tandem vetustissima eaque omnium aetatum praeclara et gravissima monumenta. Aderat huius diei festi solemnis instituta celebratio; aderat sanctissimorum patrum studium vel maximum; aderat sacrorum omnium antistitum nostris hisce temporibus explorata doctrina; aderat universae chri-

stianae reipublicae mirifica et plenissima in hac fide consensio. Propterea nihil aliud postremo hoc in loco praestandum nobis esse existimavimus, quam universam tractationem ordiri paucis ac retexere; quae investigando eramus assequuti, ad exquisitiorem criticae artis normam exigere; eadem firmare magis ac magis; omnia demum hac ipsa quae ex omnibus partibus cogitur conclusione complecti, beatissimae Virginis Deiparae immaculatam originem iis quae certa revelatione continentur esse adnumerandam.

Haec habui fere quae dicerem, ut universam huius operis tractationem iis omnibus qui lecturi essent probarem. Quae me spes una sustentat ac reficit, haec est: neminem horum futurum, qui opus hoc eo animo legens quem initio diximus, probe non perspiciat, iniquos in nos eos omnes fore iudices qui vel eiusmodi elementorum usum quae proxime atque ex sese propositum finem non attingerent, improbarent; vel eam esse singulorum rationem exigerent qua suis expleta numeris demonstratio contineatur. Difficiles hos et morosos iudices unum dumtaxat monitos esse volumus: nos non ipsis scripsisse quae scripsimus, sed pro iis tantum laborem suscepisse qui mediocriter licet in hoc investigationis genere versati, quemadmodum plane norunt perfectam absolutamque universae assumptionis demonstrationem nonnisi ab omnium partium accuratissima complexione esse repetendam; ita et singularum rerum, tamquam seminum, non minimum fructum esse capiendum, si eae qua possunt ratione aliquid conferant ex quo uberrimae colligendae messis certa spes ostendatur.

Horum igitur iudicio ac sententiae quorum aequitas in aestimandis rebus minime nos habet sollicitos, totum hoc opus, quantumcumque illud est, bono animo permittimus. Unum tamen adiectum maxime cupimus, ex quo non parum benevolentiae ac fiduciae iis quae disputata a nobis sunt conciliatum iri putamus. Itaque noverint, idque quo verius est eo libentius fatemur, nos sive haec meditaremur, sive manum operi admoveremus, tum in investigandis, explanandis et disponendis opportune monumentis, tum in iis quae complecti, assequi, conficere et tamquam ex principiis ostendere opus erat, eius viri ingenio, doctrina, consilio atque opera usos esse, cuius quemadmodum amicitiam unice colimus, ita amplissimam in rebus theologicis scientiam plurimi facimus vehementerque suspicimus. Is est p. Clemens Schrader introductionis ad sacras litteras in romano collegio doctor decurialis, qui non theologicae modo disciplinae scientissimus, sed et philologica peritia egregie excultus, tanto nobis usui ac auxilio fuit, ut eum huius nostri operis non modo socium sed auctorem etiam aequo iure existimemus.

INDEX

SECTIO TERTIA

VIRGINIS TYPI



PROLEGOMENA

QUIBUS

QUAESTIONIS RATIO ET TRACTATIONIS INSTITUTUM

EXPONITUR.

1. Quum duo potissimum sint difficultatum genera, quibus augusta religionis nostrae mysteria in discrimen adduci aut etiam funditus negari consueverunt: alterum inde ductum, quod ea vim omnem humanae rationis intelligentiaeque praetergressa percipi animo distincte nequeant et sint prorsus incomprehensibilia: alterum vero inde repetitum, quod eorumdem vel nulla exstet vel non perspicua satis certaque revelatio; non idem tamen est vel esse modus debet, quo utrique generi occurritur et difficultates ex diversissima profectae origine enodantur atque expediuntur.

2. Priori namque illarum generi occurrimus, illisque satis superque factum arbitramur, quum [1]) *in captivitatem redigimus intellectum* nostrum *in obsequium Christi*, quum animo nobiscum reputamus in praesenti hac mortalitate stadioque militiae [2]) *videre* nos non *facie ad faciem* sed *per speculum* in aenigmate, quum memoria recolimus *fidem* [3]) esse dicique eorum *argumentum* quae *non* apparent, quum nos non ultra quam decet efferimus, sed divinam infinitamque reveriti maiestatem tum nobis fore pollicemur ut fidei non secus ac praeiacto semini visio atque scientia ceu fructus succedant cum [4]) *transformati a claritate in claritatem* [5]) *cognoscemus sicut et cogniti sumus*, et sola [6]) regnante caritate, quae virtutibus omnibus *maior* est quaeque [7]) *numquam excidit*, *similes* [8]) Deo *erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*

1) II. Cor. X. 5.
2) I. Cor. XIII. 12.
3) Hebr. XI. 1.
4) II. Cor. III. 18.
5) I. Cor. XIII. 12.
6) I. Cor. XIII. 13.
7) I. Cor. XIII. 8.
8) I. Ioh. III. 2.

3. At vero seiuncta plane est ac diversa respondendi ratio, quam sibi posterius vindicat difficultatum genus, quaeque tum adhiberi usurparique debet, quum de ipsa mysterii revelatione, deque ipsa ad nos quod attinet eiusdem exsistentia dubitatur atque contenditur. Quum enim scriptum [1]) sit, *qui credit cito, levis corde est:* quum scriptum [2]) sit, *rationabile obsequium vestrum:* quum scriptum [3]) sit, *superaedificatos* nos esse oportere *super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu:* quum scriptum [4]) sit, *fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi:* quum omnium ore celebretur Aquinatis [5]) effatum, *non enim crederet nisi videret, ea esse credenda vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid huiusmodi:* et quum inter damnatas e Petri cathedra theses ista quoque [6]) numeretur, *assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine qua quis formidet ne non sit loquutus Deus;* quoties de mysterii revelatione ambigitur, aut ea anceps, impedita neque certa satis compertaque affirmatur, toties necesse est omnem impendere curam, nullosque missos facere labores, quibus sedulo diligenterque testimonia conquirantur, quae ipsum editae revelationis factum citra quamvis controversiam situm positumque demonstrent.

4. Haec autem traduci nequeunt ad celsissimum mysterium quo conceptum beatissimae semper Virginis Deique genitricis Mariae immaculatum et a quavis originali labe integrum solutumque tenemus, quin illud non priori dumtaxat, verum prima saltem fronte primaque specie, posteriori quoque difficultatum generi obnoxium videatur. Ecquid enim est, quod de immaculato integerrimae Virginis conceptu tenemus? quo nostra pertinet sententia? aut quo redit Catholicorum firmissima persuasio?

5. Interrogentur Christifideles, interrogentur theologicae disciplinae cultores, interrogentur qui [7]) positi divinitus sunt *regere Ecclesiam Dei,* atque hi quidem interrogentur tum seorsum et e suis quique cathedris docentes, tum simul et in ecclesiasticas synodos collecti; nonnisi una omnium vox audietur, et nonnisi con-

1) Eccli. XIX. 4.
2) Rom. XII. 1.
3) Ephes. II. 20.
4) Rom. X. 17.
5) S. II. II. q. 1. a. IV. ad 2.
6) Est haec propositio XXI. ex LXV. quas Innocentius XI. die II. Martii an. MDCLXXIX. proscripsit.
7) Actt. XX. 28.

eors suffragatio resonabit: hanc esse universi catholici nominis fixam sententiam ratamque animorum inductionem, *doctrinam de immaculato Virginis conceptu non piam solum esse, certam, indubitatam, verum etiam christianae revelationis ambitu comprehensam eiusque*[1]) *deposito ita contentam, ut ea proxime, quemadmodum loquuntur, definibilis sit, eique ad praestantiam dignitatemque articuli fidei nihil praeterea deesse, quam solemnem declarationem quae e romana veritatis sede centroque catholicae unitatis proficiscatur.*

6. Quae quidem a nobis verissime dici ego pluribus ostenderem, nisi id aliorum opera studiisque occupatum iampridem esset accurateque perfectum, et nisi merito factis historice indubiis exploratisque accenseretur. Pluribus ostenderem civitates plerasque omnes, integras provincias, regnaque nobilissima nihil intentatum reliquisse, quod ad hanc suis ipsorum animis penitissime insitam fidem aperiendam conferre posse arbitrarentur. Pluribus ostenderem incredibilem quamdam theologorum seriem proferri in medium posse, qui cum eximio Suario[2]) propugnant et docent: *veritatem de Virgine sine peccato originali concepta posse definiri ab Ecclesia, quando id expedire iudicaverit.* Pluribus ostenderem vix non omnes catholici orbis Antistites libellos misisse supplices ad romanos Petri successores, ut supremam ab iisdem de immaculato conceptu sententiam definitionemque obtinerent. Pluribus ostenderem in synodis fere innumeris iisque ubivis gentium celebratis institutum fuisse atque decretum, ut definitio immaculati conceptus ab eo qui est Pastor Pastorum universalisque omnium Doctor atque magister summis infimisque precibus efflagitaretur. Pluribus denique ostenderem portenti instar habendum esse, si qui forte e Catholicorum numero reperiantur, qui illud non repetant et quo vehementissime possunt ingeminent quod senonensis Concilii Patres his omnino verbis[3]) significarunt: « De beatissimae ac gloriosissimae virginis matris Mariae immaculata conceptione perantiquam existimationem ex christianae Religionis incunabulis et ex intimo fidei sensu exortam, a patribus ad filios sine intermissione per secula transmissam et traditam, Ecclesiae pretiosam, Mariae ipsique Christo tantopere honorificam, per totum orbem christianum diffusam et propagatam, ex traditione efflorescentem, a tot

1) I. Tim. VI. 20. coll. II. Tim. I. 14.
2) De Incarnat. part. II. q. XXVII. a II. disput. III. sect. VI. in III. part. Aquinatis.
3) Ex Actis Concilii provincialis senonensis.

summis Pontificibus et specialiter ab Alexandro VII. commendatam, institutis ad hoc festis et sacris officiis celebratam et consecratam, *nunc demum a sancta Sede apostolica christiano populo accipiendam, tenendam, credendamque definire velit votis ardentissimis et ore unanimi exposcimus.* »

7. Sed haec atque hisce simillima ultro tacitus praetereo, praesertim quum omnibus certissima penitusque explorata eo etiam nomine esse debeant, quod beatissimus Pater Pius IX. his plane verbis suas apostolicas litteras datas [1]) *venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis totius catholici orbis,* inceperit: « Ubi primum .... ad sublimem Principis Apostolorum cathedram evecti totius Ecclesiae gubernacula tractanda suscepimus, summa quidem consolatione affecti fuimus ..., cum noverimus quomodo in Pontificatu recol. memoriae Gregorii XVI. praedecessoris nostri *ardentissimum in catholico orbe mirifice revixerit desiderium, ut ab apostolica Sede tandem aliquando solemni iudicio decerneretur, sanctissimam Dei genitricem, omniumque nostrum amantissimam matrem, immaculatam Virginem Mariam absque labe originali fuisse conceptam.* Quod pientissimum desiderium clare aperteque testantur atque demonstrant postulationes tum ad eumdem Praedecessorem Nostrum, tum ad Nos ipsos continenter perlatae, quibus et *clarissimi Antistites, et illustria Canonicorum Collegia,* et *religiosae Familiae,* inter quas *inclytus Praedicatorum Ordo,* certatim efflagitarunt, ut in sacra liturgia ac praesertim in Praefatione Missae de beatissimae Virginis Conceptione, vocem illam *Immaculatam* palam publiceque enuntiare et addere liceret. Quibus postulationibus ab eodem Praedecessore Nostro, atque a Nobis ipsis quam libentissime fuit obsecundatum. Accedit etiam, Venerabiles Fratres, ut *quamplurimi* e vestro Ordine suas litteras ad ipsum Decessorem nostrum et ad Nos dare non destiterint, *per quas iteratis petitionibus atque ingeminatis studiis expostularunt, ut veluti catholicae Ecclesiae doctrinam definire vellemus, beatissimae Virginis Mariae conceptum immaculatum omnino fuisse atque ab omni prorsus originalis culpae labe immunem.* »

8. Quamquam aliud, illudque ponderis sane gravissimi accedit eisdem apostolicis litteris expressum, tantaque perspicuitate sigui-

1) Has litteras dedit summus Pontifex Pius IX. Caietae, die 11. Februarii anno MDCCCXLIX.

ficatum, ut de mente deque sententia ipsius Romanae Ecclesiae, ad quam [1]) *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles,* quaevis radicitus tergiversandi occasio evulsa intelligatur. Initio enim romanus Pontifex Pius IX. propriam privatamque, quam animo fovet sententiam, declarat [2]) inquiens: « Equidem huiusmodi vota pergrata perque iucunda Nobis fuere, qui vel a teneris annis nihil potius, nihil antiquius habuimus, quam singulari pietate et obsequio atque intimo cordis affectu beatissimam virginem Mariam colere, et ea peragere quae ad maiorem ipsius Virginis gloriam et laudem procurandam, cultumque promovendum conducere posse videantur. » Tum, quod caput est ac multo debet vehementius Catholicorum mentes percellere, continuo [3]) subdit: « Itaque vel ab ipso supremi Nostri Pontificatus exordio summa quidem alacritate in tanti momenti negotium curas cogitationesque Nostras serio convertimus, atque humiles fervidasque Deo optimo maximo preces adhibere haud omisimus, ut caelestis suae gratiae lumine mentem Nostram collustrare velit, quo cognoscere possimus quid in hac re a Nobis sit peragendum. » Et aliquot interiectis [4]) pergit: « Hinc aliquos Ecclesiasticos viros pietate spectatos ac theologicis disciplinis apprime excultos, et nonnullos Venerabiles Fratres Nostros sanctae romanae Ecclesiae Cardinales virtute, religione, consilio, prudentia ac rerum divinarum scientia illustres selegimus, eisque commisimus ut pro eorum prudentia atque doctrina gravissimum argumentum omni ex parte accuratissime examinandum curarent, ac subinde eorum sententiam ad Nos diligentissime deferrent. Dum autem ita se res habent, illustria Decessorum Nostrorum vestigia sectari, exempla aemulari censuimus. »

9. Neque istis se continuit sapientissimus Pontifex, sed ad alia rursum atque alia manus admovit, quemadmodum fas est ex hisce intelligere [5]) quae addit: « Quamobrem has vobis, Venerabiles Fratres, scribimus Litteras, quibus egregiam vestram pietatem atque episcopalem sollicitudinem *magnopere* excitamus, vobisque *etiam atque etiam* inculcamus, ut quisque vestrum, pro suo arbitrio atque prudentia, in propria dioecesi publicas preces indicendas ac pera-

1) Irenaeus con. Haereses lib. III. cap. III. num. 2.
2) In cit. apostolicis litteris.
3) Ibidem.
4) Ibidem.
5) Ibidem.

gendas curet, quo clementissimus luminum Pater nos superna divini sui Spiritus luce perfundere, numine afflare dignetur, ut in tanti momenti re illud consilium suscipere valeamus, quod ad maiorem tum sancti sui Nominis gloriam, tum beatissimae Virginis laudem, tum militantis Ecclesiae utilitatem possit pertinere. » Concludit [1]) denique: « Optamus autem vehementer, ut maiore qua fieri potest celeritate Nobis significare velitis, qua devotione vester clerus populusque fidelis erga immaculatae Virginis conceptionem sit animatus, et quo desiderio flagret *ut eiusmodi res ab apostolica Sede decernatur,* atque in primis noscere vel maxime cupimus quid vos ipsi, Venerabiles Fratres, pro eximia vestra sapientia de re ipsa sentiatis, quidque exoptetis. »

10. Iamvero neque sibi ipsis neque creditis sibi partibus defuerunt catholici orbis Episcopi, quin potius impensissimam dederunt operam, ut sanctissimi Patris piissima vota cumulatissime explerent. Quare publicas indixerunt preces, Cleri populique desideria voluntatesque explorarunt, suffragia sententiasque theologorum exquisierunt, convenerunt frequentes in synodos evulgatisque pastoralibus Institutionibus, datisque ad romanum Pontificem litteris, hanc sibi, hanc omnibus insidere mentem sanctissime testati sunt: maturuisse iam tempus, quo immaculatus Deiparae conceptus ad dignitatem maiestatemque articulorum fidei supremo apostolicae Cathedrae iudicio proveheretur.

11. Velim modo fas mihi integrumque sit percontari, possint nec ne sive plura sive luculentiora postulari aut etiam expeti tum indicia quum argumenta, e quibus catholicae plebis, catholici Episcopatus atque ipsius etiam romanae Sedis persuasio ac sententia de immaculato Virginis conceptu splendescat atque emicet? Non dubitem respondere, vel ista satis esse, vel nihil satis esse quo constantissime affirmetur, universum catholicum nomen, universum catholicum Episcopatum, atque ipsum pariter catholici Episcopatus moderatorem et caput in una eademque versari sententia: immaculatum Deiparae conceptum ad veritates caelitus revelatas pertinere, definiri incunctanter posse, atque ita esse comparatum ut christianae fidei articulis connumerari proxime queat.

12. Sed quod dissimulari nullatenus debet, ea se continuo difficultas obiicit, quae primo suo veluti appulsu non minimum mentes

1) In cit. apostolicis litteris.

commovet animosque sollicitat. Si qui enim iis insueverint criteriis, iisque normis quibus de qualitate sententiarum deque doctrinarum conditione et indole aestimare theologi arbitrarique solent, pendebunt animis, assensionemque dubii fluctuantesque continebunt. Quae enim, secum ipsis inquient, doctrinarum capita revelatione comprehenduntur, quaeque proxime definiri posse concordi suffragatione putantur, ea passim luculenterque consignata monimentis occurrunt, quibus revelatum Dei verbum comprehenditur. At eiusmodi ne est immaculatus divinae Matris conceptus, non ille quidem quem activum [1]) nominant, quemque immaculatum fuisse in litteris ad Lugdunenses Bernardus [2]) negavit, verum alter quem passivum dicunt, quique tum primum exstitit quum Virginis anima recens corpusculum informavit? suppetunt ne Scripturarum oracula quibus hoc adprobetur? et sin minus Scripturarum oracula, ea ne saltem praesto sunt catholicae traditionis testimonia e germanis christianae antiquitatis deducta instrumentis, quae sua constantia suaque amplitudine ad stabiliendam fidei veritatem scite graviterque adhibeantur?

13. Seponam Protestantium iudicia, neque eorum modo qui petulantius vel cum Calvino [3]) contra tridentinos Patres scribunt: « De speciali Virginis Mariae privilegio quum caeleste diploma protulerint, credemus quod iactant: nam Ecclesiam quid appellant nisi Concilium claromontanum? Ecclesiae certe membrum erat Augustinus, qui tametsi amoliendae invidiae caussa mavult alicubi de beata Virgine silere; passim tamen sine eius exceptione totum Adae genus peccato involvit. Quin etiam prope disertis verbis eam in peccatorum ordinem aggregat, quum ad Marcellinum scribens, multum eos errare tradit qui ulli Sanctorum, praeterquam uni Christo, necessariam fuisse hanc deprecationem negant, *remitte nobis debita nostra:* minimeque eos placere Sanctis quos laudant. Membra Ecclesiae erant Chrysostomus et Ambrosius, qui ambitione tentatam fuisse suspicantur. Quae omnia non alium in finem commemoro, quam ut intelligant lectores, *nullum esse tam nugatorium figmentum, quod inter fidei dogmata ab istis asinis non censeatur.* » Vel cum Martino Kemnicio adversus eosdem [4]) conten-

1) Cf. de hoc discrimine disserentem Benedictum XIV. De Festis lib. II. cap. XV. n. 1.

2) Videsis Albertum Magnum in III. dist. III. a. IV., Bonaventuram in III. dist. III. a. IV., et Carolum Du Plessis D'Argentré in Collect. iudiciorum de novis erroribus ad annum MCXL. pag. 30. T. I

3) Antidot. Concil. tridentin. ad Sess. VI. can. XXIII.

4) Examen decretorum Concilii tridentini, in appendice ad decretum sessionis V. pag. 520-521.

dunt: « Veteris verae et purioris Ecclesiae sententiam huc spectasse, beatam Virginem non citra labem originalis peccati fuisse conceptam. Et quidem Longobardus etiam [1]) inquit: *sane dici potest et credi..., ipsam Verbi carnem prius peccato fuisse obnoxiam, sicut reliqua Virginis caro, sed Spiritus sancti operatione mundatam ita ut ab omni contagione immunis uniretur Verbo.* Fuit igitur Longobardi adhuc tempore ignota opinio, Mariam sine peccato originali conceptam. Sed consideret lector, quando primum absque verbo, specie aliqua bonae intentionis a Scripturae testimoniis paullulum disceditur, quid tandem consequatur. » Vel cum Henrico Heideggero [2]) pronunciant: « Confitemur quidem ultro et praedicamus Θεοτόκον Virginem sanctam et beatam, sed per gratiam non per naturam.... At in peccato originali, communi nascentium lege, a qua solus Christus Deus in secula benedictus, exemptus est, conceptam esse diserte asserimus. » Atque ita diserte asserimus ut pariter [3]) affirmemus: « Eamdem fuisse veteris Ecclesiae sententiam,.... erroremque de immaculato Virginis conceptu sero admodum in Ecclesiam papisticam invectum esse ad Μαριολατρείαν stabiliendam, quod non diffitetur [4]) Suave Polanus. »

14. Haec ego atrociora Protestantium iudicia seponam, illaque pariter eorumdem iudicia seponam, qui mitius blandiusque cum Gerardo Iohanne Vossio [5]) scribunt: « Etiam ab aliquibus disputatur, utrum ipsa mater Domini in peccato originali fuerit concepta... Sed primis quatuor et ultra seculis etsi inter Patres invenirentur, qui docentibus aliis, Mariam etiam actualibus delictis obnoxiam fuisse, assensum suum accomodare non auderent; tamen in originali peccato eam et conceptam et natam esse credebant, quicumque crederent peccatum originale. Paullatim vero inter haec distingui coe-

1) Lib. III. dist. III. Gualterus de s. Victore anno circiter MCLXXX. quatuor conscripsit libros contra quatuor celeberrimos saeculi XII. Magistros, Petrum Abaelardum, Gilbertum porretanum, Petrum lombardum et Petrum pictaviensem, quos ipse vocat *quatuor Franciae labyrinthos, novosque haereticos.* In tertio autem libro cap. XII. statuit: *quod nulla prorsus debet haberi quaestio de sancta Dei Genitrice, quandocumque de peccatis agitur;* subdit vero cap. XIII., *quod Christum arguat de peccato, qui carnem Verbi vel obnoxiam vel mundatam dicit quoquo modo:* tum in Petrum lombardum severissime animadvertit, quod immaculatam Virginem originali labe infectam docuerit. Refert haec omnia Carolus Du Plessis D'Argentré in Collect. iudiciorum de novis erroribus ad annum MCLXXIX. pagg. 114-116., suamque mentem aperit pag. 117. inquiens: « Gualterum laudo, quod immaculatam Beatae Virginis conceptionem defendat; sed sententiam Magistri Petri lombardi perperam interpretatur. » Magistrum enim in pia vulgataque sententia conquievisse, tum ipsemet Du Plessis continuo ostendit, tum Benedictus Plazza in Causa Immaculatae conceptionis, Act. VII. nn. 18. seqq. pagg. 527. seqq. prolixius demonstrat.

2) Tumulus tridentini Concilii ad Sess. V. q. III. pag. 210.

3) Ibid. pagg. 213-214.

4) Hist. Concil. Trident. lib. II. pagg. 159-160.

5) Hist. Pelag. lib. II. part. III. Thesi III. pag. 632.

pit, ut in peccato quidem concepta, sed ante nativitatem ab eo mundata putaretur. Bernardi primum aetate immaculata etiam conceptio defensa, et festum [1]) in eius honorem, sed privata auctoritate, celebratum fuit. Postea sententia haec in scholas invecta est [2]) a Iohanne Scoto. Eam denique comprobavit Concilium basileense: quod nisi Eugenius (in cuius depositionem Concilium illud consenserat) improbasset, iam pro fidei dogmate [3]) in romana Ecclesia haberetur. Sed Sixtus IV. (cuius sententiam etiam amplexum fuit Concilium tridentinum) festum quidem conceptionis Mariae coli [4]) praecepit, dogma vero immaculatae conceptionis inter ea retulit quae pie crederentur, nec cum haereseos nota negarentur, quia neutrum esset ab romana ecclesia decisum. »

15. Immo Iansenianorum quoque seponam opiniones ab his non admodum dissonas, et quas aegre a severioribus Protestantium censuris distinxeris. Seponam tandem vel ipsos intemperantiores catholicos, qui seculo XVI. cum [5]) Erasmo, seculo XVII. cum [6]) Launoio, seculo XVIII. cum [7]) Lampridio, atque seculo hoc nostro cum [8]) Hermesio contenderunt ac porro contendunt, frustra e christianis monimentis Patrumque operibus praesidia quaeri, quibus fides de immaculato Virginis conceptu apte firmiterque communiatur. Hos ego omnes facile seponam, quum sentiendi iudicandique temeritate id fuerint consequuti, ut ex illorum albo expungerentur, quibus aures praeberi solent.

1) Atqui testimoniis prope innumeris constat, diu ante Bernardum in Ecclesia occidentali aeque ac orientali festum Conceptionis fuisse frequentatum.

2) Minus quam deceret sibi compertam Scholae historiam ostendit Vossius, quum omnium primum immaculati conceptus in scholis assertorem Scotum repraesentat.

3) Quasi vero, quod est omnino falsissimum, basileensi decreto, quod Episcopi ediderunt Sess. XXXVI. celebrata XV. Kal. Octobris an. MCCCCXXXIX., immaculatus Virginis conceptus inter fidei articulos fuerit recensitus. Sane verba decreti sic habent: « Nos vero diligenter inspectis auctoritatibus et rationibus, quae iam a pluribus annis in publicis relationibus ex parte utriusque doctrinae coram hac sancta synodo allegatae sunt, aliisque etiam plurimis super hac re visis et matura consideratione pensatis, doctrinam illam asserentem, gloriosam Virginem Dei Genitricem Mariam, praeveniente et operante divini Numinis gratia singulari, numquam actualiter subiacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali et actuali culpa, sanctamque et immaculatam, *tamquam piam et consonam cultui Ecclesiastico, fidei catholicae, rectae rationi et Scripturae, ab omnibus Catholicis approbandum fore, tenendam et amplectendam definimus et declaramus, nullique de cetero licitum esse in contrarium praedicare seu docere.* » Nihil porro in his est, quod formam dogmaticae definitionis praeseferat, quodque divinae fidei assensionem praescribat. Qua de re consuli prae aliis possunt Gabriel Vasquius in III. p. disput. CXVII. cap. IV., et Carolus Du Plessis D'Argentré, collect. cit. ad annum MDLXXV. pag. 443.

4) De Sixti IV. Constitutionibus praeclare disserit Plazza in causa immaculatae Conceptionis, Act. V. art. II. pagg. 390. seqq.

5) Apud Theophilum Raynaudum in Pietat. Lugdun. Tractat. Cardine II. n. 35. pag. 309.

6) In opusculo, cui titulus, *Praescriptiones de conceptu Beatae Virginis.*

7) In libro, *De superstitione vitanda.*

8) Dogmatik. III. 1. pag. 126.

16. At vero neque possum neque illos habere insuper debeo, qui quum candide atque sincere immaculatum Virginis conceptum iis adscribant, quae pia sunt, quae vera, quae indubitata, quaeque citra insolentem arrogantiam animique elationem repudiari oppugnarique non possunt; se nihilominus anxios exhibent, sibique in votis apprime esse significant, ut si acrioribus forte curis queat, pleniori in lumine ea collocentur, quae ad persuadendam immaculati conceptus revelationem accomodata existimantur. Sicut enim horum ratio ab illorum caussa summopere distat, quorum priore loco obiterque meminimus; ita eiusmodi refert speciem ut non sine eximiae cuiusdam utilitatis spe in examen adduci posse videatur.

17. Sic enim iidem statuunt: multa omnino esse eaque praeclara, quae doctrinam de immaculato Virginis conceptu piam ostendunt, certam comprobant, indubitatamque convincunt. Ut enim, inquiunt, iis non immoremur quae interna sunt, exquisitiora atque a multiplici convenientiarum genere deducta; quis nisi male sanus christianaeque immemor pietatis in discrimen vocet atque in dubitationem adducat eiusmodi doctrinam, cui unanimes patrocinantur fideles, quam theologi uno ore propugnant, quam nobilissimae theologicae facultates prae oculis gerunt, quam Episcopi praedicant, quam Episcoporum conventus sanciunt, quam oecumenicum Concilium veneratur, quamque Petri successores et Christi Salvatoris Vicarii sibi delegisse videntur, ut eam excolerent, illustrarent, tuerentur et omnibus quibus possent modis promoverent, uberrimaque luce perfunderent? eiusmodi vero neque alia est sententia, qua immaculatus Deiparae conceptus proponitur atque tenetur.

18. Huic namque sententiae ea concordia patrocinantur fideles, ut nihil sit illis antiquius, nihil carius, et omnino nihil quod pleniori suffragio complectantur. Cuius quidem suffragii vim esse insignem, dignitatemque praestantissimam ii omnes sua sponte fatebuntur qui secum reputaverint, suffragium esse non carnis et sanguinis, sed eorum quos Spiritus regeneravit, quos Spiritus fovet et animat, et in quibus non secus ac in proprio templo Spiritus conquiescit. Necesse siquidem est, ut Paulinus nolanus Antistes [1])

1) Epist. XXV. al. IV. n. 36. Alia eodem pertinentia dabunt Augustinus in libro de cura pro mortuis gerenda cap. I. n. 3, con. Cresconium donatistam lib. I. cap. XXXIII. n. 39, con. Iulianum pelagianum lib. I. cap. VII. n. 31, epist. LIV. al. CXVIII. ad Ianuarium n. 6, et Vincentius lirinensis in Commonit. cap. XXXIII.; e theologis vero de consensione fidelium eiusque pretio verissime disputant Iohannes Fischerus roffensis Episcopus in libro pro Henrico VIII. con. Lutherum cap. III. nn. 7-8, Melchior Canus de

loquitur, *ut de omnium fidelium ore pendeamus, quia in omnem fidelem Spiritus Dei spirat.*

Eamdem sententiam tanta consensione theologi propugnant, ut post seculum XV. nulli propemodum commentariis librisque editis inclaruerint, qui immaculatum Virginis conceptum non maiori quo possent [1]) studio vindicaverint.

19. Quid vero theologicae facultates et academiae? Ne unam quidem ex illis proferre in medium licet, quae infectam depravatamque originis labe conceptionem Virginis docuerit. Quin immo quotquot exstiterunt et exsistunt omnes, parisiensis [2]), coloniensis [3]) moguntina [4]), complutensis [5]), et ne singulas numerando referam, salmanticensis [6]) hanc sibi demandatam provinciam existimasse videntur, ut piam sententiam expolirent, expolitamque defenderent. Hoc vidit Bartholomaeus Medina, qui propterea anno MDLXXVIII. de pia sententia loquens his plane verbis [7]) usus est; « Suffragantur huic sententiae *omnes* universitates studiorum, in quibus viri docti et magistri sequuntur hanc sententiam, et maxime schola parisiensis reliquarum parens et magistra. » Ita vero academias suam piae sententiae assensionem adiecisse constat, ut non in eos solum animadverterint [8]) qui illam impeterent, dictorumque correctionem retractationemque [9]) imperarint; sed conceptis praeterea [10]) votis, pronunciatisque [11]) iuramentis sancte promiserint, omnem se daturas operam ut pia sententia unice floreret et ubivis gentium dominaretur.

locis theolog. lib. II. cap. VI., et Dionysius Petavius de Incarnat. lib. XIV. cap. III. nn. 10-11.

1) Hoc ipsemet fatetur Caietanus in suo de Conceptione tractatu cap. V. scribens: *Doctores tenentes beatam Virginem esse praeservatam ab originali peccato, sunt numero infiniti, si ad modernos spectemus:* atque hoc ad evidentiam usque demonstrat Piazza in Causa Immacul. Concept. Act. VII. Prolus. pagg. 530. seqq.

2) Apud Carolum Du Plessis D'Argentré Collect. cit. ad annum MCCCLXXXIV. p. 60, ad annum MCCCLXXXVII. pagg. 61. seqq., ad annum MCCCCXCVI. pag. 333, ad annum MCCCCXCVII. p. 336, et ad annum MDCXCVI. p. 151., et apud Emanuelem a Schelstrate in opere inscripto, *Acta orientalis Ecclesiae*, dissert. praevia cap. IV. pag. 35. ubi relata Lutheri propositione, *Contradictoria huius propositionis, beata Virgo est concepta sine peccato originali, non est reprobata*, insequens subiicitur parisiensis facultatis censura: *Haec propositio est falsa, ignoranter et impie contra honorem immaculatae Virginis asserta.*

3) Apud eumdem, ad annum MCCCCXCIX. pagg. 1-2.

4) Apud Trithemium in chronico ad an. MDI.

5) In Regesto Authent. et Univers. col. 337, et col. 355. seq. ad annum MDCXVII.

6) In Regesto Authent. coll. 372-373. ad annum MDCXVIII.

7) Comm. in III. p. q. XXVII. a. II.

8) Apud Carolum Du Plessis D'Argentré, ad annum MCCCLXXXVII. pagg. 61. seqq., et ad annum MCCCCLVII. p. 252.

9) Apud eumdem ibidem.

10) Apud eumdem ad annum MDCXVII. pagg. 190-191.

11) Cf. Piazzam Op. cit. Act. VII. art. III. pagg. 594. seqq.

20. Pari, ne dicam vehementiori studio catholici orbis Antistites eo spectarunt, ut quae sola vigebat sententia, altiores in dies radices ageret, gregisque sibi commissi mentes animosque intimius pervaderet. Probe enim intelligebant ac porro intelligunt quod herbipolensis Episcopus communem omnium persuasionem patefaciens significavit [1]) inquiens: « Ex principiis et rationibus theologicis *inter omnes* constare, doctrinam de immaculata beatissimae Virginis conceptione, *quae pia et unanimi in Ecclesia catholica fide tenetur*, certissimam esse catholicam veritatem, cui contradicere nefas est et piaculum, sed ut formaliter et stricte inter fidei dogmata referatur, adhuc Ecclesiae solemni declaratione et definitione opus esse. »

21. Succedunt Episcoporum conventus, iique non paullo solum vetustiores pluriumque seculorum intervallo a nobis seiuncti, verum etiam aetate hac nostra celebrati et omnino recentissimi ac prope hodierni. Ex illorum numero tacitus praeteribo basileensem, cuius definitionem sententiamque [2]) a me superius relatam memini; sed minime patiar ut de avenionensi taceam, cui anno MCCCCLVII. unanimes subscripserunt Petrus de Fuxo Cardinalis et Legatus a latere Martini V. in Comitatu avenionensi, Alanus de Coetivi S. R. E. Cardinalis, Robertus aquensis Archiepiscopus, Petrus Episcopus aptensis, Georgius senecensis, Gaucherius vapicensis, Nicolaus massiliensis, Petrus dignensis, Petrus glaudavensis, Palamedes cavallicensis, Pontius vasionensis, Iohannes rhegiensis, Stephanus tricassinensis, Michael carpentoractensis et Iohannes aurasiensis, et in quo hanc votis concordibus [3]) tulere sententiam: « Decretum in Con-

1) In litteris ad venerabilem Clerum tam secularem quam regularem dioeceseos herbipolensis datis die XV. Iunii MDCCCXLIX.

2) Quanta consensione receptum fuerit basileense decretum de immaculata Virginis conceptione, quove in pretio haberi idcirco debeat, sapienter ostendunt Iacobus Almainus in III. dist. III. q. I., Iohannes Maior comm. in Luc. I. pagg. 167-168, et Serm. I. de Concept. p. 300, venerabilis Petrus Canisius de Maria Deipara lib. I. cap. VII., venerabilis Robertus Cardinalis Bellarminus de Amiss. Gratiae lib. IV. cap. XV., et Plazza Op. cit. Act. IV. art. II. pagg. 359. seqq. Heic autem praetermissa nolim quae Dionysius cartusianus seculo XV. in dialogo Ecclesiae Matris cum Filio cap. XXXI. apud Edmundum Martenium in Sylloge Vet. Script. T. VI. pag. 73. his verbis complexus est: « *Filius*. Aestimo, Mater, quoniam quaestione ipsa satis difficili in basileensi Concilio ventilata, et cum matura venerabilium Patrum deliberatione definita et declarata, non ultra (*infecti conceptus assertores*) persistent in sua sententia. *Mater*. Stultum esset valde et praesumptuosum, cum per orbem universum nostrorum universitas filiorum inconcusse teneat ac firmiter credat eam semper mundissimam exstitisse, nec umquam ullam seu originalem seu actualem contraxisse culpam. Quod si contrarium esset, de ipsius Conceptione festum non fieret. Quod autem de ipsa festum fieri debeat, miracula super hoc manifestata declarant. *Filius*. Efficax sane et irrefragabilis probatio, et prorsus invincibilis assertio est, si quod homo per rationes probat, per prodigia Deus confirmat. »

3) Apud Carolum Du Plessis D'Argentré, Collect. cit. ad annum MCCCCLVII. pagg. 252-253. Omitto tridentinam Synodum, quod ratum mihi sit in adiecta ad calcem appendice de ea paullo uberius disserere.

cilio basileensi factum de conceptione beatissimae Virginis Mariae statuimus inviolabiliter observari, districte omnibus inhibendo sub excommunicationis poena, ne quisquam aliquid in contrarium praedicare vel publice disputare praesumat. Quod si secus aliquis fecerit, dictam sententiam eum incurrere volumus ipso facto; et in prima synodo per dioeceses per quemlibet celebranda, praedicta statuimus publicari, et Curatis ecclesiarum iniungi ut haec populo manifestent. »

22. Ex recentioribus autem Episcoporum conventibus, quos plurimos [1]) habitos fuisse constat, unius turonensis Synodi decretum proferam his plane verbis [2]) conceptum: « Omni cura et studio obsequi volentes sanctissimi Patris Nostri Papae Pii IX. litteris datis Caietae die II. Februarii anni praesentis MDCCCXLIX., insuper et pro viribus suis intendentes promovere quidquid ad maiorem beatissimae Mariae gloriam et laudem conducere potest, Patres manifestam et publicam faciunt suam ceteroquin *communem* Clero populoque totius provinciae firmam ac certam persuasionem de Virginis Deiparae Conceptione immaculata. Hanc igitur doctrinam, nempe sanctam Dei Genitricem Mariam, praeveniente et operante divini Numinis gratia singulari, numquam actualiter subiacuisse originali peccato, sed praeservatam omnino fuisse a labe originis, tenent et amplectuntur tamquam piissimam et adeo consonam sacrae Scripturae, traditioni, cultui ecclesiastico et rectae rationi, ut ad illius confirmandam certitudinem solemne tantummodo deesse videatur iudicium Sedis Apostolicae. Magnopere autem exoptant hunc tandem sanctissimae Virgini decerni honorem, ut veluti doctrina Ecclesiae catholicae definiatur, ipsius conceptionem ab omni prorsus originalis culpae labe fuisse immunem. »

23. Fastigium atque culmen sua veluti manu imponunt romani Pontifices, apud quos uti africani Episcopi [3]) loquuntur, *magnum et indeficientem omnibus Christianis fluenta redundantem consistere fontem, nullus ambigere potest, de quo rivuli prodeunt affluenter, universim largissime irrigantes orbem Christianorum*. Sane recolantur [4])

1) Hos inter commemorari debent provinciales synodi, senonensis, remensis, avenionensis, et ne singulas memorem, baltimorensis, quorum conspicua decreta ob oculos habeo.

2) Ex Actis Concilii provincialis turonensis Rhedone habiti an. MDCCCXLIX. Decret. XIV.

3) In Litteris datis ad Theodorum Papam, lectisque in lateranensi Concilio sub Martino I. Act. II.

4) Apud Bochellum Tit. IX. cap. XIII., et Carolum Du Plessis D'Argentré, Collect. cit. ad annum MCXL. pag. 30.

profecta ab iis *decreta*, *constitutiones*, *responsa*, *praecepta*, *mandata*, *confirmationes*, *approbationes*, *gratiae*, *concessiones* et privilegia: recolantur quae fixa rataque esse voluerunt [1]) Innocentius III.,

1) Constitut. *Cum praeexcelsa*, dat. Romae III. Kal. Maii MCCCCLXXVI.; Constitut. *Grave nimis*, dat. Romae pridie Non. Sept. MCCCCLXXXIII.; Constitut. *Inter innumera*, dat. Romae pridie Kal. Maii MCCCCLXXXIX.; Constitut. *Illius qui*, dat. Romae VIII. Kal. Martii MDII.; Constitut. *Dum praeclara*, dat. Romae X. Iulii MDX.; Constitut. *Ad statum prosperum*, dat. Romae XV. Kal. Octobris MDXI.; Constitut. *Super gregem dominicum*, dat. Romae die XXII. Maii MDXVII.; Constitut. *Pia Christifidelium, et praesertim in immaculatae conceptionis*, dat. Romae die XVIII. Febr. MDXVIII.; Constitut. *Animas lucrifacere*, dat. Romae XIII. Kal. Iulii MDXVIII.; Constitut. *Quia nuper*, dat. Romae die X. Febr. MDXX.; Constitut. *Ineffabilia gloriosae*, dat. Romae IX. Kal. April. MDXX.; Constitut. *Romanus Pontifex*, dat. Terracone die XXXI. Iulii MDXXII.; Constit. *Cum sicut*, dat. Romae die XVII. Octobris MDXXVIII.; Constitut. *Breviarium divini Officii*, dat. Romae die III. Iulii MDXXXVI.; Constitut. *Dum praecelsa*, dat. Romae VII. Idus Mart. MDXXXVII.; Constitut. *Exponi nobis*, dat. Romae die XVI. Iulii MDXLVIII.; Constitut. *Cum sicut*, dat. Romae die XVI. Sept. MDXLIX.; Constitut. *Benedictus Deus*, dat. Romae VII. Kal. Febr. MDLXIII.; Constitut. *Ex omnibus*, dat. Romae Kal. Octobris MDLXVII.; Constitut. *Quod a nobis*, dat. Romae VII. Idus Iulii MDLXVIII.; Constitut. *Super speculam*, dat. Romae pridie Kal. Decembr. MDLXX.; Constitut. *Super gregem*, dat. Romae V. Idus Maii MDLXXX.; Constitut. *Expositum nobis*, dat. Romae die XVIII. Octobr. MDLXXXVI.; Constitut. *Ineffabilia*, dat. Romae die XXX. Martii MDLXXXVIII.; Constitut. *Gratae devotionis*, dat. Romae die IX. Maii MDC.; Constitut. *Dignum*, dat. Romae XI. Kal. Febr. MDCI.; Constitut. *Apostolicae Sedis*, dat. Romae V. Idus Maii MDCVI.; Constitut. *De salute gregis*, dat. Romae Kal. Maii MDCXIV.; Constitut. *Ad augendam*, dat. Romae die X. Iulii MDCXV.; Constitut. *Regis pacifici*, dat. Romae die VI. Iulii MDCXVI.; Constitut. *Sanctissimus*, dat. Romae die XXXI. Augusti MDCXVII.; Constitut. *Sanctissimus Dominus Noster*, dat. Romae die IV. Iunii MDCXXII.; Constitut. *Considerantes*, dat. Romae II. Nonas Iulii MDCXXII.; Constitut. *Imperscrutabilis*, dat. Romae pridie Idus Febr. MDCXXIII.; Constitut. *Qua pietate*, dat. Romae die XX. Sept. MDCXXV.; Constitut. *Illius vices*, dat. Romae Nonis Aprilis MDCXXV.; Constitut. *Laudabilia*, dat. Romae XI. Kal. Iulii MDCXXVI.; Constitut. *Ex commissi*, dat. Romae Kal. Iunii MDCXXIX.; Constitut. *Ex iniuncto*, dat. Romae pridie Kal. Maii MDCXXXI.; Constitut. *Sanctae et Immaculatae Virginis*, dat. Romae die XXVI. Nov. MDCXXXI.; Constitut. *Debitum pastoralis*, dat. Romae VI. Idus Maii MDCXXXII.; Constitut. *Sacri Apostolatus*, dat. Romae XIV. Kal. Dec. MDCXLIII.; Constitut. *In his per quae*, dat. Romae die X. Nov. MDCXLIV.; Constitut. *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, dat. Romae die VIII. Dec. MDCLXI.; Constitut. *Augustissimae atque gloriosissimae Virginis*, dat. Romae die XXVII. Sept. MDCLXVII.; Constitut. *Sincera*, dat. Romae die XXI. Octob. MDCLXVII.; Constitut. *Rationi congruit*, dat. Romae V. Idus Maii MDCLXX.; Constitut. *Eximia*, dat. Romae die VIII. Maii MDCLXXI.; Constitut. *Creditae nobis*, dat. Romae die VII. Iunii MDCLXXX.; Constitut. *In suprema*, dat. Romae die XX. Martii MDCLXXXIII.; Constitut. *Cum sicut*, dat. Romae die XXII. Sept. MDCLXXXVIII.; Constitut. *Cum sicut accepimus*, dat. Romae die VI. Decembr. MDCXCII.; Constitut. *Ad ea, per quae*, dat. Romae die XXIV. Decembr. MDCXCII.; Constitut. *Caelestium*, dat. Romae die IV. Octobr. MDCXCVI.; Constitut. *Commissi nobis*, dat. Romae die VI. Decembr. MDCCVIII.; Constitut. *Caelestium munerum*, dat. Romae die XII. Maii MDCCX.; Constitut. *Ex iniuncti*, dat. Romae die VII. Maii MDCCXX.; Constitut. *Cum sicut*, dat. Romae die XXVI. Martii MDCCXXII.; Constitut. *In suprema*, dat. Romae die III. Sept. MDCCXXIII.; Constitut. *Ex quo Sedes Apostolica*, dat. Romae Kal. April. MDCCXXVII.; Constitut. *Piis orthodoxorum*, dat. Romae die XXI. Martii MDCCXXIX.; Constitut. *Ex iniuncto nobis*, dat. Romae die XXXI. Augusti MDCCXXXII.; Constitut. *Quantum ornamenti*, dat. Romae VI. Idus Nov. MDCCLX.; Constitut. *Cum primum*, dat. Romae XVI. Kal. Febr. MDCCLXI.; Constitut. *Commissi nobis*, dat. Romae die XIV. Martii MDCCLXVII.; Constitut. *Eximia pietas*, dat. Romae eodem die et anno; Constitut. *Pastoralis officii*, dat. Romae die XXI. Nov. MDCCLXIX.; Constitut. *Nuper*, dat. Romae die XVI. Sept. MDCCLXXVI.; Constitut. *Religiosos Ordines*, dat. Romae die VI. Septembris MDCCLXXXV.; Constitut. *Exponi nobis*, dat. Romae die XIII. April. MDCCXC. Quae vero ad Pium VII., Leonem XII., Gregorium XVI. et Pium IX. referuntur, ea sedulo collegerunt Perronius in Appendice ad Disquisit. Theolog. de Immaculato Virginis conceptu et Augustinus Pacificus ex Ordine Alcantarinorum in opere inscripto, *La Chiesa Cattolica nel fatto dell' immacolatissimo e santissimo concepimento della gran madre di Dio Maria*, pagg. 813. seqq. Omnium autem instituta comparatione deprehendimus, ex universis Romanis Pontificibus qui a Sixto IV. ad Pium IX. catholicae Ecclesiae praefuerunt, nonnisi paucissimos numerari posse qui ob Pontificatus brevitatem solemnibus gestis suam in immaculatum Virginis conceptum eximiam animi propensionem non declaraverint. Porro duas tantum recensuimus Sixti IV. Constitutio-

Sixtus IV., Innocentius VIII., Alexander VI., Iulius II., Leo X., Adrianus VI., Clemens VII., Paulus III., Pius IV., Pius V., Gregorius XIII., Sixtus V., Clemens VIII., Paulus V., Gregorius XV., Urbanus VIII., Alexander VII., Clemens IX., Clemens X., Innocentius XI., Innocentius XII., Clemens XI., Innocentius XIII., Benedictus XIII., Clemens XII., Benedictus XIV., Clemens XIII., Clemens XIV., Pius VI., Pius VII., Leo XII., Gregorius XVI., et Pius IX.; mirum si quid reliqui adhuc sit quod ab ipsis merito exspectari potuisse videatur.

24. Ipsi enim beatissimam Virginem urbium, provinciarum, regnorumque patronam sub titulo immaculatae Conceptionis electam sua auctoritate confirmarunt: ipsi confraternitates, congregationes, societates, religiones in honorem immaculatae Conceptionis institutas comprobarunt: ipsi xenodochia, conventus, monasteria, ecclesias, altaria sub invocatione immaculati Conceptus erecta sibi gratissima esse declararunt: ipsi solemne immaculatae Conceptionis festum non instituerunt modo, verum etiam sancte celebrandum praeceperunt, erogatisque indulgentiis fidelium animos inflammarunt: ipsi Officium immaculatae Conceptionis cum octava in universa Ecclesia frequentandum proposuere: ipsi copiam facultatemque fecerunt ut in augustioribus cultus actibus appellatione Immaculatae Maria decoraretur: ipsi sententiam immaculatae Conceptioni faventem tum *piam* dixerunt, tum melioribus quibus possent modis ornarunt: ipsis debetur quod neque publice neque privatim aut pia sententia oppugnari, aut contraria defendi queat: et ipsis debetur ut una omnium vox sit atque concors [1]) persuasio, *animam beatissimae Virginis in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Iesu Christi eius filii humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis praeservatam immunem, atque in hoc sensu eius conceptionis festivitatem solemni ritu coli et celebrari.*

nes, non quod tertiam negatam vellemus, sed quod vulgatiores illae sint et legendae omnibus prostent in capp. I. et II. de Reliq. et Venerat. Sanctor. in Extravag. communibus. Ceterum antequam Sixtus anno MCDLXXXIII. ederet Constitutionem, *Grave nimis*, iam anno MCDLXXXI. alteram ediderat Constitutionem iisdem verbis incipientem, et de qua abunde testantur Catharinus in Tract. II. de Conceptione, Wadingus in Legat. apud Paulum V., Lect. II., et Collect. Privileg. Ordinum Mendicant. et non Mendicant. per Iohannem Bapt. Confectum pag. 83. edit. Venet. an. 1616. In hac autem Constitutione ii damnabantur, qui ut praeceptam animo opinionem de originibus Virginis labe peccati infectis tuerentur, festum Conceptionis ita sumebant ac si eo non ipsa Conceptio, sed consequuta post Conceptionem sanctificatio celebraretur.

1) Quae sequuntur verba, leguntur in Alexandri VII. Constitut. quae incipit: *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, dat. Romae die VIII. Decem. MDCLXI.

25. Quem porro fugiat, haec omnia comparata sic esse, ut sententiam de immaculato Virginis conceptu piam demonstrent, veram ostendant, indubitatam patefaciant ac prorsus dignam, quam ii omnes summo studio complectantur et foveant quibus cordi est [1] *ex apostolica Sede, veluti ex natali suo fonte doctrinae latices derivare?* Nihilominus addunt ii, quorum mentem interpretamur cogitationesque referimus, ut illa putetur revelata eorumque catalogo inscribatur quae supremo Ecclesiae magisterio definiri proxime valent, sin minus necessarium, opportunissimum omnino foret eiusmodi christianae revelationis monimenta producere, quae tum copia tum perspicuitate probandique robore nullam dubitandi haerendique ansam permitterent, et ipsis quoque morosioribus persuaderent non multos reperiri nostrae professionis articulos, quorum divina manifestatio uberius evidentiusque confirmetur.

26. Et nobis quidem ex animo non exciderunt quae sanctissimus Pontifex Pius IX. verissime [2] scripsit: « Hae nostra etiam aetate non defuisse viros ingenio, virtute, pietate, doctrina praestantes, qui doctis et laboriosis eorum scriptis huiusmodi argumentum, pientissimamque sententiam ita illustrarunt, ut non pauci mirentur, quod nondum ab Ecclesia et apostolica Sede hic sanctissimae Virgini decernatur honor, quem communis fidelium pietas Virgini ipsi ex solemni eiusdem Ecclesiae et Sedis iudicio atque auctoritate tribui tantopere exoptat. » Ultro suspicimus nobilissima ingenia, et eruditissimas lucubrationes propensissime commendamus. Immo illas nominatim recenseremus et pro facultate debitis laudibus honestaremus, nisi tot essent numero ut earumdem census facile iniri non posset, aut nisi periculum immineret ne qua forte a nobis vel incuria neglecta vel supercilio posthabita videretur. Neque propterea e re fore duxi initum consilium rimandae penitius christianae revelationis dimittere, et ab opere illius exponendae vindicandaeque, quod animo adumbraveram, abstinere. Plura enim, eaque, uti arbitror, non omnino levissima praesto mihi erant incitamenta, quibus in suscepto proposito confirmarer.

27. In quo quidem eo primum nomine confirmabar, quod cernerem non omnia sic esse aliorum vigiliis occupata, ut mihi dives amplumque spicilegium non suppeteret. Tum eo nomine con-

1) Deprompta haec sunt ex epist. Innocentii I. ad carthaginiense Concilium

2) In Litteris datis Caietae die II. Februarii anno MDCCCXLIX.

firmabar, quod tandem perficiendum esse intelligerem, ne qui deinceps possent cum Petavio [1]) repetere: « In quaestione de immaculato Virginis conceptu tractanda, diligentiam et criticam sagacitatem requiro. Nam nec in citandis auctoribus fidem ac delectum adhibent, qui omnium maxime necessarius est: et quos ex antiquitate idoneos arcessunt, eorum dicta falsis interpretationibus et alienis ab illorum mente detorquent. » Eo rursum nomine confirmabar quod aegerrime paterer ut cum eodem Petavio [2]) affirmaretur: « Antiquioribus hanc opinionem placuisse, ut conceptus Virginis minime culpae originalis expers putaretur, et nonnisi postea contrariam in partem complures ivisse christianos, ac paullatim tacito pioque plurimorum assensu ita percrebuisse, uti tandem in publicam professionem eruperit. » Accedebant [a]) Theodoriti verba: « Alienum non esse, ut nos quoque veluti quidam culices una cum illis apibus per prata apostolica resonemus. Dominus enim [3]) pauperes et divites efficit, humiliat et exaltat, e terra inopem excitat et e stercore mendicum erigit, ut sedere eum faciat cum principibus populi et throno gloriae. »

28. Quid, quod probe videbam id me meis curis studiisque assequuturum, ut hinc quidem Christi Salvatoris gloriam nonnihil amplificarem, inde vero mihi potentissimae Virginis salutare patrocinium demererer? si enim Epiphanio [b]) auctore, *quicumque Dominum honorat, honorat et sanctum; et qui ignominia sanctum afficit, eamdem et Domino suo ignominiam imponit:* et si Basilio [c]) teste, *honor ille qui imagini tribuitur ad prototypum transit;* nonne multo id verius erit existimandum, si ad ornamenta Deiparae referatur? Ita certe [4]) Epiphanius existimavit, et post Epiphanium in eamdem iverunt sententiam Bernardus, Arnoldus carnotensis et

a) Prolog. ad comm. in Epist. Pauli. Οὐδὲν τοίνυν ἀπεικὸς, οἷόν τινας κώνωπας καὶ ἡμᾶς σὺν ταῖς μελίτταις ἐκείναις τοὺς ἀποστολικοὺς περιβομβῆσαι λειμῶνας. Κύριος γὰρ πτωχίζει, καὶ πλουτίζει· ταπεινοῖ, καὶ ἀνυψοῖ· ἀνιστᾷ ἀπὸ γῆς πένητα, καὶ ἀπὸ κοπρίας ἐγείρει πτωχὸν, τοῦ καθίσαι αὐτὸν μετὰ δυναστῶν λαοῦ, καὶ θρόνου δόξης.

b) Haeres. LXXVIII. n. 21. pag. 1053. B. Ὁ τιμῶν Κύριον, τιμᾷ καὶ ἅγιον· ὁ δὲ ἀτιμάζων ἅγιον, ἀτιμάζει καὶ τὸν ἑαυτοῦ δεσπότην.

c) Apud Ioh. Damascenum Orth. Fidei lib. IV. cap. XVII. Ἡ τῆς εἰκόνος τιμὴ εἰς τὸ πρωτότυπον διαβαίνει.

1) De Incarnat. lib. XIV. cap. II. §. XI.
2) Ibid. §§. VII-VIII.
3) Ps. CXIII. 7. coll. I. Reg. II. 8.
4) Loco cit.

Thomas. E quibus [1]) Bernardus inquit: « Non est dubium, quidquid in laudibus *Matris* proferimus, ad *Filium* pertinere; et rursum cum *Filium honoramus a gloria Matris non recedimus.* » Arnoldus vero [2]) subdit: « Cum debitae venerationis summa *ad Christum* respiciat, ex cuius plenitudine roratum est desuper, quod *Maria* praedicatur [3]) *gratia plena;* manifestum est *individuam esse Matris et Filii gloriam et commune esse utriusque praeconium.* » Thomas denique [4]) scribit: « Honor *Matris* refertur *ad Filium,* quia ipsa *Mater* est *propter Filium* adoranda; non tamen eo modo quo honor *imaginis* refertur *ad exemplar,* quia ipsa imago, prout *in se* consideratur *ut res quaedam,* nullo modo est veneranda. »

29. Non est autem cur de patrocinio Deiparae anceps haeream, immo est cur illud mihi secundissimum pollicear, quum universam audiam Orientis Ecclesiam [a]) canentem: « Sicut vellus, o maculae prorsus omnis expers, caelestem imbrem in utero quum suscepisses, nobis eum peperisti qui illis ambrosiam praebet qui pie ipsum collaudant, *et te Dei Genitricem depraedicant a quavis prorsus labe integram.* » Quare [b]) ut *intelligentis lucis radium assequar, et ex beatis Patribus ea colligam,* quae ad ostendendam asserendamque immaculatam Deiparae conceptionem praeclarius conducunt, istud unum est reliquum, ut mentem oculosque ad eam convertens quam ut incarnati Verbi Genitricem colo, ut hominum angelorumque Reginam vereor et ut clementissimam Matrem impensissime diligo, cum Ecclesia ingeminem: *dignare me laudare te, Virgo sacrata.*

a) Men. die XV. Maii, Ode θ'. pag. 66. col. 1. b. Ὡς πόκος, Παναμώμε, τὸν ὄμβρον τὸν οὐράνιον ἐν γαστρὶ δεξαμένη, ἡμῖν ἐκτέτοκας τὸν τὴν ἀμβροσίαν διδόντα τοῖς εὐσεβῶς αὐτὸν ἀνυμνοῦσι, καὶ σὲ τὴν πανάμωμον, Θεοτόκον καταγγέλλουσιν.

b) Sunt haec ex citato Theodoriti prologo desumpta, in quo legimus: Οὗ δὴ χάριν, τῆς ἀκτῖνος τοῦ νοεροῦ φωτὸς ἀντιβολήσας τυχεῖν, τῆς ἑρμηνείας καταθαῤῥήσω, καὶ τὰς ἀφορμὰς ἐκ τῶν μακαρίων συλλέξω πατέρων.

1) Super *Missus est*, Hom. IV. n. 1. col. 749.

2) De laudibus beatae Mariae, pag. 1281. in Bibl. Max. PP. T. XXII.

3) Luc. 1. 28.

4) S. III. p. q. XXV. a. V. ad 2.

SECTIO PRIMA

VIRGINIS IDEA

Ostenditur nihil de beatissima Virgine nisi novum, eximium et supra naturam rationemque situm aut cogitari animo posse aut rite verbis efferri. tum ostenditur eam esse verissimum miraculum, immo miraculorum abyssum, gratiarumque plenitudinem: ac postremo ostenditur ab hac, non illa quidem expressa, sed vix delineata Virginis imagine eam dissidere opinionem, qua eiusdem conceptus originali labe corruptus affirmatur, illam vero cum ea praeclare consentire qua integer inviolatusque perhibetur.

30. Quum mecum de initiis cogitarem, e quibus commodius utiliusque universae inquisitionis filum seriemque deducerem, in hanc tandem mentem concessi, ab eo doctrinae capite ordiendum esse, cuius diligenti enarratione ordinatim consequerer, ut nobilissima quaedam ac prope divina Virginis species omnium animis obiiceretur: ut quaecumque sunt hominum generi communia, sed labem vitiumque praeseferunt, ea continuo alienissima ab ingenua Virginis praestantia apparerent: ut si quid praeclari atque insignis alicui creaturae tributum noverimus, id multo locupletius Deiparae concessum sine ulla dubitatione arbitraremur: ut tandem quod recentioris scholae theologicae placitum dici consuevit, hisque verbis [1]) efferri, *privilegium sive donum ad gratiam gratum facientem pertinens, et ad maiorem animae sanctitatem, perfectioremque cum Deo unionem conducens, quod in aliquem Dei servum novimus esse collatum, Dei Genitrici negare non debemus;* illud ipsum a Patribus praeformatum et ab iisdem constantissime traditum liquido innotesceret.

31. Haec enim si consequerer evidenterque comprobarem, videbar mihi ea totius aedificii fundamenta praestruxisse, quae illius

1) Cf. Plazza in Causa immacul. Concept. Act. II. art. III. p. 228. Thomas III. p. q. XXVII. a. 1. hoc ipsum effatum proponit inquiens: « Rationabiliter creditur, quod illa quae genuit *Unigenitum a Patre, plenum gratiae et veritatis*, prae omnibus maiora privilegia gratiae acceperit. Unde, ut legitur Luc. I. 28, Angelus ei dixit, *ave gratia plena.* » Proposuerat antea Bernardus scribens: « Quod vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certe non est auspicari tantae Virgini esse negatum, per quam omnia mortalitas emersit ad vitam. »

firmitati consulerent et quibus illud citra quodvis ruinae periculum validissime sustentaretur. Porro nulla hunc in finem Patrum dicta veterumque suffragia iis accomodatiora existimavi, quibus Epiphanius [a]) praelusit inquiens: « Nos ipsos curemus, rerum nostrarum satagamus, *neve quae nostri propria sunt, in sanctos coniiciamus, aut ex nobis ipsis quae ad illos pertinent, metiri velimus.* » Quum enim haec in sanctos generatim omnes insigniter quadrent, multo sane plenius cumulatiusque, quod Epiphanius [b]) illico subdit, in Deiparam cadunt, quae omnes praetergressa, *quotquot honoramus sanctos,* uti Basilius seleuciensis [c]) loquitur, *supereminet.* « Ecquam enim, ut idem [d]) pergit, putandus est *Filius* Matri contulisse virtutem? *an non multo prae subditis maiorem?* Id cuique manifestum est. »

32. Ac manifestum adeo universis erat, ut Virgo his laudum praeconiis publice solemniterque [e]) celebraretur: « Magnae sunt gratiae, quibus digna effecta es, Maria, universi Domina, utpote quae in utero (quod vim mentis fugit) Deum generasti. » Et magnis sane eximiisque gratiis dignata caelitus Virgo fuit, quae affirmare de seipsa iure optimo [f]) potuit, *fecit mihi, magna* [1]) meque maximis summisque donis cumulavit *qui potens* est quique ipsa est virtus ac potentia, *et sanctum nomen eius* aeternisque laudibus celebrandum.

33. Ex hoc igitur doctrinae capite, utpote omnium opportunissimo, tractationem auspicabimur, quae ne suis destituta finibus licentius vagetur, et ultra quam decet nobisque constitutum est excurrat, *quinque* illam *articulis* distiuguemus simul et coercebimus. In horum autem *primo* nostrum erit ostendere, nihil Patribus ni-

a) Haeres. LXXVIII. §. 21. pag. 1053. Ἑαυτοῖς μεριμνήσωμεν, τὰ ἑαυτῶν ἐπισκεψώμεθα· μὴ τὰ ἑαυτῶν εἰς τοὺς ἁγίους ῥίψωμεν· μὴ ἀφ' ἑαυτῶν τὰ τῶν ἁγίων διασκεψώμεθα.

b) Ibidem.

c) Orat. in s. Deiparam et de Incarnat. Domini, Auctar. Combefis. T. I. pag. 596. Ὑπερανέχει τοὺς ὅσους τιμῶμεν ἁγίους.

d) Ibid. pag. 597. Τίνα χρὴ νομίζειν δεδωκέναι τῇ μητρὶ τὴν ἰσχύν; ἆρα οὐχὶ πολλῷ μείζω τῶν ὑπηκόων; παντί που δῆλον.

e) Graec. Men. die IV. Iun. Ode γ'. pag. 15. col. 1. Μεγάλων χαρίτων ἠξιώθης, Μαρία κυρία τοῦ παντὸς, ὡς τὸν Θεὸν γεννήσασα ἐν γαστρὶ ὑπὲρ ἔννοιαν.

f) Luc. I. 49. Ἐποίησέ μοι μεγαλεῖα ὁ δυνατὸς, καὶ ἅγιον τὸ ὄνομα αὐτοῦ.

1) Sunt autem hoc in loco μεγαλεῖα, non secus ac Iob. XI. 15, Act. II. 11. *eximia benefacta,* quae Virgini contulisse dicitur ὁ δυνατός, גִּבּוֹר, *potentissimus,* cuius nomen efferri laudibus debet.

hilque ecclesiasticis scriptoribus fuisse antiquius, quam ut quaecumque omnia gratiae sanctitatisque ambitu continentur et ad Virginem spectant, nova dicerent, inaccessa, supra mentem rationemque sita, fixumque naturae providentiaeque ordinem praetergressa. In *altero* ex innumeris quae adduci possent Patrum effatis, quaeque propriis locis adducentur, nonnulla seligam, quibus iidem unanimes contestantur, tantam esse donorum ornamentorumque Virginis praestantiam, ut non tam humanis cogitationibus aestimari ea debeat, quam fidei pietate teneri ac firmissime credi. *Tertius* succedet eo pertinens ut Patrum auctoritate comprobetur, fas non esse Virginem aliter animo contemplari ac ut miraculum, miraculum ineffabile, miraculorum apicem, et charismatum gratiarumque infinitum prope thesaurum, abyssumque inexhaustam. Hunc *quartus* excipiet iis constans Patrum sententiis, quibus Virgini ea asseritur gratiae plenitudo eaque puritas vindicatur, qua digna Dei mater exstiterit, ad Deum per quam proxime accesserit ac omnibus laudum praeconiis celsior evaserit. In *quinto* tandem potiora eruemus consectaria quae ex his dependent, atque illud inprimis eruemus quo intelligitur, ab ea Virginis imagine quam Patres animo contemplabantur, quamque verbis ceu coloribus expresserunt, illam vehementissime abhorrere opinionem, qua eiusdem conceptus originali macula sordidus affirmatur.

ARTICULUS I.

Quaecumque omnia ad gratiam sanctitatemque Virginis spectant, ea sunt nova, super communem naturae providentiaeque ordinem singulariter evecta, neque aliis dicendi formis quam inusitatis peregrinisque efferenda.

34. In praeclara sane oratione, qua Georgius nicomediensis Episcopus de Virgine vix dum trienni loquitur eiusque in Templo oblationem caelestemque vitam demiratur, cum alia tum haec in rem nostram apprime facta [a]) scribit: « Ego enim *vere* existimo, . . .

a) Orat. VI. de Deiparae ingressu in Templum. Auctar. Combefis. T. I. pag. 1130. D. Ἐγὼ γὰρ οἶμαι τῇ ἀληθείᾳ . . ., ξένως πάντα καινοτομηθῆναι, καθάπερ καὶ τὴν μέλλουσαν κύησιν.



omnia, sicut et futurum eius partum, *inusitata quadam ratione fuisse innovata.* » Quod Georgius sensit, similibus plane verbis Andreas cretensis inculcavit, neque aliter de rebus Virginis arbitrari fas esse [a]) monuit, quam *ut verissime sint nova quoad eam omnia, et sermonem omnem cognitionemque excedant.*

35. Neque profecto mirum quod *nova* dicantur quaecumque omnia ad Mariam pertinent, quum Germanus constantinopolitanus Antistes de iisdem [b]) scripserit: « *Omnia tua*, Dei Genitrix, *incredibilia miraque* sunt, *omnia naturam excedunt, omnia rationem potentiamque superant* » universa autem Graecorum Ecclesia de iisdem [c]) canat: *In te leges naturae innovatae sunt.*

36. Quae autem sunt *nova, mira, incredibilia, naturaeque leges supergressa*, ca receptis loquendi modis explicari nequeunt, et quemadmodum peregrinas voces et peregrinas phrases, ita peregrinam orationis faciem suo iure postulant. Hinc illud quod in orientalis Ecclesiae hymnis [1]) legimus: « Novum [d]) te fontem, o Virgo, originemque mysteriorum habentes [2]) tres divinarum rerum praecones, *novis argumentis novas* itidem *phrases* accomodant. »

a) Ex Orat. cuius initium, Μυστήριον ἡ παροῦσα, apud Nicodemum monachum [3]) in opere inscripto: Ἑορτοδρόμιον, ἤτοι ἑρμηνεία εἰς τοὺς ᾀσματικοὺς κανόνας τῶν δεσποτικῶν καὶ θεομητορικῶν ἑορτῶν, p. 666. Ἵν' ᾖ πρὸς ἀλήθειαν καινὰ τὰ κατ' αὐτὴν ἅπαντα, λόγου παντὸς καὶ γνώσεως ὑπερκείμενα.

b) Orat. in s. Mariae Zonam, apud Leonem Allatium de tribus Simeonibus, part. II. pag. 239. Ὅλα τὰ σά, θεότοκε, παράδοξα, ὅλα ὑπὲρ φύσιν, ὅλα ὑπὲρ λόγον καὶ δύναμιν.

c) Men. die XIII. Dec. Ode δ'. pag. 95. col. I. Νόμοι ἐν σοὶ τῆς φύσεως καινοτόμηνται.

d) Men. die XXX. Ian. Ode ε'. pag. 250. col. I. Νέαν σὲ πηγήν, Παρθένε, καὶ ἀφορμὴν μυστηρίων ἔχοντες οἱ τρεῖς θεηγόροι, καιναῖς ὑποθέσεσι καινοπρεπῆ προσαρμόζουσι φράσιν.

1) « *Menaea*, inquit Hippolytus Maraccius in notis ad Mariale s. Iosephi hymnographi pagg. 224-226, nihil aliud sunt quam duodecim non exigui codices Ecclesiae graecae, quibus continentur per singulos singulorum mensium dies variae Dei, Deiparae ac Sanctorum laudes in templis Graecorum sub divinis Officiis decantari consuetae. In lingua romana hos duodecim Menaeorum tomos non incommode *libros menstruales* appellandos censet Simon Wangnereckius in Mariana Pietate Graecorum in Proleg. n. 9, velut et Plautus in Captivis *menstruales epulas* dixit. » De Menaeis, deque eorum auctoribus, collectoribus, praestantia, antiquitate praeter laudatos Maraccium et Wangnereckium, agunt diligenter Suicerus in Thesauro ad v. μηναῖον, Cangius in Lex. med. et inf. graecit. ad eamdem vocem, Leo Allatius de libris ecclesiast. Graecorum diss. I. ad Gabrielem Naudaeum, Zacharias Grapius in diss. de menaeis et menologiis Graecorum, et Cardinalis Quirinus in diatriba de eccles. Offic. apud Graecos antiquitate. Nihil autem in Menaeorum opere reperiri quod non probe orthodoxum sit ac sanctum, disertissimis verbis confirmant Arcudius in praef. ad Anthologium quod Clementi VIII. dicatum voluit, et Bollandiani in praef. general. ad mensem Ianuarii §. XI. Nos editione utemur quae Venetiis prodiit anno MDCCCXLIII.

2) Qui dicuntur θεηγόροι, *divina loquentes*, hi sunt Basilius, Gregorius Theologus et Iohannes cognomento Chrysostomus.

3) Huius operis, cuius singularis utilitas inde etiam aestimari potest, quod in illo non pauca habeantur veterum testimonia quae vix alibi reperias, ea nobis ad manus editio est quae Venetiis prodiit anno MDCCCXXXVI.

37. E quibus in summam opportune collectis, sua sponte consequitur, necessario *novum* et haberi et dici, quod *novum* totidem verbis affirmatur, quodque verbis potestate aequipollentibus audit *mirum, incredibile, supra naturae leges situm* et ad quod efferendum *insolitae voces, insuetaeque phrases* requiruntur. Iamvero nihil ex maiorum placitis atque doctrina ad Virginis gratiam sanctitatemque pertinet, quod ab iisdem *aut* diserte non praedicetur *novum, aut* verbis geminae potestatis non vocetur *incredibile, mirum, a communi naturae providentiaeque ordine seiunctum, peregrinisque indigum formulis ut exprimi declararique possit.* Quae sicuti superiora ostendunt, ita haec praeclare confirmant [1]) ex Thomasii Hymnario:

» Gaudium mundi, nova stella caeli,
» Procreans solem, pariens parentem,
» Da manus lapsis, fer opem caducis,
» Virgo Maria.

Tum [2]) haec ex veteri sequentia:

» Per hoc autem Ave
» Mundo tam suave,
» Contra carnis iura
» Genuisti prolem,
» Novum stella solem,
» Nova genitura.

Eodem pertinent [a]) quae Tarasius Deiparam compellans [3]) scribit: « Te glorifico agnam immaculatam, te praedico gratia plenam, te effero ex omnibus generationibus demonstratam Dei sponsam, te cano novum caelum parituram, te adduco tamquam purum thesaurum in templo Domini, te extollo novum testamentum, in quo Messias Christus inscriptus hinc litterae legis finem imponet, inde

a) Orat. de Deiparae Praesent. Σὲ δοξάζω τὴν ἀμίαντον ἀμνάδα· σὲ ὑμνῶ τὴν κεχαριτωμένην· σὲ ἀνυμνῶ τὴν ἐκ πασῶν τῶν γενεῶν ἀναδειχθεῖσαν Θεοῦ νύμφην· σὲ αναμέλπω τὴν νέον οὐρανὸν μελλοῦσαν ἀναδειχθῆναι· σὲ προσάγω ὡς κειμήλιον καθαρὸν ἐν τῷ ναῷ Κυρίου· σὲ μεγαλύνω τὴν νέαν διαθήκην, ἐν ἧπερ ὁ Μεσσίας Χριστὸς ἐγγραφεὶς, τὸ μὲν γράμμα καταπαύσει τοῦ νόμου, τῆς δὲ χάριτος τὴν κλῆσιν ἐξανατελεῖ διὰ τοῦ βαπτίσματος.

1) Cf. Thesaurum hymnologicum ab Adalberto Daniele editum Halis MDCCCLXI. T. I. pag. 226.
2) In Thesauro hymnolog. T. II. pag. 92.
3) Agit de hac Tarasii oratione Morcellius in Kal. CP. T. II. pag. 250, nosque illam graece et latine ad operis calcem primi edemus.

vocationem gratiae per baptismum auspicabitur. » Atque eodem haec spectant quae [1]) Sedulius cecinit:

» Sic Evae de stirpe sacra veniente Maria,
» Virginis antiquae facinus nova Virgo piaret.

Cuius novae Virginis decora esse omnia supra fidem, insigniter declaravit [2]) Emanuel Palaeologus, quum verba Christi [3]), *quin immo beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud,* enarranda sic censuit: « Arbitror autem, si opus esset clarioribus verbis explanare sententiam, ita illum dixisse qui homo fieri voluit: o mulier quae beatam praedicas, vere beatam oportebat matrem esse mihi illam, cuius anima incredibili pulcritudine esset ornata, et qualem nulla unquam habuere tempora. Itaque praevio in ipsa summo candore ob eximiam animi integritatem, sublimitatemque ac modestiam, subsequutum est ut mea fieret mater, factumque est ut ad lucem quae in eius anima inhabitabat, me lucem insuper acquireret omnium luminum creatricem. Amant enim omnia quae affinitate coniuncta sunt, accedere ad affinia. » Hoc igitur superest, ut quaecumqne omnia ad Virginis gratiam, innocentiam, sanctitatemque referuntur, ea *nova, mira, incredibilia, supra naturam, praeterque usitatum loquendi morem evecta existimentur.*

ARTICULUS II.

Quaecumque omnia ad Virginis gratiam sanctitatemque spectant, ita nativam intelligendi facultatem superant, et impervia ita sunt atque inaccessa, ut non tam humanis cogitationibus subiicienda sint, quam fidei pietate credenda.

38. Si iunctim simulque conspirent atque in unum idemque veluti fastigium concurrant, hinc quidem *novitas,* inde vero *eximia quaedam supernaturalisque praestantia;* quod ex eiusmodi consociatione ac nobilissima synthesi prodit, id nativam intelligendi fa-

1) Carm. paschal. lib. II. §. I. vv. 30-31. pag. 543. col. 1. A. apud Gallandium T. IX.

2) Orat. in Deiparae dormit. pag. 76. apud Maraccium *in Caesaribus marianis,* qui de hac oratione scribit pag. 52. « Quae quidem quia inedita, multisque adhuc obscura, ex vaticana Bibliotheca deprompta, ac per eruditum omniumque virtutum genere illustrem virum Iohannem Matthaeum Cariophilum iconiensem Episcopum de graeco in latinum sermonem translata, integra hoc loco in eruditorum gratiam apponetur. »

3) Luc. XI. 28.

cultatem superat, humanasque cogitationes longissime praetergreditur. En vero quae Germanus constantinopolitanus Episcopus de Virgine [a]) scribit: « Omnia tua *paradoxa*, omnia vera, omnia *in idipsum* [1]) *iustificata*, et omnia, o summe desiderabilis, *dulciora super mel et favum*. Nam et servi tui ea desideramus, et in iis desiderandis *retributio* [2]) abs te *multa*. » Et en quae istis etiam splendidiora unanimi orientalis Ecclesiae concentu [b]) frequentantur: « Mysteria tua omnia, o Deipara, *super cogitatum* sunt, omnia sunt [3]) *super gloriosa*. » Hinc auctor [4]) Sermonum in antiphonam, *salve regina*, sermonem alterum [5]) his verbis orditur:

» Si linguae centum resonarent, oraque centum,
» Ferrea vox mihi, nil, Maria, tibi dicere dignum
» Possum, stella maris quae Virgo beata voceris.

Tum [6]) subdit: « O quam te memorem Virgo, quibus laudibus efferam? Elevata est magnificentia tua super caelos, et super omnem terram gloria tua, ita ut nec in caelo inveniatur creatura, quae tuam digne laudare queat magnificentiam: nec in terra sit, quae gloriam tuam exprimere valeat. Nemo enim nec in caelo nec in terra inventus est dignus aperire librum praerogativarum tuarum, et digne solvere septem signacula eius. Viri divitiarum multi de civitate Domini virtutum miserunt manus suas ad haec fortia, et ta-

a) Serm. in Deiparae dormit. apud Nicodemum monachum, op. cit. pag. 666. Ὅσα τὰ σὰ παράδοξα, ἀληθινά, δεδικαιωμένα ἐπὶ τὸ αὐτὸ, ἐπιθυμητατε, πάντα καὶ γλυκύτερα ὑπὲρ μέλι καὶ κηρίον· καὶ γὰρ οἱ δοῦλοί σου ποθοῦμεν αὐτά· ἐν τῷ ποθεῖν αὐτὰ ἀντάμειψις ἐκ σοῦ πολλή.

b) Pentecostar. pag. 55. col. 1. Πάντα ὑπὲρ ἔννοιαν, πάντα ὑπερένδοξα τὰ σὰ, θεότοκε, μυστήρια.

1) Ps. XVIII. 10-11.

2) Ibid. v. 12.

3) *Pentecostarii* nomine liber intelligitur, quo Officium ab ipso die Paschatis ad octavam usque Pentecostes, ad Dominicam nempe Sanctorum omnium, continetur. Libri titulus hic est. Πεντηκοστάριον χαρμόσυνον, τὴν ἀπὸ τοῦ Πάσχα μέχρι τῆς τῶν ἁγίων πάντων Κυριακῆς ἀνήκουσαν αὐτῷ ἀκολουθίαν περιέχον. Ἐπὶ τέλους δὲ, καὶ τὰ ἑωθινὰ εὐαγγέλια, τὰ ἐν τῷ ὄρθρῳ ἑκάστης τῶν ἐν τῷ μεταξὺ τούτῳ ἑορτῶν ἀναγινωσκόμενα. De hoc libro inter ceteros prolixe agit Allatius tum in diss. I. de libris eccles. Graecorum §. X., tum in diss. II. ad Iohannem Aubertum, in qua Pentecostarii doctrinam examini subiicit, illamque iis innixus argumentis reprehendit, quibus nollim suffragari. Testimonia quae a nobis afferentur, ex ea editione deprompta sunt quae Venetiis prodiit anno MDCCCXXXVII.

4) De hisce quatuor sermonibus ita censet Mabillonius opp. Bernardi vol. II. pag. 738: « Quamvis nonnulla in his sermonibus adducantur ex Bernardo, ut sermone tertio; ei tamen constanter abiudicandi sunt tum ob stili et genii diversitatem, tum ob frequentes poetarum citationes, quibus s. Doctor rarius uti solet. Bernardo Archiepiscopo toletano tribuuntur a Claudio de Rota in notis ad Pseudo-Liutprandum pag. 451., ubi auctor praedictae antiphonae Petrus compostellanus appellatur. Huic posteriori sententiae praeivit Guillelmus Durandus in Rationalis lib. IV. cap. XXII. »

5) In antiph. *Salve Regina*, Serm. II. inter opp. Bernardi vol. II. pag. 741. F.

6) Ibid. n. 1. pagg. 741. F., et 742. A-C.

men altitudinem divitiarum harum ad liquidum comprehendere non potuerunt, quia investigabiles viae istae et inscrutabilia universa. Conati sunt et non datum est ultra. Dum adhuc ordirentur, succisi sunt. Quis enim loquetur potentias has Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Et si digne nullus, quisque tamen pro viribus.

Pro se quisque viri summa certabat opum vi, ut ait quis. Denique currebant omnes in odore unguentorum. Trahe et nos post te, o sancta sanctorum. » Accedit [a]) Matthaeus cantacuzenus qui Canticum explanans ait: « *Pulcra es propinqua mea, sicut beneplacitum.* Complacuit enim Deo et Patri in ea nostri generis operari salutem. *Decora sicut Hierusalem,* sive tamquam sacrae pacis caussa ipsiusque pacis conciliatrix pacem omnibus praebuit. *Terribilis sicut castrorum acies ordinata.* Hoc est, supra omnem captum et rationem est in te omnium pulchritudinum ordinata compositio et concinna constitutio. »

39. Neminem vero latere arbitror, ecclesiastico maxime loquendi usu [1]) receptum esse, ut quae impervia sunt, mirabilia, nostramque intelligentiam vincunt, eadem dicantur *horrifica, tremenda, dictu, auditu visuque terribilia.* Sed quod non iniuria mireris, nulla ex his formulis est, quae de Maria, deque iis omnibus quae ad eiusdem gratiam sanctitatemque pertinent, in ecclesiasticis monimentis solemnissime non usurpetur.

40. Usurpantur coniunctae formulae *tremendum auditum, visumque inaccessum*, quum [b]) dicitur: « Salve mons sancte et per quem Deus incedit: salve ineffabilium rerum manifestatio: salve [2]) *o tremendum auditum, visumque oculis inaccessum*: salve, o Virgo,

a) In Cant. Cantic. VI. 3. pag. 47. A-B. edit. Romae MDCXXIV. Καλὴ ἡ πλησίον μου, ὡς εὐδοκία· ηὐδόκησε γὰρ ἐν αὐτῇ ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ τὴν τοῦ γένους ἡμῶν σωτηρίαν ἐργάζεσθαι· ὡραῖα ὡς Ἱερουσαλήμ· ἤγουν, ὡς ἱερᾶς εἰρήνης αἰτία, καὶ πᾶσιν αὐτῆς εἰρηνοπαρόχως πρόξενος· θάμβος ὡς τεταγμέναι· τουτέστιν ὑπὲρ πάντα νοῦν καὶ λόγον ἡ κατὰ σὲ τῶν ἁπάντων καλῶν σύνταξις, καὶ εὐαρμοστία.

b) Men. die XXVIII. Nov. Ode η'. pag. 212. col. 2. Χαῖρε ἅγιον ὄρος καὶ θεοβάδιστον· ἀποῤῥήτων πραγμάτων χαῖρε φανέρωσις· ἄκουσμα φρικτὸν, δυσθεώρητον ὅραμα. Χαῖρε τῶν πεσόντων ἀνάκλησις, παρθένε.

1) De ecclesiastico loquendi usu testes sunt libri omnis liturgici, et Suicerus in Thesauro ad v. μυστήριον: simillimum vero usum tam in Bibliis quam in profanis scriptoribus obtinere, facile nobis paullo eruditiores concedent.

2) Appositum φρικτόν, quod hoc in testimonio et consequentibus adhibetur, quum *proxime* notet quod *horrorem metumque* ingerit, *mediate* atque ex adiuncto significat quod sic excellit, ut ad gignendum stuporem factum videatur.

lapsorum revocatio. » Usurpatur formula *tremendum auditum effatumque*, quum [a]) dicitur: « Ave, o lucis currus divine. Ave, o intemerata, salutis caput. Ave, *o tremendum auditum effatumque.* » Et formulae simul omnes iunctae consertaeque usurpantur, quum [b]) dicitur: « Ave, o species Iacob, quam Deus elegit, quam [1]) adamavit: porta eorum qui salvantur: maledictionis solutio undequaque benedicta: lapsorum instauratio: sanctior Cherubim et super creatarum rerum universitatem eminens: *visum oculis inaccessum, auditum maxime novum, effatum ineffabile*: Verbi currus: nubes e qua exortus est sol Christus, illuminans eos qui erant [2]) in tenebris. »

41. Illorum vero quae impervia sunt mentemque excedunt, ea vis est atque conditio ut non tam investigationi rationis subiici humanoque modulo aestimari, quam pietate fidei teneri credique [3]) debeant. Si qui aliam putent ineundam viam, sibique praefidentes ratione tractent quae fidem exigunt, hi utpote maiestatis scrutatores [4]) opprimentur a gloria, et ab eo quo adspirant, toto caelo aberrabunt. Una autem est atque concors omnium sententia, quam [c])

a) Men. die XV. Martii ad vesp. pag. 65. col. 2. Χαῖρε φωτὸς θεῖον ὄχημα· χαῖρε κεφάλαιον σωτηρίας, ἄχραντε· χαῖρε φρικτὸν ἄκουσμα καὶ λάλημα.

b) Men. die XXVII. Nov. ad vesp. pag. 202. col. 2. Χαίροις ἡ καλλονὴ Ἰακὼβ, ἣν ἐξελέξατο Θεὸς, ἣν ἠγάπησεν· ἡ θύρα τῶν σωζομένων· τῆς ἀρᾶς ἡ λύσις παντευλόγητε· πεπτοκότων ἀνόρθωσις· ἁγιωτέρα Χερουβὶμ, καὶ τῆς κτίσεως ὑπερέχουσα· δυσθεώρητον ὅραμα, ἄκουσμα καινότατον, ἀνέκφραστον λάλημα· ἅρμα τοῦ Λόγου· νεφέλη ἐξ ἧς ἀνέτειλεν ἥλιος Χριστὸς καταυγάζων τοὺς ἐν σκότει.

c) In Deiparam hymno III. vv. 1-12. pagg. 440. D-E. in App. ad Biblioth. graecolat. T. III.

Χαῖρε κόρη, μέγα θαῦμα, μέγ' ἀνθρώποισιν ὄνειαρ,
Χαῖρε χαρᾶς ἀρχὴ, χαῖρε τέλος κατάρας.
Χαῖρε κόρη, μέγ' ἄεισμα καὶ οὐρανίοισι νόεσσι,
Πολλὸν ὑπερπρόθεον καὶ νόον οἷα λόγον.
Χαῖρε θέαμα, κόρη, φοβερὸν, φλογερὸν, πανάϋλον,
Ἡδύ τε καὶ φοβερὸν, οὐδὲ θεατὸν ὅλον.
Χαῖρε κόρη, μυριόμμασιν ἀστράσιν οἷα σελήνη
Μεστὰ φαεινομένη φωτὶ περισσοτέρῳ.
Χαῖρε κόρη, κρύπτουσα φάος Σεραφὶμ, ἅτε φέγγος
Ἥλιος ἀστρῴων εὔδιος ἀντιτρέχων.
Χαῖρε κόρη, φύσεως αὔχημα, ἄγαλμα πλάστου,
Δεξάμενον τέχνην πᾶσαν ἀριστοτέχνου [4]).

1) Ps. XLVI. 5.

2) Ioh. I. 5.

3) Modum igitur non excessit, neque audaciori amplificatione peccavit sanctus Bernardinus senensis inquiens Serm. LI. *Tanta est perfectio Virginis, ut soli Deo cognoscenda reservetur.* Nostrum namque est illam satius vereri quam cognoscere.

4) Prov. XXV. 27.

Iohannes Geometra his verbis expressit: « Salve, Virgo, magnum miraculum, magnum hominibus levamen. Salve gaudii principium, salve maledicti finis. Salve, Virgo, magnum caelestibus quoque mentibus canticum, quae longe superas mentem animumque hominum. Salve, Virgo, terribile visum, fulgidum, purissimum, suave et tremendum, quodque totum conspici nequit. Salve, Virgo, innumeris circumdata astris, tamquam luna splendens luce praestantiore. Salve, Virgo, quae lucem abscondis Seraphim, quemadmodum sol oriens sideream obtenebrat lucem. Salve naturae decus, factoris imago totam summi artificis artem recipiens. »

ARTICULUS III.

Quaecumque omnia ad Virginis gratiam sanctitatemque spectant, ea aestimari non aliter debent ac miraculum, miraculum ineffabile, miraculorum caput, et charismatum thesaurus gratiarumque abyssus.

42. Sicuti conferri *miracula* nequeunt cum statis naturae legibus ratoque eiusdem ordine, quin continuo praeter supraque naturam [1]) facta intelligantur; ita si quis forte reperiatur qui prae ordine sanctitatis et gratiae eam praeferat excellentiam, quae *nova* plane sit, *inaudita, cogitatione maior,* quaeque *sola fide* teneri credique debeat, is suo merito intra eiusdem ordinis fines *portentum, miraculumque* censetur atque dicitur. Eiusmodi vero esse Virginis praestantiam, atque huc redire delineatam a Patribus Virginis speciem, praeclaris eorumdem testificationibus hactenus effecimus. Quid igitur restat, nisi ut eosdem audiamus beatissimam Virginem *miraculis* accensentes, *miraculumque* appellantes?

43. Et miraculis sane illam accensent, miraculumque appellant, neque *miraculum dumtaxat, verum etiam miraculum maximum, et miraculorum miraculum, caput atque fastigium.* Miraculum appellat Syriacae Ecclesiae decus Ephraem, a quo Virgo [a]) dicitur:

a) Prec. IV. opp. gr. lat. t. III. pag. 528. *Νύμφη Θεοῦ, δι' ἧς αὐτῷ κατηλλάγημεν, ἀκατανόητον θαῦμα, ἀνερμήνευτον ἄκουσμα.*

1) Hoc enim charactere distingui *miracula*, eorumque proprium esse ut *ὑπὲρ τὴν φύσιν*, *praeter supraque naturam*, non autem *contra naturam* edantur, uno ore Patres testantur, e quibus conferri possunt Chrysostomus in Genes. Hom. XXXIX. n. 1, Theodorus heracl. in Corderii Catena ad Ioh. XI. 40, et Augustinus de Civ. Dei lib. XXI. cap. VIII.

« Sponsa Dei per quam ipsi reconciliati sumus, *inopinatum miraculum* mentique impervium, inexplicabilis auditio. » Miraculum appellat stupendumque miraculum vulgatus Epiphanius [a]) scribens: « O Virgo sanctissima, quae exercitus angelorum in stuporem deduxisti. *Stupendum* enim est *miraculum in caelis* [1]) mulier amicta sole: *stupendum miraculum* in caelis mulier gestans [2]) lucem in ulnis: *stupendum miraculum* in caelis alter thronus cherubicus. » Et miraculum, idemque miraculum ineffabile appellat universus Oriens, dum ita Virginem [b]) salutat: « Benedictus o labis omnino omnis expers fructus [3]) ventris tui, per quem, o benedicta undequaque innocens, *inexplicabile miraculum, ostentum incomprehensibile* et mortalium universorum salus, nos omnes mortales e maledictione erepti [4]) sumus. »

44. Immo his non contentus nobilissimus Chrysostomi discipulus Proclus aperte negat [c]) reperiri posse miraculum, quod cum Maria comparetur, inquiens: « Vide, num aliud *eiusmodi* miracu-

a) Inter Epiphanii opp. t. II. pag. 295. Ὦ παναγία Παρθένε, ἡ στρατίας ἀγγέλων ξενίσασα· ξένον γὰρ θαῦμα ἐν οὐρανοῖς γυνὴ τὸ φῶς ἐν ἀγκάλαις βαστάσασα· ξένον θαῦμα ἐν οὐρανοῖς χερουβικὸς θρόνος ἕτερος.

b) Paraclit. pag. 396. col. 2. Εὐλογημένος ὁ καρπὸς, Πανάμωμε, ὁ τῆς κοιλίας σου· δι' οὗ βροτοὶ πάντες τῆς ἀρᾶς ἐλύθημεν, εὐλογημένη πάναγνε, ἀνερμήνευτον θαῦμα, ἀκατανόητον ὅραμα, πάντων τῶν βροτῶν διάσωσμα [4]).

c) Orat. V. in sanctam et deiparam Mariam n. 2. apud Galland. t. IX. pag. 830. C-D. Βλέπε, εἰ ἐστὶν ἄλλο τοιοῦτον θαῦμα ἐν πάσῃ τῇ κτίσει.

1) Hoc incisum ex Apoc. XII. 1. desumptum vel redundat in latina versione, vel quod facilius credo, operarum vitio e graeco textu propter vocum similitudinem excidit.

2) Ioh. I. 5-9.

3) Luc. I. 42.

4) Leo Allatius in diss. I. de libris eccles. Graecorum, ubi hos nominatim recenset, scribit §. VIII. « Octavus sit Παρακλητική, quam παρακλητικὸν βιβλίον Gennadius, at aliquando tantummodo παρακλητικὸν vocat. Differt ab aliis libris ecclesiasticis, quod in aliis certa sunt certis diebus decreta Officia, Canones seu Troparia quae recitari solent, quibus finitis reponuntur donec eadem tempora remeent cum rursum ad recitandum suscipiuntur: ut Triodion, quod Quadragesimae praecipua Officia: Pentecostarium, quod a die Resurrectionis ad Pentecostem: Menaea, quae singulis mensibus. Paracleticus tantum semper prae manu est, et omnibus diebus aliquid in eo invenitur quod sive in Missa sive in Vesperis, sive in Matutino, sive in aliis Officiis recitatur. Quando enim in aliis Officiis propria desiderantur quae ad complementum Officii pertineant, ad hunc lector remittitur. Dicitur, ut puto, παρακλητικός, quasi *Consolatorius*. Videntur enim omnia quae in eo sunt, eo maxime spectare ut peccatorem consolentur, hortentur et quasi vi quadam compellant ut de commissis poenitentiam agat, et Deum quem peccando offenderat, poenitentia ac precibus sibi propitium reddat. Dividitur in octo partes, quas Graeci ἤχους appellant. Uno namque Echo Officia unius hebdomadis implentur, altero subsequentis, et sic de singulis. » Libri inscriptio in edit. Venet. an. MDCCCXXXVII. sic habet. Παρακλητική, ἤτοι ἡ μεγάλη ὀκτώηχος περιέχουσα πᾶσαν τὴν ἀνήκουσαν αὐτῇ ἀκολουθίαν· ἐπὶ τέλους δὲ, καὶ τοὺς κατ' ἦχον τριαδικοὺς ὕμνους, τὰ φωταγωγικὰ καὶ ἐξαποστειλάρια τῆς ὅλης ἑβδομάδος, καὶ τὰ ἀπολυτίκια θεοτοκία τοῦ ὅλου ἐνιαυτοῦ· προσέτι, τὸν ἱκετήριον κανόνα εἰς τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, τοὺς δύο παρακλητικοὺς κανόνας εἰς τὴν ὑπεραγίαν Θεοτόκον, καὶ τὸν κανόνα τοῦ ἀκαθίστου. De hoc ipso libro conferri possunt tum Allatii *examen de Paracletice*, quod in altera diss. de eccles. Graecorum libris invenitur, tum quae scribit Zaccaria in Biblioth. rituali lib. I. cap. IV. §. VIII.

lum in universis creatis invenire sit. » Et invenire profecto non licet, quum teste nicomediensi Georgio [a]) Maria sit *prodigium incredibile, omnemque excedens stuporem.* Teste autem Iohanne damasceno, eadem sit miraculorum apex et caput. Accipiantur [b]) eius verba: « Eccur vero Virgo mater orta est ex sterili? plane quia oportebat, ut illi *quod solum sub sole novum* futurum erat ac *miraculorum caput,* via per prodigia sterneretur. »

45. A quibus seiungi ista non debent, quae Virginem alloquens Germanus constantinopolitanus [c]) pronunciat: « Quamobrem ipse quoque, o Deipara, te *quae supra rationem et cogitatum mirabilia mirabilium* possideas, audeo laudare. » Neque seiungi ista debent, quibus Iohannes damascenus [d]) oratione ad Ecclesiam conversa ait: « Nunc autem caelestium Virtutum copiosissimum agmen habes Dei Matrem laudantium nobiscum, *illam miraculorum abyssum.* » Miraculorum sane abyssum, quemadmodum in solemnibus etiam orientalis Ecclesiae precibus Virginem salutari, ex his verbis [e]) plenissime liquet: « Quum te, o Deipara, *miraculorum abyssum,* atque *charismatum pelagus,* o innocens, nos cognoscamus ac probe sciamus. »

46. Summopere autem fallerentur et ab explorata veterum patrum mente certaque sententia longissime discederent, qui haec omnia ad unam divinae maternitatis praerogativam divinamque excellentiam revocanda esse arbitrarentur. Est quidem haec ornamentorum omnium quibus Virgo enituit, enitet, aeternumque enitebit,

a) Orat. VI. in ingressum beatae Virginis in Templum, apud Combefis. Auctar. t. I. pag. 1119. *Παράδοξον καὶ πάσης ἐπέκεινα καταπλήξεως.*

b) Serm. in die natal. Dei genitricis Mariae, n. 2. pag. 842. B. *Ἀλλὰ τίνος ἕνεκεν ἐκ στείρας ἡ Παρθένος μήτηρ γεγέννηται; ἔδει γὰρ τὸ μόνον καινὸν ὑπὸ τὸν ἥλιον, τὸ τῶν θαυμάτων κεφάλαιον ὁδοποιηθῆναι τοῖς θαύμασιν.*

c) Serm. I. in dormit. Deiparae, apud Combefis. Auctar. pag. 1446. *Διὸ καὶ σέ, Θεοτόκε, ὡς ὑπὲρ λόγον καὶ ἔννοιαν τὰ τῶν παραδόξων κεκτημένην θαυμάσια, ἐγκωμιάσαι τολμῶ.*

d) Hom. I. in nativ. beatae Mariae virginis n. 10. pagg. 848-849. *Νῦν δὲ πλήθη οὐρανίων δυνάμεων ἔχουσα, ὑμνούντων σὺν ἡμῖν τὴν θεομήτορα, τὴν τῶν θαυμάτων ἄβυσσον.*

e) Men. die VIII. Febr. Ode θʹ. pag. 53. col. I. *Ἄβυσσον* [1]) *θαυμάτων σὲ, καὶ χαρισμάτων, Θεοτόκε, πέλαγος, ἁγνὴ, γινώσκοντες καὶ σαφῶς ἐπιστάμενοι.*

1) Est autem ἡ ἄβυσσος, supple χώρα, proprie et ex sese *locus fundo carens;* hinc translate quidquid fines omnes excedit. Scite Hesychius; ἄβυσσος· πέρας οὐκ ἔχον. Hoc autem praeconio Virginem pariter ornat Tarasius, qui illam in oratione de eiusdem Praesentatione vocat τὸ δοχεῖον τῆς χρηστότητος, τὴν τῶν θαυμάτων ἄβυσσον, τὴν πηγὴν τῶν ἀγαθῶν, *benignitatis receptaculum, miraculorum abyssum, fontemque bonorum.*

fons atque origo; sed ex hoc fonte atque ex huiusmodi origine innumera propemodum gratiarum decorumque privilegia dimanarunt. Haec noverant patres, atque haec illorum mentibus obversabantur, dum Virginem miraculum, apicemque miraculorum nuncupabant. Quare tam eam dictam legimus *miraculorum abyssum* quam *charismatum pelagus:* et insignissima omnino sunt quae patres habent ut gratiis donisque omnigenis cumulatam refertamque Mariam depraedicent.

47. Et ad hanc sane inexpletam gratiarum varietatem efferendam ista pertinent quae Nicetas paphlago [a]) scribit: « Quum enim *multa* et *infinita* manifestentur in ea (Deipara), hoc primum est maximeque mirandum. » Eodem pertinent quae habet nicomediensis Georgius, dum angelos de Virgine adhuc puellula sic loquentes [b]) inducit; « Novum ac stupendum quod cernitur, nobisque ignotum. Videtur femina mente nostra superior. Prae hac una insignia naturae nostrae dona deficiunt. » Et eodem ista pertinent, quibus commemoratus modo Georgius Virginem depingit [c]) exclamans: « O receptaculum [1]) gratia plenum apparens! o terrenam naturam suas ipsius rationes supergressam! o quae citra comparationem eiusdem modos superavit.! »

48. Atque huc pariter referri debent sive haec Gregorii thessalonicensis, quibus [d]) docet Gabrielem ad eam missum quam vocat « Sedem gratiarum divinarum, et omnibus divini Spiritus charismatis exornatam. » Sive haec [e]) Iohannis damasceni qui ait: « Hodie vitae thesaurus, gratiae abyssus vivifica morte obtegitur. » Sive haec

a) Orat. in nativ. sanctissimae Deiparae, apud Combefis. Auctar. l. III. pag. 438. A. Πολλῶν γὰρ καὶ ἀπείρων ἀποκαλυπτομένων ἐν αὐτῇ, τοῦτο πρῶτον καὶ θαυμασιώτατον.

b) Orat. VI. in ingressum Deiparae in Templum, apud Combef. Auctar. T. I. pag. 1118. A. Παράδοξον τὸ βλεπόμενον, καὶ ἡμῖν ἀγνοούμενον· γυνὴ τῆς ἡμῶν νοήσεως κρείττων ὁρᾶται· ἐν ταύτῃ μόνῃ τὰ τῆς ἡμετέρας φύσεως ἐξησθένησε πλεονεκτήματα.

c) Ibidem. Ὦ χάριτος πλῆρες δοχεῖον φαινόμενον· ὢ γηρᾶς φύσεως τὰ οἰκεῖα ὑπερβάσης γνωρίσματα· ὢ ἀσυγκρίτως τὰ μέτρα ταύτης ὑπερνικώσης.

d) Orat. in festum Annuntiat. apud Nicodemum monachum pag. 237. Καὶ χωρίον μὲν ταύτην θείων καὶ ἀνθρωπίνων χαρίτων κατανοῶν ὁ ἄγγελος, καὶ διὰ πάντων κεκοσμημένην τῶν χαρισμάτων τοῦ θείου πνεύματος.

e) Orat. II. in Deiparae dormit. §. II. pag. 870. A. Σήμερον ὁ τῆς ζωῆς θησαυρὸς, ἡ τῆς χάριτος ἄβυσσος θανάτῳ ζωηφόρῳ καλύπτεται.

1) Ioh. 1. 14.

universali graecae Ecclesiae suffragatione [a]) munita: « Ave, o veneranda, quae es donorum abyssus: ave salutis nostrae praesidium, o Virgo deipara, sola plene laudabilis. » Sive demum haec [b]) quae eodem auctoritatis pondere commendantur: « Totam in te charismatum abyssum depositam novimus. »

ARTICULUS IV.

Testes sunt patres eam credi Mariam oportere, cui gratiae plenitudo insit, quae tanta nituerit puritate, ut digna divinae maternitatis charismate apparuerit, quae Deo prae creaturis universis sit carissima, quae alterum secundum Deum puritatis sanctitatisque gradum obtineat, quaeque adeo pro meritis proque sua praestantia celebrari nequeat.

49. Lege quadam cogitandi loquendique efficitur, ut si quid animis nostris paullo altius insederit, mentesque nostras in suimetipsius amorem stuporemque rapuerit; id nobiscum frequenter reputare, iteratis actibus contemplari, et multiplici formularum varietate efferre oculisque subiicere quodammodo gestiamus. Exploratissimum autem esse debet, talem patribus fuisse Mariam, eiusque speciem formamque illorum mentibus tam alte insedisse, ut eam sibi crebro repraesentarint et aptioribus quibus possent coloribus exprimere atque excitare contenderint. Quare quum de eiusdem gratia, deque singulari eiusdem puritate et sanctimonia, quae ex gratia efflorescunt, nobilissime sentirent; vix ullos praetermisisse videntur dicendi modos, qui ad conceptam animis effigiem expromendam conducerent.

50. Enimvero si Petrum Chrysologum audimus, non aliam gratiae copiam ubertatemque fas est Mariae tribuere, nisi quae sit eiusdem plenitudo. Sic enim ille [1]) scribit: « Hanc gratiam detulit Angelus, accepit Virgo salutem seculis redditura. Ave [2]) gratia plena, quia singulis gratia se est largita *per partes;* Mariae vero *simul se*

a) Men. die XXIX. April. Ode α'. pag. 121. col. 1. Χαῖρε σεμνὴ, τῶν δωρημάτων ἡ ἄβυσσος· χαῖρε ὀχύρωμα τῆς ἡμῶν σωτηρίας, παρθένε θεότοκε, μόνη πανύμνητε.

b) Men. die XXX. Ian. Ode α'. pag. 247. col. 1. Ὅλην ἐν σοὶ τῶν χαρισμάτων τὴν ἄβυσσον ἀποκειμένην ἔγνωμεν.

1) De Annuntiat Serm. CXLIII. 2) Luc. I. 28

totam dedit gratiae plenitudo. » Si vulgato neocaesariensi Gregorio [1]) fidem adiungimus, ea fuit gratia Mariae, quae dici *perfecta* numerisque omnibus absoluta debuit. « Per te, sic ille [a]) Mariam compellans, o gratia plena, Trinitas sancta in mundo cognoscitur. Tecum et nos dignare participes esse *perfectae* gratiae tuae. » Si [b]) Iohanni damasceno obsequimur, ea gratia Virgo splenduit, qua caelis amplior redderetur. « Non enim, *inquit,* corporeae molis ratione locus amplior caelo extitit; verum per gratiam potius, celsitudinis et profunditatis modum excessit. » Quare [2]) in vetustis Ecclesiae hymnis de ea canitur:

» Vere gratia plena es
» Et gloriosa permanes,
» Quia ex te nobis natus est
» Christus per quem facta sunt omnia.

Et [3]) rursum:

» Tu caelestis paradisus,
» Libanusque non incisus
» Vaporans dulcedinem:
» Tu candoris et decoris,
» Tu dulcoris et odoris
» Habes plenitudinem.

Quibus haec respondent [c]) ex Iohanne Euchaita: « Totam in te charismatum abyssum sitam agnovimus. » In quam sententiam ista pariter redeunt quae nicomediensis Georgius [d]) habet: « Quam (beatissimam scilicet Virginem) gratia replevit, et egentium penu locuples adornavit. »

a) In annuntiat. Deiparae serm. II. pag. 25. *Διά σοῦ, κεχαριτωμένη, τριὰς ἅγια ἐν τῷ κοσμῷ γνωρίζεται· μετὰ σοῦ καὶ ἡμᾶς καταξίωσον μετασχεῖν τῆς τελείας σου χάριτος.*

b) Orat. I. in Deiparae dormit. §. XIII. pag. 867. A. *Οὐ γὰρ σωματικοῖς ὄγκοις οὐρανοῦ πλατύτερον ἐγένετο· τῇ δὲ χάριτι μᾶλλον παντὸς ὕψους καὶ βάθους τὸ μέτρον ὑπερηκόντισε.*

c) Thesaur. hymnolog. T. III. pag. 117. *Ὅλην ἐν σοὶ τῶν χαρισμάτων ἄβυσσον ἀποκειμένην ἔγνομεν.*

d) In ingressum Deiparae in templum orat. IV. apud Combefis. Auctar. T. I. pag. 1131. C. *Ἣν ἡ χάρις ἐνέπλησεν, καὶ ταμεῖον τῶν ἐνδεῶν κατεσκεύασε.*

1) Porro de tribus orationibus in Annuntiationem a Vossio editis et Gregorio thaumsturgo adscriptis, dignus est qui prae ceteris sudiatur Leo Allatius in diatriba III. de Theodoris eorumque scriptis, quam em. Mai in T. VI. Novae PP biblioth. publici iuris esse voluit.

2) Thesaur. hymnolog. T. I. pag. 80.

3) Thesaur. hymnolog. T. II. pag. 82.

51. Et eo usque Deus sua gratia suisque donis Virginem auxit, ut ipsa prorsus digna fuerit quae in *Dei sponsam matremque Unigeniti* eligeretur. Haec est fides graecae ecclesiae, quam his omnino verbis [a]) eadem profitetur: « Qui digni habiti sunt (apostolos intellige et Christi Domini discipulos) ut Deum corporaliter intuerentur, te praedicaverunt Virginem sponsam *dignam Patre et ipsius Deitate,* tum genitricem, o Puella, Verbi ac Dei, nec non Spiritus sancti habitaculum. In te siquidem [1]) tota divinitatis plenitudo inhabitavit corporaliter, quum plenissima esses gratia. » Atque haec est minime dubia latinae ecclesiae sententia, quemadmodum publici ostendunt eiusdem libri, in quibus [2]) legimus: « Beata Virgo, cuius viscera *meruerunt* [3]) portare Christum Dominum. »

52. Quare vetustus eius expositionis auctor in libros Regum, quae tribui Gregorio solet, dum [4]) allegorice ad Virginem accommodat quae de monte *Ephraim* memorantur, inquit: « Potest autem huius montis nomine beatissima semper virgo Maria Dei genitrix designari. Mons quippe fuit, quae omnem electae creaturae altitudinem electionis suae dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, *quae ut ad conceptionem aeterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros usque ad solium Deitatis erexit?* huius enim montis praecellentissimam dignitatem Isaias [5]) vaticinans ait: *erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium.* Mons quippe in vertice montium fuit, *quia altitudo Mariae supra omnes sanctos refulsit.* » Ac merito tantopere refulsit, monente siquidem [6]) vulgato Anselmo « Decebat

a) Paraclit. pag. 403. col. 1. Νύμφην σὲ Παρθένον ἐκήρυξαν τὴν ἀξίαν τοῦ πατρὸς καὶ τῆς θεότητος αὐτοῦ, οἱ θεὸν ἀξιωθέντες κατιδεῖν σωματικῶς, καὶ λόγου καὶ θεοῦ, κόρη, γεννήτριαν, καὶ πνεύματος ἁγίου οἰκητήριον· ἐν σοὶ γὰρ πᾶν τῆς θεότητος σωματικῶς κατεσκήνωσε τὸ πλήρωμα, πληρεστάτης οὔσης χάριτος.

1) Coloss. I. 19, II. 9.

2) Cf. commune Deiparae officium, itemque vulgatissimam antiphonam, qua, referente Durando in rationali lib. VI. cap. LXXXIX., tunc Angelus Virginem salutavit, quum Gregorius Magnus propter pestis calamitatem supplicantium turbam per urbem duceret:

» Regina caeli laetare, Alleluia
» Quia quem meruisti portare, Alleluia
» Resurrexit sicut dixit, Alleluia
» Ora pro nobis Deum, Alleluia.

3) In Officio et Missa Immacul. Concept. pro Ordine Minorum, die VIII. decembris legimus: « *Deus qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti, quaesumus ut qui ex morte eiusdem Filii tui praevisa eam ab omni labe praeservasti....* »

4) Exposit. in 1. Reg. 1. pag. 9.

5) Is. II. 2.

6) De Concept. virginal. cap. XVIII. Hoc autem Anselmi testimonio saepissime utitur Thomas (I. II. q. LXXXI. a. V. ad 3, III. p. q. XXVII. a. II. ad 2, I. dist. XVIII. q. II. a. IV. ad 4, III. dist. III. q. I. a. I. et q. II. a. III.) ut summam maximamque Virginis innocentiam puritatemque demonstret.

ut illius hominis (Christi) conceptio de matre *purissima* fieret. Nempe decens erat, ut ea puritate *qua maior sub Deo nequit intelligi,* Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genitum tamquam se ipsum diligebat, ita dare disponebat ut *naturaliter* esset unus idemque *communis* Dei Patris et Virginis filius: et quam ipse Filius *substantialiter* facere sibi matrem eligebat: et de qua Spiritus sanctus volebat et operaturus erat, ut conciperetur et nasceretur [1]) illud de quo ipse procedebat. »

53. Nam, quae est ipsissima Thomae [2]) doctrina: « Illos quos Deus ad aliquid elegit, ita praeparat [3]) et disponit ut ad id ad quod eliguntur, inveniantur idonei secundum [4]) illud: *idoneos nos fecit ministros novi Testamenti.* Beata autem Virgo fuit electa divinitus ut esset mater Dei. Et ideo non est dubitandum quin Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddiderit, secundum quod Angelus ad eam [5]) dicit: *invenisti gratiam apud Deum, ecce concipies.* Non autem fuisset idonea mater Dei, *si peccasset aliquando,* tum quia honor parentum redundat in prolem, secundum [6]) illud, *gloria filiorum patres eorum;* unde et per oppositum ignominia matris ad filium redundasset: tum etiam quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit. Dicitur [7]) autem, *quae conventio Christi ad Belial?* tum etiam quia singulari modo Dei Filius, qui est [8]) Dei sapientia, in ipsa habitavit non solum in anima sed etiam in utero. Dicitur [9]) autem, *in malevolam animam non intrabit sapientia nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Et ideo simpliciter fatendum est quod beata Virgo nullum actuale peccatum commisit nec mortale nec veniale, ut sic in ea impleatur quod [10]) dicitur: *tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* » Immo, eodem Thoma auctore fatendum est, beatam Virginem cuiusvis etiam originalis maculae fuisse expertem. Ait [11]) enim: « Puritas intenditur per recessum a contrario, et ideo potest aliquid creatum inveniri quo *nihil purius* esse potest in rebus creatis, *si nulla contagione peccati inquinatum sit.* Et talis fuit *puritas beatae Virginis,*

1) Matth. I. 20. ubi *generis* permutatio in oculos incurrit.

2) III. p. q. XXVII. a. IV.

3) Huc faciunt verba sancti Bernardini senensis qui serm. X. ait: « Regula firma est in sacra theologia, quod quandocumque Deus aliquem eligit ad aliquem statum, *omnia bona* illi dispensat quae illi statui *necessaria* sunt et illum *copiose* decorant. »

4) II. Cor. III. 6.

5) Luc. I. 30.

6) Prov. XXVI. 6.

7) II. Cor. VI. 15.

8) I. Cor. I. 24

9) Sap. I. 4.

10) Cant. IV. 7.

11) Sent. I. dist. XLIV. q. I. a. III. ad 3.

quae a peccato originali et actuali immunis fuit. Fuit tamen *sub Deo*, in quantum erat in ea *potentia* ad peccandum. » Et [1]) rursum: « Ad illud quod obiicitur de beata Virgine, dicendum est quod differt puritatis augmentum et caritatis. Augmentum enim puritatis est secundum recessum a contrario: et quia in beata Virgine fuit depuratio *ab omni peccato*, ideo pervenit *ad summum puritatis*, sub Deo tamen in quo non est aliqua potentia deficiendi, quae est in qualibet creatura quantum in se est. » Hac summa puritate meruit Virgo, ut ex ea Dei Filius carnem sumeret, incarnatusque nasceretur. Quod Thomas docet [2]) his verbis: « Quod beata Virgo dicitur *meruisse* portare Dominum omnium, non dicitur quia meruit ipsum incarnari, *sed quia meruit ex gratia sibi data illum puritatis et sanctitatis gradum, ut congrue posset esse mater Dei.* » Atque hac summa puritate meruit Virgo, ut de ea Thomas affirmare [3]) non dubitaverit: « Sub Christo qui salvari non indiguit, tamquam universalis Salvator, *maxima fuit beatae Virginis* puritas. »

54. Ex tanta Virginis dignitate, tantaque gratiae sanctitatisque plenitudine consequens omnino erat, ut Virgo prae ceteris creaturis Deo foret acceptissima, alterum secundum Deum excellentiae gradum sortiretur, cum Filio altissimo atque inexplicabili ipsa quoque pro creaturae modo altissima atque inexplicabilis sociaretur, ac tandem omnibus superior praeconiis et omnibus celsior laudibus proclamaretur. Iamvero, quod consequens erat, id Patres luculentis iteratisque sententiis tradiderunt. Et Georgius quidem nicomediensis [a]) tradidit, Virginem prae universis creaturis Deo esse acceptissimam, inquiens: « Neque comparationi subditur quae *sola* super omnes creaturas honorificata a Deo est. » Ephraem vero ac Modestus hierosolimitanus praesul tradiderunt Mariam esse, cui alter secundum Deum dignitatis locus gradusque competit. Ephraemus namque est a quo Virgo [b]) salutatur. « Plenitudo gratiarum augustae Trinitatis, utpote quae secundas post divinitatem partes teneat. »

a) In sanctae Annae concept. orat. II. apud Combefis. Auctar. T. I. pag. 1038. C. Οὐδὲ συγκρίσει καθυποβάλλεται, Θεῷ μόνον πάντων ὑπερτετιμημένον κτισμάτων.

b) Prec. IV. opp. gr. lat. T. III. pag. 529. A. Τριαδικῶν χαρίτων πλήρωμα, ὡς τὰ δεύτερα τῆς Θεότητος φέρουσα.

1) Sent. I. dist. XVII. q. II. a. IV. ad 3.

2) S. III. p. q. II. a. XI. ad 3.

3) Ibid. a. II. ad 2.

Ac Modestus est qui de Virgine [a]) scribit: « Et quando statuit atque decrevit iuxta beneplacitum suum Christus Deus noster apud se assumere beatissimam matrem suam, omnium secundum illum praestantissimam. » Ab his vero ne minimum quidem haec distant quae [1]) Emanuel Palaeologus de Virgine habet: « Quantum inter gloriam tuam summumque angelorum ordinem intersit, solus noverit Deus; captum namque humanum fugit omnino, adeo superior es universa natura spirituum. Taceo enim genus nostrum mortale, quum Deo sis proxima, nihilque intermedium sinas inter te tuumque Filium, quod demonstratione ulla indigere non arbitror. » Neque haec distant quibus Iohannes Geometra Deiparam salutans nunc [b]) ait: « Salve quae sola accepisti regium honorem poli et caelestium mentium, tu quae altera es a Trinitate. » Nunc vero [c]) subdit: « Salve mihi o regina utriusque mundi, altera post regiam augustamque Triadem. » Quae [2]) in hymnis latinae ecclesiae his verbis efferuntur:

» Gaude Virgo mater Christi,
» Quia sola meruisti
» O Virgo piissima,
» Esse tantae dignitatis
» Quod sis sanctae Trinitatis
» Sessione proxima.

55. Quid vero ancyranus Theodotus? tam intime cum Filio matrem iungit atque sociat, ut haec omnes excessisse humanitatis fines et ad ipsam quodammodo divinitatis gloriam praestantiamque accessisse videatur. Theodoti sententia nequit esse luculentior, ita namque [3]) scribit: « *Sanctum* [4]) enim, quod *ex sancta* natum est, sanctum ac omnium Dominus sanctorum, sanctum et cuius sit ut

a) Encom. in beatam Virginem, n. 2. pag. 9. Καὶ ὅτε ἐξελέξατο καὶ ἠρετίσατο κατ' εὐδοκίαν . . . . Χριστὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν, προσλαβεῖν αὐτὴν πρὸς ἑαυτὸν τὴν παμμακάριστον μητέρα αὐτοῦ, τὴν μετ' αὐτὸν τῶν πάντων κρειττοτέραν.

b) Hymno I. in Deiparam vv. 47-48. pag. 438. B. in app. ad biblioth. graeco-lat.

Χαῖρε μόνη λεχόωσα πόλου βασιληΐδα τιμὴν
Οὐρανίων τε νοῶν, δεύτερα τῆς τριάδος.

c) Hymno II. in Deiparam vv. 93-94. pag. 440. C.

Χαῖρέ μοι ὦ βασίλεια, καὶ ἀμφοτέρων διὰ κόσμων
Βασιλικῆς τριάδος δεύτερα οἰοτάτης.

1) Orat. in Deiparae dormit. pagg. 55-56. apud Maraccium in Caesaribus marianis.

2) Thesaur. hymnolog. T. I. pag. 347.

3) Orat. in sanctam Christi nativ. n. 12. apud Galland. bibl. PP. T. IX. pag. 476. C.

4) Luc. 1. 35.

sanctitatem impertiat, *eximium* quod *ex eximia* nascitur, *inexplicabile* quod *ex inexplicabili* prodit, filius *altissimi* [1]) qui *ex altissima* oritur. » Nemo ergo mirabitur vel dum Martinum romanum Pontificem sancientem [2]) audit: « Quisquis beatam super omnem creaturam et naturam humanam, absque eo [3]) qui genitus est ex ea, venerabilem semperque virginem, matrem scilicet Domini nostri, non honorat atque adorat; anathema sit et in praesenti seculo et in futuro. » Vel dum Bernardum audit Pauli [4]) vestigiis inhaerentem, excellentiamque Virginis hoc argumento [5]) comprobantem: « Cui enim angelorum aliquando dictum est, *Spiritus sanctus* [6]) *superveniet in te?* tantoque excellentior angelis facta munere singulari, quanto differentius prae *ministris* nomen *matris* accepit. » Vel dum Thomam audit nunc quidem affirmantem [7]) dicendum esse: « Quod beata Virgo ex hoc quod est mater Dei habet quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito quod est Deus, et ex hac parte non potest aliquid fieri melius ea; » nunc vero statuentem [8]) credi oportere: « Quod unicuique a Deo datur gratia secundum hoc ad quod eligitur. . . . Et beata virgo Maria tantam gratiae obtinuit plenitudinem, ut esset *propinquissima* auctori gratiae. » Vel dum postremo a Bonaventura [9]) audit: « Eam esse Mariam, qua maiorem Deus facere non potest. » Etenim, quod Renaudotii [10]) solertiam haud fugit, nulla extat in liturgicis orientalium coetuum monimentis doctrina testatior, quam beatam Virginem esse *creaturarum omnium praestantissimam* et cum Deo quam proxime cohaerentem.

56. Fieri autem nequit ut non omnibus superior laudibus, omnibusque potior praeconiis ea existimetur, quae *inexplicabilis* dicitur, quaeque *altissima* et dignitatis ferme *divinae infinitaeque* particeps depraedicatur. Atque huc sane redit quod patres de Virgine

1) Luc. I. 32.

2) Epist. ad Theodorum quae sxtat in Anastasii collectaneia, apud Sirmondum T. III. pag. 507.

3) Consueto idiotismo et graecam formam referente, pro eo quod dicimus, *illo excepto*.

4) Hebr. I. 5.

5) Serm. da Nativ. beatae virginis Mariae da Aquaeductu pag. 1016.

6) Luc. I. 35.

7) S. I. p. q. XXV. a. VI. ad 4.

8) S. III. p. q. XXVII. a. V. ad 1.

9) In I. dist. XLIV.

10) Is enim in observat. ad liturgias syriacas pag. 98. scribit: « Pietatis orientalium erga beatam Virginem tot sunt srgumenta, ut libris ecclesiasticis, quorum aliqui quos Graecorum exemplo *Theotokia* vocant seu preces ad Deiparam, pleni sunt orationibus ad eam, ut res uberiori explicationa non indigeat: at iam de hoc argumento dictum est (*sed omnino parcissime* pag. 256.) in commentario ad copticam liturgiam Basilii. Iacobitae praesertim qui adversus Nestorianos de divina eius maternitate tractatus multos ediderunt, eam singulari veneratione prosequuntur. Unde in plerisque commemorationibus primo loco beata Virgo nominatur veluti *creaturarum praestantissima*: atque id observatur in graeca liturgia Iacobi, *ἐξαιρέτως τῆς παναγίας ἀχράντου καὶ ὑπερευλογημένης ἐνδόξου δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας·* nec aliter in reliquis Graecis. »

docent, quodque omnium nomine Germanus, Sophronius senior, Iohannes damascenus, Petrus Damiani et universa Graecorum ecclesia testantur, quum insculptam animis de praestantia Virginis effigiem palam faciunt atque promunt. Insigniter Germanus [a]) inquiens: « Sufficit tibi ad laudes, nos minime pares esse tuis encomiis efferendis. » Et [b]) rursum: « Nemo tuarum celsitudinem laudum oratione satis extulerit. Habes penes te proprium hymnum, quod Deipara demonstrata sis. » Concinit Sophronius [1]) his verbis: « Cum nec sanctitas nec facundia suppeditet, ut beatam et gloriosam virginem Mariam laudare queam; quoniam (ut verum fatear) quidquid humanis dici potest verbis, minus est a laude caeli: quia [2]) divinis est et angelicis excellentius praedicta et laudata praeconiis. » Suffragatur Iohannes damascenus qui [c]) de persolvendis Virginis laudibus scribit: « Fieri quippe non potest, ut pro rei dignitate eo munere defungamur. » Nec sane mirum, quando ipsemet [d]) exclamavit: « O Virginis praerogativas humana conditione maiores! » Suffragatur Petrus Damiani qui [3]) Virginem cum reliquo conferens beatorum choro ait: « Dum cuiuslibet martyris fortia facta extollere cupimus, dum virtutum eius insignia ad Redemptoris nostri gloriam praedicamus; etiamsi ad cogitandum tardior sensus impediat, vel ad loquendum balbutiens lingua non suppetat, verborum tamen copiam ipsius rei materia subministrat. Cum vero beatissimae genitricis Dei laudes scribere volumus, quia nova et inaudita sunt quae tractanda suscipimus, nulla invenimus verba quibus ad

a) Apud Nicodemum monachum pag. 666. *Ἀρκεῖ σοι πρὸς ἔπαινον τὸ μὴ εὐπορεῖν ἡμᾶς ἐγκωμιάσαι τὰ σά.*

b) In dormit. Deiparae serm. II. apud Combefis. Auctar. T. I. pag. 1466. B-C. *Οὐδὲ τὰ ὕψη σοῦ τῶν ἐγκωμίων ἱκανός τις ἐν λόγων κατευμεγεθῆσαι φωναῖς· ἔχεις σὺ παρ' ἑαυτῆς τὸν ἴδιον ὕμνον, ὅτι περ Θεοτόκος ἀνεδείχθης.*

c) Orat. I. in Deiparae dormit. §. XIV. pag. 867. D. *Τὸ γὰρ πρὸς ἀξίαν ἀνέφικτον.*

d) Ibid. §. VIII. pag. 863. C. *Ὦ παρθενικῶν αὐχημάτων τῶν ὑπὲρ ἄνθρωπον.*

1) Ad Paulam et Eustochium de assumpt. beatae Mariae virginis, inter Hieronymi opp. T. XI. pag. 95. F.

2) Luc. 1. 28.

3) Serm. XLV. idemque II. in Virginis nativ. pag. 109. col. 1. A-C. Quare Emanuel Palaeologus orat. in Virginis dormit. pagg. 59-60. « Alterum, *inquit*, e duobus erit omnino, aut nihil dicere de Virgine, aut si dicas laudare. Nulla enim ratione fieri potest ut loquaris de illa, et laus non sit quod loqueris; quandoquidem et ipsa et quidquid spectat ad ipsam, celebratissimam habent gloriam. Quare dignus plane venia sum, si inceptum sermonem prosequendo, quae dicam, insertas habebunt ipsius laudes, etsi nihil dici potest quod dignam contineat laudationem: non enim permittit hoc magnitudo gratiae qua pollet. Quis enim dignis illam laudibus celebret, quae caeli absidibus excelsior, radiis purior, res est omnium pretiosissima Deo. »

haec digne exprimenda sufficere valeamus. Tollit enim facultatem sermonis materia singularis. » Neque minus suffragatur universa Graecorum ecclesia in suis hymnis [a]) exclamans: « Omnis encomiorum modus, o innocentissima, dum te celebramus deficit, o Deo desponsata. »

ARTICULUS V.

Potiora consectaria eruuntur, atque illud inprimis, referri ad Virginem non posse infinitas loquutiones, quibus homines universi originali labe infecti perhibentur: illud deinde, originalem corruptelam ab ea Virginis specie longissime distare quam Patres repraesentant: tum illud tandem, praerogativam originalis innocentiae ad eam Virginis imaginem necessario pertinere, quam animis conceptam tanta colorum varietate Patres depingunt.

57. Quum humani sermonis proprium *generatim* sit, ut multa quidem eo diserte efferantur, non pauca tamen innuantur dumtaxat, intelligantur atque adsignificentur; multo id nihilominus patet latius evidentiusque deprehenditur, si *ad universales* traducatur *propositiones* quibus ille saepissime coalescit. Universales namque propositiones non male cum mathematicis formulis componuntur, quae ita variae prolixaeque supputationis supremos terminos sistunt, ut medios interiectosque non tam significent quam innexos implicatosque contineant, animoque intelligendos supplendosque demonstrent.

58. Iamvero tenue illud quidem, sufficiens tamen eorum specimen quae ad delineandam Virginis effigiem ex christianis monimentis Patrumque libris defloravimus, vix aliis quam *universalibus propositionibus* componitur. Universales enim propositiones sunt, quibus omnia quae ad Virginis innocentiam sanctitatemque pertinent, *nova* [1]) *insueta*, et *supra naturae modum legesque facta* perhibentur: universales sunt propositiones quibus eadem [2]) dicuntur *impervia, inaccessa, vim mentis praetergressa, solaque fide tenenda:* universales sunt propositiones quibus Virgo eiusque puritas *miraculum, miraculorum maximum et apex* [3]) nuncupantur: universales

a) Men. die XXVII. april. Ode γ'. pag. 114. col. 2. Ἅπας ἐγκωμίων, Πάναγνε, νόμος νῦν ἡττᾶται σε ἀνυμνεῖν, Θεονύμφευτε.

1) Sect. I. art. I. nn. 5. seqq.
2) Ibid. art. II. nn. 9. seqq.
3) Ibid. art. III. nn. 13. seqq.

sunt propositiones quibus non modo beatissima Virgo *creaturarum praestantissima atque sanctissima* [1]) audit, verum etiam eius *innocentia atque sanctitas* haud aliter [2]) exhibetur ac ut *immensae cuiusdam gratiae* fructus et corona: universales sunt propositiones quibus tanta Virgini puritas atque innocentia asseritur, ut illa [3]) ad Dei sanctitatem proxime accedat, atque alterum secundum Deum sanctitatis gradum obtineat: et ne singula denuo commemorem, reliquae item omnes propositiones eodem universalis amplitudinis charactere distinguuntur.

59. Nostrum igitur erit sedulo inquirere quid hisce contentum sit propositionibus, quid inclusum, quid adsignificatum, et quid propterea in iisdem intelligentia supplendum. Paucis nostrum erit penitius investigare, quae necessario cogitaverint Patres quaeque ipsorum animis necessario affulserint ut eas usurpare possent de Virgine propositiones quas crebro solemniterque ab iisdem frequentatas cognovimus. Quod dum exequimur, ita ex iis quae praecedunt *consectaria* eruimus, ut si a nobis rite illa deducantur, non secus ac totidem sententiae doctrinarumque capita a patribus supposita, adsignificata atque intellecta censenda sint.

60. Nullum vero consectarium illi praeponendum est, quo funditus princeps convellitur argumentum ab iis olim adhibitum, quibus primordia Virginis obstricta originis culpa videbantur. Hi enim validissimum inde telum arcessebant quod Paulus [4]) affirmet, *omnes peccasse et egere gloria Dei;* quod [5]) scribat, *eramus natura filii irae, sicut et ceteri;* et quod [6]) addat, *per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

Me sane non latet quod inter innumeros scite Petavius [7]) animadvertit: « Generales illas enuntiationes in Scripturis communi et humano more saepius usurpari, ut *non ad totum referenda sit vox omnis, sed ad partem maximam;* quam regulam enarrandae Scripturae prudenter [8]) Hieronymus praescribit: ut cum propheta [9]) dicit, *omnes declinaverunt.* Et [10]) alibi, *non est homo qui non peccet.* Et [11]) *omnes quotquot venerunt* (ante me), *fures sunt et latrones.* Cuius-

1) Ibid. nn. 17. seqq.
2) Ibid. n. 19.
3) Ibid. art. IV. n. 20. seqq.
4) Rom. III. 23.
5) Ephes. II. 4.
6) Rom. V. 12.
7) De Incarnat. lib. XIV. cap. II. n. XII.
8) Epist. CXLVI.
9) Ps. XIII.
10) III. Reg. VIII. 47.
11) Ioh. X. 8.

modi loca tum Hieronymus, tum [1]) Augustinus ad illum sensum accommodant. » Neque me latet quod idem Petavius [2]) continuo subiicit: « Enimvero si generales istiusmodi Scripturae sententiae ad extorquendam originalis in Virgine munditiae fidem idoneae sunt, multo magis ad eam, quae proprio et *actuali* peccato contraria est. Itaque nefas erit affirmare, beatam Mariam proprium nullum admisisse delictum; ac falso iidem illi doctores [3]) existimaverint, non modo sanctitatem ei communicatam in matris utero iam conceptae, sed etiam originalis delicti vestigium, idest concupiscentiae morbum, quem *peccati fomitem* appellant, vel restinctum et omnino sublatum fuisse, vel devinctum ac repressum. »

Immo menti pariter obversantur sive quae ante Petavium Catharinus, sive quae post utrumque sanctus Alphonsus Maria De Ligorius litteris consignarunt. E quibus ille [4]): « Vos struitis syllogismos et dicitis: *omnes homines in Adam mortui sunt; ergo et Maria quae fuit homo.* Sed audite [5]) regium verbum et inauditam sententiam: *pro omnibus constituta est haec lex, sed non pro te,* Esther mea. Audite quae non discuntur in physicis aut dialecticis: non est *inter omnes* aut *inter homines* [6]) Regina, sed *supra omnes* et *supra hominem.* » De Ligorius vero suam his verbis [7]) sententiam complexus est: « Opponunt adversarii illud [8]) Apostoli, *omnes in Adam peccaverunt.* Sed respondetur, argumentum probare nimis, quia probaret esse *de fide* quod beata Virgo maculata fuisset, quod nemo dicit nec dicere [9]) potest. Itaque Scriptura haec accipienda est cum exceptione beatae Mariae: in Scriptura enim etiam universaliter [10]) asseritur, *non est homo qui non peccet,* et [11]) *in multis offendimus omnes.* Et tamen de fide est, ut declaravit [12]) Tridentina synodus, beatam Virginem nullam culpam actualem commisisse. »

1) In Ioh. Tract. XLV.

2) Loco cit.

3) Illos intelligit, quos abusos universalibus eiusmodi testimoniis ad oppugnandum Immaculatum Virginis conceptum arbitrabatur.

4) Disput. pro imm. Concept. lib. III. tit. de obiectis Scripturae locis.

5) Esther XV. 13.

6) Quod veteres scholastici his etiam illustrabant ex II. tit. III. de legibus, Leg. XXXI: « Princeps legibus solutus est. Augusta autem licet legibus soluta non sit, Princeps tamen eadem illi privilegia tribuit quae et ipse habet. »

7) Theol. Mor. lib. VII. cap. II. dub. IV. art. III.

8) Rom. V.

9) Sunt enim apertissima Tridentinae Synodi verba, quae Sess. V. ad calcem decreti *de peccato originali* habentur: « Declarat tamen haec ipsa sancta Synodus non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam virginem Mariam Dei genitricem; sed observandas esse Constitutiones fel. rec. Xisti Papae IV. sub poenis in eis Constitutionibus contentis, quas innovat. »

10) II. Paral. VI. 36.

11) Iacob. III. 2.

12) Sess. VI. can. XXIII.

61. Nihilominus ne his potissimum insistam, aut in his supremum caussae praesidium collocatum arbitrer, efficit responsio sane evidentior quae ex unanimi Patrum doctrina sua sponte oboritur. Ecquo enim redeunt quae inculcata in Scripturis leguntur? huc credo, universam Adae posteritatem non antea concipi quam originali culpa obligetur, omnesque prorsus homines in Adam peccasse. Audio, sed haec ipsa quae in dedecus, ignominiam, perniciemque vergunt totius humanae naturae, communia ne illi quoque censeri possunt, prae qua omnia credimus *nova*, omnia *insueta*, omnia *praeter supraque naturam* evecta? communia ne illi quoque censeri possunt quae inter homines universos spectari veluti *miraculum* debet, neque *miraculum* dumtaxat, sed *miraculorum apex* et *fastigium?* communia ne illi quoque censeri possunt quae *supra omnes gratia enituit, ipsamque gratiae plenitudinem* consequuta est? communia ne illi quoque censeri possunt cuius puritas tanta est, *ut non angelicam modo innocentiam vincat, sed ipsam propemodum exprimere divinam sanctitatem* videatur? si qui ita sentiant vel ista animo concoquere possint, eos dixerim tum omnem iudicii sanitatem quum ipsam etiam humanitatem funditus exuisse. Atqui talis est Virgo, si Patribus fidimus, et talis prorsus est eiusdem species ac forma, si nostram eisdem assensionem adiungimus. Seponantur ergo eiusmodi Scripturarum oracula, et axiomatis instar constantissime stabiliatur, non aptius ea in Virginem cadere ac tenebrae cum luce cohaereant, et quae infima abiectaque sunt cum eo quod eminet excellitque, componantur.

62. Quid quod ex eodem capite inversum et oppositum e diametro argumentum non obscure dimanat? sane perspicue ratio exigit, ut si quae hinc innocentiam laedant, inde vero certum quemdam creaturarum ordinem universim depravent, ab ea longissime amandentur quae supra hunc ordinem altissime sita ipsos quodammodo purissimos divinitatis radios aemulatur. Fas enim non est sive superiorem celsioremque ordinem ad subiectum inferioremque detrudere, sive quae dignitate puritatisque excellentia summopere distant, eodem metiri palmo, et ad unam eamdemque legem normamque revocare. Iamvero quemadmodum exploratissima est scripturarum doctrina, universam Adae posteritatem a suis usque primordiis culpa sordescere, ita consors est Patrum [1]) traditio, bea-

1) Cuius luculentissima testimonia retulimus, et plura numero neque minus luculenta deinceps referemus.

tissimam Virginem ab hoc ordine adamiticae posteritatis toto esse caelo seiunctam, altissime super illum efferri, prae illo non secus ac miraculum portentumque duci oportere, ipsosque divinitatis veluti fines attingere. Ea namque est, ut Iohannes damascenus [a]) loquitur, *Domina et omnium creaturarum dominatrix:* ea est, ut Theodorus hierosolymitanus patriarcha [b]) scribit, *omni tam intelligibili quam sensibili natura non minus gloria quam splendore praestantior:* et eam, quae sunt [c]) Germani constantinopolitani praesulis verba, *universa visibili et invisibili creatura superiorem arbitramur.* Ut enim Petrus Damiani [1]) ait: « Attende Seraphim, et in illius superioris naturae supervola dignitatem, et videbis quidquid maius est, minus Virginc, solumque opificem opus istud supergredi. » Quare [2]) pergit: « Non aliquis antiquorum, non quisquam sequentium Patrum huic beatissimae Virgini poterit comparari. Quid enim sanctitatis, quid iustitiae, quid religionis, quid perfectionis singulari huic Virgini deesse potuit, quae totius divinae gratiae charismate plena fuit? » inferri igitur debet, eorumque numero quae indubia compertaque sunt censeri, originalem corruptelam eo etiam nomine a Virgine alienissimam existimandam esse, quod illa communis sit, universalis, omnesque ex carne natos inficiat atque deturpet.

63. Huius autem consectarii veritas multo etiam liquidius innotescet, si animus ad eam peccati originalis descriptionem ac prope faciem advertatur, quae ex indubitatis catholicae fidei regulis desumitur. Ex his enim [3]) apparet, *originale peccatum, quod origine unum est, et propagatione non imitatione transfusum, omnibus inesse unicuique proprium,* ita vero singulis inesse ut qui illud contrahunt, protinus *inquinentur, sint immundi, innocentiam perdant, natura reddantur filii irae, peccati fiant servi, et sub diaboli potestatem*

a) Orthod. Fidei lib. IV. cap. XV. Κύρια καὶ πάντων κτισμάτων δεσπόζουσα.

b) Epist. synodic. quam Synodus VII. adprobavit, legiturque Act. III. Τὴν ὄντως θεομήτορα, καὶ πρὸ τοῦ τόκου καὶ μετὰ τόκον παρθένον, καὶ πάσης νοητῆς τε καὶ αἰσθητῆς ὑπερτέραν δόξῃ τε καὶ λαμπρότητι δεδημιουργημένην φύσεως.

c) Epist. ad Iohannem Episcopum Synadensem, quae lecta probataque fuit Act. IV. Synodi VII. Καὶ γὰρ ὡς κυρίως, καὶ ἀληθῶς μητέρα θεοῦ τοῦ ἀληθινοῦ σέβομεν αὐτὴν, καὶ μεγαλύνομεν, καὶ πάσης ὁρατῆς καὶ ἀοράτου κτίσεως ὑπερτέραν λογιζόμεθα.

1) De Nativ. beatae Mariae virginis Serm. I. pag. 121.

2) De Nativ. beatae Mariae virginis Serm. III. pag. 128.

3) Quae omnia habentur Sess. V. Tridentini Concilii in decreto de peccato originali, et Sess. VI. de iustificatione cap. I.

redigantur. Age iam, atque hanc originalis culpae verissimam delineationem cum ea Virginis specie et idea contendito quam Patres repraesentant. Quid cernis? aut quid te stupentem defixumque habet? cernis et de mira stupes utriusque imaginis pugna, dissidioque insociabili. Peccatum namque originale hominem *inquinat,* Maria *cuiusvis* expers est *inquinamenti:* peccato originali homo est *immundus,* Mariae *mundities* ipsum quoque angelicum nitorem supergreditur: peccatum originale hominem *innocentia privat,* Maria est *innocentissima* et ipsa prope innocentiae forma: propter originale peccatum homo *natura* redditur *irae filius,* Maria est *undequaque benedicta:* originali peccato fit homo *peccati servus,* Maria *alterum secundum Deum puritatis sanctitatisque gradum* occupat: denique originali peccato venit homo *sub diaboli potestatem,* at Maria *celsior est Seraphim,* deque ea repeti cum Bonaventura [1]) debet. « Congruum fuisse ut beata virgo Maria, per quam aufertur nobis opprobrium, vinceret diabolum, ut nec ei succumberet *ad modicum.* »

64. Quod Patres, ut istud etiam sin minus in praesentia explanemus, brevissime saltem innuamus, iis effatis iisque sententiis aperte significant quas retulimus, et quibus Mariam [2]) vocant *salutis caput, eorum qui salvantur portam, lapsorum revocationem et instaurationem ac maledicti solutionem.* Ecquid enim ista sibi volunt? aut quo singularis praerogativa spectat, qua Maria dicitur *lapsorum revocatio et instauratio ac maledictionis solutio?* vel nullus hisce formulis sensus subest, vel hoc eisdem ostenditur: ex eorum numero atque ordine qui ceciderint quique in maledictionis sententiam offenderint, eximi Virginem oportere. Et re sane vera potuit ne Virgo lapsos instaurare atque erigere, si et ipse iacuerit? aut potuit ne Virgo maledictione obstrictos solvere, si et ipsa maledictionis onus iramque sustinuerit? « Oportuit, inquit [3]) Thomas, eum qui peccata venit tollere, esse [4]) segregatum a peccatoribus quantum ad culpam cui Adam subiacuit. » Sed vox est ecclesiae, Patrumque doctrina, per Virginem quoque maledictionem fuisse solutam, et ad Virginem quoque, suo licet modulo, pertinere, ut ea credatur lapsorum erectio atque ruinae instauratio. Oportuit igitur ut Virgo segregata esset a peccatoribus quantum ad culpam cui

1) In III. dist. III. a. II. q. II.

2) Cf. superiora quae Virginem sistunt ut τῶν πεσόντων ἀνάκλησιν, κεφάλαιον σωτηρίας, πεπτωκότων ἀνορθῶσα, τὴν θύραν τῶν σωζομένων, τῆς ἀρᾶς τὴν λύσιν.

3) S. III. p. q. IV. a. VI. ad 2.

4) Hebr. VII. 26.

Adam subiacuit. Hinc, quod sedulo animadverti debet, in iisdem christianae traditionis suffragiis, quibus Virgini asseritur *maledictionis solutio, lapsorumque instauratio,* ea pariter dicitur παντευλόγητος, *undequaque benedicta* et μόνη πανύμνητος, *sola digna quae undequaque celebretur.* Quod videlicet haec intime nexa sint penitusque devincta, quodque ea solum maledictionem potuerit solvere, lapsosque erigere, quae nonnisi benedictionis concors fuerit atque particeps, quaeque nihil contraxerit nihil effecerit quod non foret laudibus prosequendum. Quare de ea quae celsior est puriorque Angelis, multo affirmari debet confidentius quod de his Bernardus [1]) scribit: « Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur, sic illum de captivitate eruens, sicut hunc a captivitate defendens. Et hac ratione fuit aeque utrique redemptio, solvens illum et servans istum. » Ceterum haec quae obiter innui, leviterque perstrinxi, nolim alio loco haberi quam rudis supremaeque cuiusdam delineationis, quae suis deinde coloribus excitabitur.

1) In Cantic. Serm. XXII. n. 6. pagg. 1341.



SECTIO SECUNDA

VIRGINIS APPOSITA

De insignioribus appositis quibus beatissima Dei mater in ecclesiasticis monimentis, Patrumque operibus honestatur: deque omnimoda puritate qua Virgo ab ipsis excelluisse primordiis efficitur.

65. Ut delineatam Virginis effigiem ac nonnisi supremis lineis designatam eiusdem faciem excitemus, adiectisque coloribus perfectam motu quodammodo vitaque donemus; nihil succurrit factu opportunius quam ab iis epithetis appositisque exordiri quibus sanctissima Dei mater in ecclesiasticis monimentis Patrumque libris ornatur, eiusque puritas uno ore sic effertur ut plenissima, originalis, nulloque umquam taminata naevo declaretur. Hoc enim investigationis exordium quum aliis titulis, tum iis se potissimum commendat, qui ex facilitate et perspicuitate ducuntur. Ecquid enim facilius, quidve pronius quam uno veluti mentis adspectu epitheta atque apposita complecti, quibus Christianae antiquitati solemne fuit Mariam honestare, eiusque puritatem illaesamque innocentiam ostendere? non vacat quidem labore, neque expers est molestiarum eiusmodi epitheta ex innumeris ferme libris decerpere, decerpta ordinare, atque ex iis apte solerterque digestis quid consequens sit acute subtiliterque introspicere; sed neque arduum est neque salebris impeditum ad ista omnia animum advertere, si ea alterius curis vigiliisque concinne disposita nonnisi contemplanda oculis obiiciantur.

66. Cum facilitate iungitur perspicuitas et probationis quae ex hoc epithetorum fonte elicitur evidentia. Quod enim de nominibus generatim affirmatum [1]) legimus, dicta illa esse *a noscendo*, quod res singulas illarumque dotes patefaciant: quod de iisdem alexandrinus Clemens et Pachymeres universim docent, ille dum [a]) ait,

a) Stromat. lib. VII. pag. 781. *Τὰ ὀνόματα σύμβολα ἐστὶ τῶν νοημάτων.*

1) Apud festum, quo auctore, sicut a *moveo*, *movi* est inusitatum *movimen*, et per syncopen *momen*; ita a *nosco*, *novi* est *novimen*, et per syncopen *nomen*.

nomina esse signa eorum quae animo cogitantur, iste dum [a]) subdit, *nomen etymologiam quamdam esse ex iis quae rei nominatae adsunt*, et [b]) rursum, *nomina esse rerum subiectarum declarativa;* idipsum de adiectivis, appositis atque epithetis affirmetur ac repetatur necesse est. Idcirco autem necesse est, tum quia haec etiam nominum genere comprehenduntur, tum quia propterea adhibentur et usu loquendi scribendique recepta sunt, ut quae principe nomine atque substantivo non satis exprimuntur, liquidius pleniusque iisdem intersertis demonstrentur. Hinc apud Hebraeos grammaticos [1]) obtinuit, ut ea *formae nomina* vocarentur.

67. Si quae igitur probatio de loquentium scribentiumque mente atque sententia ex epithetis appositisque constanter adhibitis desumatur, ea censeri evidens debet, quum evidens atque penitissimum sit vinculum, quo cum ideis notitiisque loquentium atque scribentium usurpata ab iisdem adiectiva cohaerent. Haec nimirum probationis ratio ab illa vix abest, qua de natura ex eiusdem operationibus decernitur, et qua de substantia ex eiusdem modis formisque iudicatur. Neminem vero comperiri arbitror, qui aut istud probationis genus improbet, aut eo summopere, utpote obvio atque perspicuo non delectetur. Fas igitur non est de ea probatione secus existimare, qua intimior subiecti cognitio, pleniorque ornamentorum quibus illud fulget notitia ex adscriptis eidem appositis derivetur.

68. Praesertim quum fulgentissima Ecclesiae lumina, quo nomine Facundus Hermianensis [2]) Patres appellat, hoc argumenti genus et ipsi excolendum susceperint et strenue vindicandum esse existimarint. Excolendum suscepit vulgatus Dionysius, cuius illustre opus de divinis nominibus huc tandem recidit, ut ex epithetis sive propriis sive translatis Deo Optimo Maximo in Scriptura tributis ad perfectiorem, quae pro hac mortalitate sperari potest, eiusdem notitiam mentes animosque legentium perducat ac provehat. Excolendum suscepit in aureis contra arianos orationibus Athanasius, qui ex epithetis Filio adscriptis validissima mutuatur argumenta quibus illum

a) In comm. ad cap. I. Dionysii de divinis nominibus. Τὸ ὄνομα ἐτυμολογία τίς ἐστιν ἐκ τῶν προσόντων τῷ ὀνομαζομένῳ πράγματι.

b) Ibid. pag. 481. Τὰ ὀνόματα, δηλωτικά εἰσι πραγμάτων ὑποκειμένων.

1) De Hebraeorum grammaticis qui concretum nomen dicunt שֵׁם הַתֹּאַר, *nomen formae*, loquitur Glassius Philologias Sacrae Tractatu I. de nomine, can. I. pagg. 3-5.

2) Pro tribus capitulis lib. VI. pag. 262.

tam e creaturarum numero eximendum, quam unius eiusdemque throni cum Patre consortem et Patri consubstantialem credendum esse demonstret. Quid vero Basilius et nazianzenus Gregorius? ille in exquisitissimo libello de Spiritu sancto ex appositis saepissime pugnat, ut conglorificationem Spiritus cum Patre et Filio a macedonianis calumniis immunem ostendat: hic vero in orationibus Theologicis ita in omnem partem argumentum istud versat, ut in eo habitare videatur.

69. Atque in eo pariter habitat nyssenus Gregorius sive dum [1]) Eunomium refellit, sive dum augustae Trinitatis [2]) sacramentum cum ineffabili Monarchiae dogmate iungendum esse tuetur. Neque enim duas solum facit divinorum nominum classes, e quibus prior illis constet quae [a]) *excelsae et ineffabilis gloriae indicationem referunt*, qualia habentur [b]) *Filius, dextera, Unigenitus, Verbum, Sapientia, Virtus:* posterior vero ea complectatur quae [c]) *providae dispensationis varietatem demonstrant*, cuiusmodi sunt [d]) *vitis, pastor, medicus;* sed praeterea quid cum singulis aptum sit, quidve singula ad Dei notitiam assequendam perficiendamque conferant, diligenter quaerit, sapientissimeque constituit.

70. Pari studio neque dissimili sapientia Nicetas [3]) aquileiensis Episcopus de appositorum vi usuque dissertat. In libello enim [4]), cui titulum fecit *de Spiritus sancti* [5]) *potentia*, illius cum Patre et Filio aequalitatem consortiumque naturae argumento ex appositis sumpto defendit atque confirmat. Quid vero de altero ipsius libello dicam [6]) inscripto *de diversis appellationibus Domino nostro Iesu Christo convenientibus?* istud unum dicam, nullam esse eiusdem particulam quae in recensendis Christi appositis non impendatur, quaeque eo

a) Con. Eunom. l. c. Τῆς ὑψηλῆς τε καὶ ἀφράστου δόξης τὴν ἔνδειξιν ἔχειν.
b) Ibid. Υἱὸς, καὶ δεξιὰ, καὶ μονογενὴς, καὶ λόγος, καὶ σοφία, καὶ δύναμις.
c) Ibid. Τὸ ποικίλον τῆς προνοητικῆς οἰκονομίας ἐνδείκνυσθαι.
d) Ibid. Ἄμπελος, ποιμὴν, ἰατρός.

1) Con. Eunomium. Orat. III. pag. 526. opp. T. III.

2) In tractatu, *quod non sint tres Dii*, pag. 18. opp. T. III.

3) Cuius quae supersunt opuscula edidit Em. Mai, Scriptt. Vet. T. VII.

4) Ibid. pagg. 319. seqq.

5) Quemadmodum Victorinus in epist. ad Gal. IV. 6, et in tertio contra arianos libro n. 17. divinas Trinitatis *hypostases* vocat *potentias*; ita eadem appellatione eodemque sensu Nicetas utitur.

6) Ibid. pagg. 330-332. « In eodem argumento, inquit sapientissimus editor, versatur Damasus carm. XI. ed. Sarazan., qui tamen versus in pervetusto vat. cod. 553. tribuuntur Silvio cuidam. Legatur item poeta Orientius in collect. Pisaur. T. VI. p. 89. et Phoebadius contra arianos cap. VI., quem postremum lectum a Niceta vix dubito. »

non spectet, ut ex iis effingatur Christi species quae splendorem [1]) paternae substantiae non omnino dedeceat. En verba quibus Nicetas [2]) orditur: « Multa nomina multaeque appellationes in Scripturis sanctis inveniuntur, quae Domino Iesu et Salvatori nostro conveniunt. » Syllogen deinde horum nominum harumque appellationum continuo promit, tum [3]) pergit: « Audisti appellationes, quaere nunc appellationum significationes. » Quas ubi ipse quaesivit et apte naviterque circumscripsit, postremo [4]) concludit: « Ergo quia tantis et nominibus et titulis Dominus communis appellatur, habe fiduciam, fidelis, et spem tuam in ipso tota virtute constitue. »

71. Sed qui omnibus praeponendus erat Epiphanius, de hoc genere universo tam perspicue graviterque disserit, ut luculentiora atque efficaciora ne in votis quidem esse posse videantur. Etenim impudentem nescio quem e factione antidicomarianitarum profligaturus, qui [5]) *adversus sanctissimam perpetuamque Virginem Mariam meditari nonnihil et contumeliosa quadam opinione illius honorem incessere* non dubitaverat; his illum verbis [a]) adgreditur: « Undenam vero haec improbitas? unde tanta prorupit audacia? nonne *vel ipsum nomen* abunde testificatur? non tibi, homo pervicacissime, istud ipsum persuadet? quis ullo tempore umquam extitit, qui sanctae Mariae *nomen* appellare auderet, et non rogatus subinde *Virginis vocabulum* adiiceret? *nam in adiunctis istiusmodi vocibus virtutis indicia collucent.* » Quae ratione a simili ducta [b]) confirmans addit: « Quippe iustis omnibus pro eo ac singulos decebat, *sua cuique sunt dignitatis attributa nomina.* Ita Abrahamo *amici Dei* [6]) titulus accommodatus est, neque is umquam intercidet. Iacob vero *Israelis* [7]) cognomen sine ulla mutatione concessum. Apostoli quoque [8])

a) Ibid. n. VI. pagg. 1037-1038. Πόθεν αὕτη ἡ κακόνοια; πόθεν ἡ τοσαύτη τόλμα; αὐτὸ τὸ ὄνομα οὐ μαρτυρεῖ; οὐ πείθει σὲ, ὦ φιλόνεικε; τίς ποτε ἢ ἐν ποίᾳ γενεᾷ τετόλμηκε καλεῖν τὸ ὄνομα Μαρίας τῆς ἁγίας, καὶ ἐρωτώμενος οὐκ εὐθὺς ἐπήνεγκε τὸ, Παρθένον, ἐξ αὐτῶν γὰρ τῶν ἐπιθέτων ὀνόματα καὶ τῆς ἀρετῆς ὑποφαίνει τὰ τεκμήρια.

b) Ibidem. Ἀξιώματα μὲν γὰρ ὀνομασίων εἰλήφασιν οἱ δίκαιοι ἑκάστῳ πρεπόντως, καὶ ὡς ἥρμοζε· καὶ τῷ μὲν Ἀβραὰμ προσετέθη τὸ φίλος θεοῦ, καὶ οὐ διαλυθήσεται, τῷ δὲ Ἰακὼβ, τὸ Ἰσραὴλ καλεῖσθαι, καὶ οὐκ ἀλλοιωθήσεται, καὶ τοῖς ἀποστόλοις τὸ βοανεργὲς, τουτέστιν υἱοὶ βροντῆς, καὶ οὐκ ἀποκαταλειφθήσεται.

1) Hebr. I. 3.
2) Ibid. pag. 330.
3) Ibidem.
4) Ibid. pag. 331.
5) Haeres. LVIII. al. LXXVIII. n. V. p. 1037.
6) Iacob. II. 23.
7) Gen. XXXV. 10.
8) Marc. III. 17.

Boanerges, hoc est, *tonitrui filii* nominati sunt, nec ulla dies nomen istud obliterabit. » E quibus ad quaestionis caput summamque regressus [a]) infert : « Sic sancta Maria nuncupatur *Virgo*, nec appellatio ista aliquando commutabitur. Haec enim perpetuo incorrupta permansit. *Cur igitur vos natura ipsa non docet?* »

72. Non est igitur cur vel tantillum de probatione suspicemur, quam apposita praebent quaeque ex epithetis principi orationis subiecto attributis dimanat. Huic enim probationi suffragatur facilitas, patrocinatur evidentia, favet natura, tantamque Patres suo testimonio suaque auctoritate fidem conciliant, ut omnino invicta ac prorsus Ecclesiastica demonstretur. Illud unum cavendum est, ne instrumento suapta natura bono ac vero etiam optimo, neque bene neque satis dextere utamur. A quo tamen vitio plane cavebimus, si tria diligenter custodiamus. Si primum eo in adducendis testimoniis delectu utamur, ut nullum promamus quod sincerum non sit, quodque ad praesentem tractationem non spectet. Si deinde eam testimoniorum copiam allegemus, quae necessaria est atque sufficit ut universalis et constans loquendi usus plena in luce collocetur. Et si postremo nihil deducendo inferamus, quod aut loquendi usus iam comprobatus sua sponte non exhibeat, aut cum iis quae sua sponte exhibet, non sit necessario iunctum atque consertum. Haec tria si a nobis ea qua par est religione praestentur, quemadmodum legitimus probationis usus in tuto erit, ita veritas eiusmodi probatione asserta vocari in disceptationem non poterit.

73. Ceterum ut singula meliori quo possumus ordine exsequamur, sectionem totam in octo distincta capita dispescemus, e quibus caput primum iis constabit appositis *gradu positivo* expressis quae *negantia* audiunt, quaeque maculam prorsus omnem a Virgine amandant. Alterum eadem complectetur apposita, sed *gradu superlativo* enunciata. Ad tertium revocabo apposita *affirmantia graduque positivo* adhibita, quibus Deiparae omnigena puritas et omnibus expleta numeris innocentia asseritur. Quartum in conspectu ponet eadem affirmantia apposita, sed *ad gradum superlativum* evecta. Quintum ob oculos collocabit apposita tam affirmantia quam negantia κατ' ἐξοχὴν accepta, quibus Deiparae plenitudo integritatis ipsaque

a) Ibidem. *Καὶ τῇ ἁγίᾳ Μαρίᾳ τὸ, Παρθένος, καὶ οὐ τραπήσεται· ἄχραντος γὰρ διέμεινεν ἡ ἁγία· αὐτὴ ἡ φύσις οὐ διδάσκει ὑμᾶς;*

inocentiae forma vindicatur. Quintum appositis coalescet *eximie intensis*, quaeque non citra superlationem Deiparam ostendunt omnibus puritatis radiis innocentiaeque splendoribus enitescentem. Sexto continebuntur apposita *cumulata*, eoque pertinentia ut Virginis puritatem nulla ex parte deficientem, modisque omnibus absolutam ostendant. Septimum exhibebit apposita *translata*, atque ex iis propter cognationis similitudinem ducta, quae nullum ferunt naevum, nullamque labem patiuntur. Succedet postremo octavum, quo ratio ipsaque vis probationis expendetur, immaculatus Virginis conceptus demonstrabitur, et plurimorum ore trita obiectio ita diluetur, ut proponi denuo instaurarique non debeat.

CAPUT I.

Referuntur insigniora negantia apposita eaque gradu positivo expressa, quibus a puritate Deiparae eiusque innocentia omnes omnino naevi labesque omnes longissime repelluntur.

74. Notior est quam ut pluribus explicari debeat appositorum partitio, qua eadem in ἀποφατικὰ, *negantia*, et καταφατικὰ, *aientia* atque *affirmantia* diribentur. Huius enim partitionis non solum meminerunt grammatici, sed quod multo pluris nostra refert, illius meminerunt Patres scriptoresque ecclesiastici, suoque illam usu frequentarunt. Et illam sane memoravit adhibuitque plus semel [1]) Iohannes damascenus: memoravit adhibuitque [2]) Thalassius: memoravit adhibuitque [3]) Theodoritus: et ne omnes [4]) singulatim recenseam, memorarunt atque opportune adhibuerunt [5]) Dionysius areopagitae cognomine illustris, Basilius [6]) et acutissimus Basilii frater [7]) Gregorius nyssenus.

75. Iamvero epitheta et apposita negantia eo ex sese pertinent, ut illud significent quod a re qua de agitur censeri alienum debet, quodque eidem non inest. Hinc quemadmodum vocantur ἀποφατικὰ *negantia*, et adhiberi κατὰ τὴν ἀφαίρεσιν *secundum negationem* dicuntur; ita pariter efferre dicuntur τὰ μὴ προσόντα, *quae rei non insunt* quae-

1) De Orth. Fide lib. I. capp. IV-XV.
2) Cen. IV. cap. LXXXIII.
3) De curandis graec. affect. Serm. II. p. 503.
4) Quos inter suo merito venirent Maximus in comm. ad cap. IV. Dionysii de div. nominibus, Iohannes cyparissiotus Dec. II. cap. IX. et Theodorus abucara opusc. III. pag. 422.
5) De div. nominibus capp. II-IV-XIII.
6) Con. Eunom. lib. I.
7) Con. Eunom. Orat. XII. pag. 754. opp. T. II.

que illam non afficiunt. Scite [a]) Cyrillus Alexandrinus: « Dupliciter ea quae substantive divinae naturae conveniunt ornamenta significare consuevimus, vel enim ex iis quae est ipse, vel ex iis quae non est, semper a nobis cognoscitur. » Huiusmodi vero negantium appositorum usus neccssarius nobis est, et ad viam complanandam singulariter opportunus. Necessarius nobis est, quum non raro contingat ut de rebus menti nostrae obversantibus multo intelligamus facilius quid non sint, quam quid sint apprehendamus, praesertim si eaedem excellant, emineant ac vim sensuum nativamque rationis aciem praetervolent. Est autem illorum usus opportunissimus, tum quod rebus distinguendis conducat, tum quod sin minus perfecta atque cxpolita, inchoata saltem et rudi illarum cognitione mentem imbuat animumque informet.

76. Iuverit ergo ab hisce ordiri, atque ex ordine ea negantia apposita graduque positivo expressa recenserc et illustrare, quae quum cx sese ab augustissima Dei genitrice maculam omnem omnemque labem amandent, constanti universalique Ecclesiae usu frequentari consuevisse deprehendimus. Ut vero candide fatear quod est, neque illud dissimulem quod veterum monimentorum lectione compertum habeo, vix ullum arbitror reperiri epithetum negans et omne macularum sordiumque genus excludens, quod maiores nostri universali quadam perennique conspiratione de sanctissima Deipara non usurparint. Et sane, quae tandem ista sunt? ctsi Graeca supellex divitiis affluat, me tamen fugit an non pleraque omnia in rcm nostram idonea epitheta ista sint, ἄμωμον καὶ ἀμώμητον, *immaculatum labisque expers:* ἄσπιλον, *intemeratum et a quovis naevo liberum:* ἀμίαντον, *inviolatum nullaque ex parte imminutum:* ἀμόλυντον, *impollutum sordisque nescium:* ἄχραντον, *incontaminatum:* ἄφθορον, ἀδιάφθορον, ἄφθαρτον, *incorruptum:* ἀκήρατον, *illaesum:* ἄθικτον, *intactum:* ἄτηκτον, *illibatum:* et ἀκίβδηλον, *non adulteratum, nihilque fecis et detrimenti admixtum habens.* Atqui praesto sunt testimonia numero plurima eaque evidentissima quibus efficitur, e tanta appositorum copia nullum esse, quod pia et erudita antiquitas ad efferendam Deiparae innocentiam eximiamque puritatem non adhibuerit.

a) Dial. I. pag. 415. Κατὰ διττὸν, οἶμαι, τρόπον τὰ οὐσιωδῶς προσόντα τῇ θείᾳ φύσει πλεονεκτήματα δηλοῦν εἰθίσμεθα· ἢ ἀφ᾽ ὧν ἐστιν, ἢ ἀφ᾽ ὧν οὐκ ἔστιν, ἀεὶ πρὸς ἡμῶν ἐπιγινώσκεται.

ARTICULUS I.

De apposito quo Virgo ἄμωμος immaculata dicitur: eiusdem potestas in monimentis biblicis et ecclesiasticis: vulgatissimus de Virgine usus, atque is ita comparatus ut illam cuiusvis semper exsortem labis ostendat.

77. Appositum ἄμωμον, quod spectata eius etymologia, idem prorsus valet ac *labis expers, immaculatum*, Hesychius declarat inquiens: ἄμωμος· ἄμεμπτος, ἄψεκτος, *irreprehensibilis, purus, inculpatus*. Neque aliter Suidas qui scribit: ἄμωμος· ὁ καθαρὸς καὶ ἀναίτιος, *purus, inculpatus*. His autem praeclariora sunt quae habet auctor commentariorum in Psalmos, qui Chrysostomi nomen praefixum gerunt; ait [a]) enim: « Is est ἄμωμος, qui liber est ab omni scelere, crimine et sordibus, qui extra omnem maculam, iniquitatem et peccatum est constitutus. » A quibus ne minimum quidem aberrat τοῦ ἀμωμήτου explicatio, quam alexandrinus Cyrillus his verbis [b]) complectitur: « Nullus inter nos prorsus ἀμώμητος, *inculpatus*. »

78. In alexandrina veteris Testamenti interpretatione hoc appositum, cui passim respondet hebraicum תָּם, *de victimis* potissimum [1]) usurpatur, quas Deus labe vitiisque carere et integras eximiasque esse praecepit. Eadem significandi potestate Sacerdotes levitici [2]) dicuntur ἄμωμοι, *immaculati*, quod ex Legis praescripto ab omni corporis sorde vitioque immunes esse deberent. Ad novum vero quod pertinet Testamentum, non aliis hoc appositum tributum legitur, quam vel iis qui [3]) fructum divinae redemptionis perceperint, vel [4]) beatis qui Deo fruuntur, vel [5]) Ecclesiae quae corpus est Christi, vel ipsimet Christo, quem Paulus [6]) hostiam *immaculatam* dicit, Petrus vero [7]) *agnum immaculatum* appellat.

79. De usu Ecclesiastico duo imprimis animadvertenda censeo, atque illud initio, ea esse *Eucharistica dona* quae nullo crebrius ap-

a) In Ps. CXVIII. pag. 685. op. Chrysost. T. V. Ἄμωμος ἐστὶν, ὁ παντὸς ἄγους καὶ μύσους καὶ ῥύπου ἀπηλλαγμένος, καὶ κηλίδος ἁπάσης ἐκτὸς καὶ ἀνομίας καὶ ἁμαρτίας.
b) In Is. LIII. pag. 748. Ἀμώμητος παντελῶς ἐν ἡμῖν οὐδείς.

1) Num. VI. 14, XIX. 2, Levit. XXII. 22.
2) I. Macc. IV. 42. coll. Levit. XXII. 19.
3) Ephes. I. 4, Coloss. I. 22.
4) Iudae v. 24, Apoc. XIV. 5.
5) Ephes. V. 27.
6) Hebr. IX. 14.
7) I. Petr. I. 19.

posito quam hoc de quo loquimur insigniuntur: illud deinde, hoc ipsum appositum solemniter ad Christum referri. Quod priore loco affirmavimus, omnia omnino liturgica monimenta sive occidentalia sive orientalia ad evidentiam usque commonstrant. Neque enim [1]) vel unum ex hisce reperias, in quo *Eucharistica dona* non semel atque rursum *immmaculata* dicantur. Alterum vero eadem perspicuitate demonstrant receptae apud christianos preces, hymnique omnium ore celebrati. Speciminis loco ista [a]) sint: « Pastores audiverunt angelos laudantes Christi in carne adventum, ac veluti ad Pastorem properantes, hunc vident tamquam *immaculatum* agnum in Mariae sinu enutritum. » Tum [b]) ista ex hymno sancti Iosephi confessoris: « Salve *Iuvenca* quae fidelibus peperisti *Vitulum immaculatum:* salve *Agna* quae gestasti *Agnum Dei* mundi totius peccata auferentem. » Ac ista demum [c]) ad Christum e cruce pendentem directa: « Te Pastorem *immaculatum* conspiciens *Agna* in ligno exaltatum, materne plorans exclamabat: morti te, Fili, addixit ingratus populus. »

80. Quibus, uti decebat, praestitutis ad beatissimam Dei matrem accedimus, illamque *immaculatae* epitheto saepissime distin-

a) Triod. [2]) pag. 315. col. 2. *Ἤκουσαν οἱ ποιμένες τῶν ἀγγέλων ὑμνούντων τὴν ἔνσαρκον Χριστοῦ παρουσίαν· καὶ δραμόντες ὡς πρὸς ποιμένα, θεωροῦσι τοῦτον ὡς ἀμνὸν ἄμωμον ἐν τῇ γαστρὶ Μαρίας βοσκηθέντα.*

b) Triod. pag. 316. col. 2. *Δάμαλις τὸν μόσχον ἡ τεκοῦσα τὸν ἄμωμον χαῖρε τοῖς πιστοῖς· χαῖρε ἀμνὰς κυήσασα Θεοῦ ἀμνὸν τὸν αἴροντα κόσμου παντὸς τὰ πταίσματα.*

c) Triod. pag. 282. col. 1. *Τὸν ἄμωμον ποιμένα σε καθορῶσα ἡ ἀμνὰς ἐν ξύλῳ ἀναρτώμενον, θρηνῳδοῦσα μητρικῶς ἐβόα· θανάτῳ σὲ, υἱὲ, κατέκρινεν ὁ ἀχάριστος λαός.*

1) Ab exemplis abstineo quod obvia ea sint ac prorsus innumera.

2) De Graecorum Triodio praeter Baronium ad annum DCCCXLII., Cangium in Lex. Med. et Infim. Graecitatis, Suicerum in Thes. Ecclesiastico et Caveum in diss. de Libris et Offic. Ecclesiast. Graecorum, pluribus agunt Leo Allatius in utraque dissertatione plus semel a nobis memorata, Cardinalis Quirinus in Diatriba II. de hymnis quadragesimalibus Graecorum, eorumque auctoribus et Zaccaria in Biblioth. Rituali lib. I. cap. IV. §. IX. Est autem Triodion, ut Allatius scribit, liber Graecorum ecclesiasticus, quo Officium recitari solitum a Septuagesima, quam Graeci vocant Dominicam Publicani et Pharisaei, ad Sabbatum usque sanctum continetur. Audit autem Triodion, quod quum Canones et Hymni in solemnitatibus Domini nostri Iesu Christi, Deiparae, aliorumque sanctorum novem habeant strophas quas Odas nuncupant, hic liber non alios ut plurimum complectitur eiusmodi Canones, nisi qui ternas Odas non excedunt. De potioribus vero Triodii auctoribus loquens Quirinus animadvertit, omnium primos occurrere duos celeberrimos Studitas a byzantino Studii Caenobio, in quo monasticis studiis vacarunt, nuncupatos, Theodorum et Iosephum, quorum nomina et vetustissimi codices mss. et edita exemplaria iisdem hymnis saepius inscribunt. Titulus libri in edit. Veneta an. MDCCCXXXIX. sic habet. *Τριῴδιον κατανυκτικὸν περιέχον ἅπασαν τὴν ἀνήκουσαν αὐτῷ ἀκολουθίαν τῆς ἁγίας καὶ μεγάλης τεσσαρακοστῆς, ἀπὸ τῆς κυριακῆς τοῦ Τελώνου καὶ τοῦ Φαρισαίου, μέχρι τοῦ ἁγίου καὶ μεγάλου Σαββάτου, μετὰ τῶν κατ' Ἦχον τριαδικῶν ὕμνων, φωταγωγικῶν, στιχηρῶν καὶ καθισμάτων διαφόρων ἐν τῷ τέλει*

etam ornatamque confirmamus. Hoc sane epitheto illam distinguit ornatque Germanus [a]) inquiens : « Ostendant nobis qui contra ipsam linguas suas movent, videntque tamquam non videntes, ubi tale quid umquam viderint? nimirum puellam [1]) ex promissione, eamque triennem, tamquam *donum immaculatum*, oblatam. » Eodem epitheto illam distinguit ornatque Chrysippus presbyter Germano antiquior, qui relatis ad Mariam Psalmi [2]) verbis, *obliviscere populum tuum et domum patris tui*, sic eam [b]) alloquitur: « Obliviscere populum tuum et domum patris tui. Populus enim a quo cognationem contraxisti, nequam est, ignominiam tibi affert: populus imprudens *tibi immaculato* [3]) *germini* natura coniunctus est, et cultura *spinarum* ferax *rosam tuam* producit. »

81. Cum Germano atque Chrysippo praeclare consentiunt hinc quidem Maximus taurinensis et Georgius nicomediensis, inde vero antiquus auctor decem homiliarum in diversa Matthaei et Iohannis loca, quae Origenis nomine insignes circumferuntur. Maximus enim de utraque disserens [4]) Verbi generatione sempiterna et temporaria scribit: « Illum ab aeterno genuit Deus, et in tempore Dei omnipotentis operante virtute casta Virgo suscepit. Natus est ab aeterno sine ullo conditionis principio; ortus est in tempore ex *immaculata* Virgine. » Sequitur Georgius, cuius ista sunt [c]) verba: « Hodie columba illa *immaculata* [5]) in Templi penetralia evolans, malitiae au-

a) Orat. in Praesent. s. Mariae, apud Combefis. Auctar. T. I. col. 1411. D. *Δειξάτωσαν ἡμῖν οἱ κατ᾽ αὐτῆς κινοῦντες τὰς γλῶσσας, καὶ βλέποντες ὡς μὴ βλέποντες, ποῦ τοιαῦτα πώποτε κατεῖδον; κόρην ἐξ ἐπαγγελίας, καὶ αὐτὴν τριετίζουσαν, ὡς δῶρον ἄμωμον, προσφερομένην.*

b) Orat. in s. Mariam Deiparam, quae extat in Auct. Duceano T. II. pag. 427. A-B. *Ἐπιλάθου τοῦ λαοῦ σου, καὶ τοῦ οἴκου τοῦ πατρός σου· πονηρὸς γάρ σε λαὸς ἐνυβρίζει τῇ ἀγχιστείᾳ τῇ παρ᾽ αὐτοῦ· λαὸς ἀγνώμων προσοικειοῦται σοι τῷ ἀμώμῳ βλαστήματι φύσει· καὶ τὸ σὸν φύει ῥόδον ἀκανθηφόρον γεώργιον.*

c) Orat. IV. quae est Encom. in Deiparae repraesentat. in Templum, apud Combefis. Auctar. T. I. pag. 1090. B. *Σήμερον ἡ ἄμωμος περιστερὰ ἐν τοῖς τοῦ ναοῦ ἀδύτοις περιιπταμένη, τὸν τῆς κακίας ἰξευτὴν ἐξέκλινεν, ὑψηλοτέρα γενομένη τῶν μηχανημάτων αὐτοῦ.*

1) Incisum, *κόρην ἐξ ἐπαγγελίας*, Combefisius reddit *puellam ex voto*, non minus contra verborum proprietatem, quam contra scriptoris consilium, cui propositum erat innuere, beatissimam Virginem ex superna promissione fuisse conceptam, et fructum fuisse promissionis. Alterum vero incisum, *ὡς δῶρον ἄμωμον*, latine vertit, *tamquam donum reprehensione vacans*, dilute nimirum et minus accurate.

2) Ps. XLIV. 11.

3) Quod quidem testimonium est omnino praeclarissimum, ut puritas Mariae ab eiusdem initiis immaculata demonstretur. Sed de eo suus erit isque commodior dicendi locus.

4) Hom. Hiemal. VI. de nativ. Dom. col. 19. D.

5) Denuo Combefisius suum nobis obtrudit *irreprehensibile*, neque advertit hoc presse *ad* actiones referri, *immaculatum* vero ad excludendum naevum undecumque contractum pertinere.

cupem devitavit, eius machinamentis facta [1]) sublimior. » Neque is abludit, cuius meminimus, antiquus auctor qui Iosephum compellans [2]) ait: « Hunc puerum accipe et matrem eius. Non tu huic puero pater, sed haec sola Virgo huic puero mater. Non indiget patre super terram: incorruptibilem enim habet Patrem in excelsis. Non indiget matre in caelis: *immaculatam* et castam habet matrem in terra hanc multum beatam Virginem Mariam. »

82. Quam pariter immaculatam nuncupat sanctus Cosmas in hymno quo beatum Iobum celebrans [a]) canit: « Tu, o *immaculata* puella, apparuisti domus ratione superior caelestis sapientiae, animatus illius thronus et porta. Propterea te, o Virgo, dilexerunt virgines ut Reginam, post te Dei filiam adductae. » Neque alio quam immaculatae epitheto utitur sanctus Ioseph idemque cognomento hymnographus, dum Christum cruci affixum de Virgine quae illi adstabat, sic [b]) alloquitur: « *Immaculata* agna, decus et prophetarum et martyrum, ut te agnum in ligno exaltatum vidit, flebat amare. » Porro [3]) auctor sermonis *ad virgines monasterii sui*, qui Augustino tribuitur, post celebratas virginitatis laudes [4]) subdit: « O sancta et immaculata virginitas, quae a Christo eligi meruisti, ut esses corporale Dei templum in quo corporaliter habitavit plenitudo deitatis! O virginitas quae mundi salutem genuisti, quae universorum Deum et hominem rapuisti! » Consonant quae [5]) Bernardus scribit: « Deus Matrem suam singulari in caelestibus donaturus gloria, singulari in terris praevenire curavit et gratia. Proinde factor hominum ut homo fieret, nasciturus de homine talem sibi ex omnibus debuit deligere immo condere matrem, qualem et se decere sciebat, et sibi noverat placituram. Voluit itaque esse virginem, de

a) Men. die VII. Maii Ode θ'. pag. 23. col. 2. Σοφίας χωρίον ὑπὲρ νοῦν τῆς κρείττονος ἀνεδείχθης, κόρη ἄμωμε, ἔμψυχος θρόνος τε καὶ πύλη· διὸ ὡς βασιλίδα ἠγάπησαν παρθένοι σε, Παρθένε, ὀπίσω σου ἀπενεχθεῖσαι τῆς θεόπαιδος.

b) Paraclit. pag. 101. col. 2. Ἡ ἄμωμος ἀμνάς, προφητῶν τε καὶ μαρτύρων ἡ ὡραιότης, ὥσπερ ἀμνὸν σὲ ἀναρτώμενον ἐπὶ ξύλου θεασαμένη, ἔκλαιε πικρῶς.

1) Quae de puella trienni intelligi non possunt, nisi de iis sumantur Satanae molitionibus, per quas peccatum intravit in mundum.

2) Hom. III. opp. Origen. part. II. pag. 280. col. 2. A. edit. Paris. MDLXXII.

3) Hic est sermo CXCVIII. inter augustinianos editus ab em. Mai in Nova PP. Biblioth. T. I., qui de eodem notat: « Sermo s. Augustini *de sanctimonialibus* fuit in codice prisco laureshamensi (Spic. Rom. T. V. p. 169.). Sermo eiusdem *de regula monasterii*, in codice bobiensi apud cl. Peyronium in catalogo. Ceteroqui hic noster fortasse est cento ex variis Augustini scriptis confectus. »

4) Serm. cit. n. 2. pag. 400

5) Super missus est, Hom. II. n. 1. pag. 743. B-D. opp. T. III.

qua immaculata immaculatus procederet omnium maculas purgaturus. » Neque enim, ut [a]) Matthaeus cantacuzenus notat: « Sicut ceterae virgines quae corporis pulcritudinem ostentant, ita et Virgo filia David exornata est; sed immaculata ipsius anima virtutes pulcritudinis loco possidebat. »

83. In ecclesiasticis denique Graecorum Officiis huius appositi usus est omnino frequentissimus. Hinc in illis [b]) legimus: « Ut in cruce te elatum, mi Christe, conspexit agna quae te peperit, et *immaculata* et mater tua, cum fletu lamentabatur. » Et rursum in festo sanctae martyris Theodosiae [c]) legimus: « Te spiritualis sponsus, o Dei parens, totam quum reperisset perfectam columbam et *immaculatam* et lilium splendidissimum et florem convallium, te sibi in habitaculum delegit. » Ex eorum itaque ornamentorum copia quibus Deipara mirifice splendet, nulli secundum illud est quo ἄμωμος *immaculata* salutatur. Hoc illam epitheto ornant Patres, hoc ecclesiastici scriptores, hoc liturgica monimenta, atque hoc quotquot umquam fuerunt ubique terrarum Christiani. Praeclare [1]) Laurentius Iustiniani qui de Christi obedientia scribit: « Nam idem legislator minime constitutus sub lege legalia propter nos in se voluit praecepta servare. Completo quippe quadragenario post sui ortum dierum numero, ad templum maternis voluit manibus deportari, aviculis redimi, et grandaevi Symeonis manibus sustentari. Hoc ipse, hoc eius mater *immaculata* Virgo perfecit. » Praeclare [2]) Patres Concilii toletani XI. celebrati anno DCLXXV., qui suam fidem his verbis profitentur: « De his tribus personis solam Filii personam pro liberatione humani generis hominem verum sine peccato de sancta et *immaculata* Maria Virgine credimus assumpsisse. » Praeclare [3]) Constantinus VIII. Leonis VI. cognomento sapientis fi-

a) In Cant. Cantic. IV. 1. Οὐχ' ὡς αἱ λοιπαὶ δὲ τῶν παρθένων, τὸ κάλλος ἐν σώματι φέρουσαι· καὶ ἡ τοῦ Δαβὶδ παρθένος κεκόσμηται· ἀλλ' ἐν τῇ ἀμώμῳ αὐτῆς ψυχῇ, ὡς κάλλος τὰς ἀρετὰς ἀκέκτητο.

b) Paralit. pag. 135. col. 1. Σταυρῷ σε ἀναρτώμενον, Χριστέ μου, ὡς ἑώρακεν ἀμνὰς ἡ σὲ τεκοῦσα, καὶ ἄμωμος, καὶ μήτηρ σου, ὠλοφύρετο κλαυθμῷ.

c) Men. die XXVII. Maii Ode ς'. pag. 409. col. 2. Ὅλην σε περιστερὰν τελείαν καὶ ἄμωμον καὶ τηλαυγέστατον κρίνον καὶ κοιλάδων ἄνθος, ὦ Θεομῆτορ, ὁ νυμφίος ὁ νοητὸς εὑρών, ἐν σοὶ ἐσκήνωσεν.

1) Orat. in Virginis Purificat. pag. 258. col. 1. C-D. apud Combefisium in Biblioth. Concionat. T. VI.

2) Concil. Tolet. XI. Praefat. pag. 135. B-C. apud Mansium T. XI.

3) In Theotociis a Maraccio editis in op. inscripto, *Caesares Mariani*, pag. 47.

lius qui Virginem compellans ait: « Factor creaturarum et rerum omnium Deus humanam carnem suscepit ex immaculatis sanguinibus tuis, sanctissima Virgo, meamque naturam penitus corruptam renovavit, relinquens te post partum sicut invenerat ante partum; unde fideliter te omnes celebramus clamantes, salve Domina mundi. » Praeclare universa Graecorum Ecclesia [1]) in Officio Dominicae secundae Quadragesimae: « Immaculata mater Emmanuelis nunc, o pura, hunc exora, ut matrem decet: quo me recipiat etiam uti prodigum, qui a via divina discessi, et in flagitiosos transgressionum montes hebetudine mentis semper erravi. Qui omnia a non esse transtulit, o immaculata, ut caussam existentiae suae incarnationis te habuit, quem exora, ut aberrantem ad poenitentiam denuo reducat. » Praeclare [2]) Nerses claiensis Armeniorum Catholicus inquiens: « Nos confitemur verbum Deum hominem immutabiliter factum iuxta Iohannem, non autem in corpore habitans iuxta Nestorium, veluti quemdam Deum ferentem, neque conceptum naturae legibus iuxta quosdam heterodoxos; sed supra communes leges secundum suam creatricem virtutem ex Spiritu sancto, et ex immaculata Virgine, quemadmodum Gabriel et Isaias testantur. » Praeclare [3]) ipsa Armeniorum Ecclesia, quae sacerdotis ore ita Deum solemniter exorat: « Accipe preces nostras intercessione sanctae Deiparae immaculatae genitricis unigeniti Filii tui. » Neque minus praeclare [a]) syriaca Ecclesia quae in anaphora sancti Cyrilli ad communionem sanctorum respiciens ait: « Benedictus tu Dominus sanctus et amans sanctos, cuius est voluntas ut omni tempore in commemoratione sanctorum tuorum communicemus, potissimum vero et singulariter omnium sanctorum gloriosissimae [4]) Virginis immaculatae et sanctae Dei genitricis Mariae. »

a) Missal. Maronit. pag. 131. edit. Romae MDXCIV. ܒܪܝܟ ܐܢܬ ܡܪܝܐ ܩܕܝܫܐ ܘܪܚܡ ܩܕܝ̈ܫܐ
ܡܪܝܐ. ܗܘ ܕܨܒܝܢܟ ܒܕܘܟܪܢܐ ܕܩܕܝ̈ܫܝܟ ܢܗܘܐ ܐܢܬ ܕܬܬܕܟܪ. ܒܟܠܙܒܢ. ܘܝܬܝܪܐܝܬ ܘܦܪܝܫܐܝܬ
ܘܫܒܝܚܬܐ ܕܟܠܗܘܢ ܩܕܝ̈ܫܐ ܒܬܘܠܬܐ ܕܠܐ ܡܘܡ ܘܩܕܝܫܬܐ ܝܠܕܬ ܐܠܗܐ ܡܪܝܡ.

1) Offic. Dominicae II. quadrag. desumptum ex vat. codd. n. 769-771. et ex codice alexandrino 79. ac Romae editum an. MDCCXXII. pagg. 112-117-120-125.

2) Epist. II. pag. 81. opp. T. I. Eodem epitheto ornatur Deipara T. II. pagg. 64-267.

3) Breviarii arm. Par. III. pag. 133. edit. Vindobon.

4) Ibidem pag. 140. phrasis recurrit qua Eucharistia dicitur ܕܒܚܐ ܕܠܐ ܡܘܡ *sacrificium immaculatum.*

84. Verum quo sensu, quave significationis amplitudine Maria ἄμωμος *immaculata* dicitur? ea ne quae ipsas etiam Virginis origines primordiaque complexa, illam a suis originibus atque primordiis ἄμωμον *immaculatam* demonstrat; an ea satius quae ad eiusdem usque origines utpote infectas non se extendens, insequutum dumtaxat vitae stadium beneficio mundantis gratiae purum naevisque liberum designat? Ut gravissimae interrogationi non ex praeceptis animo opinionibus, sed ex auctoritate arbitrioque maiorum fiat satis, nonnulla debent in antecessum praemoneri. Et praemoneri initio debet, ad officium sinceri prudentisque interpretis spectare, ut nisi quae forte obstent atque impediant, ea vocibus potestas subiiciatur quae illis nativa est, quamque sponte praeseferunt. Tum praemoneri debet, talem esse τῆς ἀμώμου *immaculatae* appellationem in christianis monimentis de Deipara frequentatam, ut illa numquam vel circumscripta sit vel uteumque coercenda significetur. Ad haec praemoneri debet, ita ἄμωμον *immaculatam* dici Deiparam, ut simul [1]) *tota perfecta* nuncupetur, neque ipsa secus [2]) ἡ ἄμωμος ἀμνὰς *agna immaculata* dicatur, ac eius Filius *agnus immaculatus* vocetur. Praemoneri tandem debet, non utcumque Deiparam ἄμωμον *immaculatam* dici [3]) sed immaculatam dici prae generatione corrupta, immaculatam dici quod [4]) *Satanae machinamentis fuerit ipsa superior*, et eo usque immaculatam dici ut [5]) *digna extiterit quae ab Unigenito in habitaculum deligeretur.*

85. Quibus compendio animadversis, haec prodit non minus efficax quam luculenta deductio. Quemadmodum in christianis monimentis Deipara saepissime vocatur ἄμωμος *immaculata*, et ne semel quidem huius epitheti potestas circumscribitur; ita una cum τῆς ἀμώμου *immaculatae* apposito eidem asseritur quod sit *tota perfecta*, quod sit *agna immaculata*, sicut *agnus immaculatus* est Christus, quod immaculata sit *prae hominibus infectis*, quod *immaculata* propterea sit *quod Satanae machinamentis celsior extiterit*, et quod sua innocentia suaque puritate cuiusvis labis nescia *promeruerit ut ex ea sempiternum Patris Verbum carnem assumeret.* Iamvero aut fas numquam est pro nativa significatione insitaque potestate τὸ ἄμωμον *immaculatum* accipere, vel dubio procul tum accipi sic debet quum in iis quae memoravimus adiunctis de Maria frequentatur. Necesse

1) Sup. n. 83.
2) Sup. n. 82.
3) Sup. n. 80.
4) Sup. n. 81.
5) Sup. nn. 82-83.

est igitur ut Maria non aliter intelligatur ἄμωμος *immaculata*, ac nativa appositi significatio ferat et postulet. Nativa autem appositi significatio quamcumque funditus labem arcet, adeo ut monuerint [1]) Patres, ex infecta Adami posteritate neminem esse qui ἄμωμος, *immaculatus* dici haberique *penitus* valeat. Praeclare [2]) Ambrosius: « Idcirco Christus *immaculatus*, quia nec ipsa quidem nascendi solita conditione maculatus est. » Maria igitur ita dici credique debet ἄμωμος *immaculata*, ut nullas penitus labes contraxerit, omnesque vel ab ipsis originibus sordes evitaverit.

86. Atque sane nescio an non inde confirmetur aperte, quod ista sit appositorum natura ut pro *subiectorum* quibus tribuuntur ratione intelligi debeant atque enarrari. Profecto longe plenius intelligimus *boni* appositum, quum de Deo sermo est, quam quum de hominibus deque angelis effertur: et longe plenius sumimus *lucidi* epithetum quum illud de sole, quam quum de quovis alio corpore usurpatum legimus. At vero cuiusmodi est Maria, quae tam crebro tamque solemniter τῆς ἀμώμου *immaculatae* appellatione honestatur? Recolantur quae antecedenti sectione docuimus, ac palam omnino fiet prae Maria nihil esse *commune*, nihil *non novum* et *supra naturam ac rationem non evectum*, nihil *non omnibus laudum praeconiis sublimius*, nihil in summa quod *miraculum* non sit, quodque non verissime efferatur aut his Sophronii [a]) verbis: « Salve insignissima puella, Virgo sancta, Dei genitrix Maria, fidelium gloriatio, redemptio maledictionis, caelestis scala, *incomprehensibile miraculum.* » Aut his quae cum Iohanne damasceno universa adhibet orientalis [b]) Ecclesia: « Misericordiae abyssus te, o puella, ostendit ineffabiliter electam *miraculorum abyssum.* Ex te enim splendore divino margarita Christus illuxit. » Quum igitur Maria *subiectum* sit omni laude [3]) excelsius, omnesque in se dotes ad miraculum comple-

a) Triod. pag. 156. apud Mai, Spicileg. Rom. T. IV. Πολυώνυμε κόρη χαίροις, ἁγία Παρθένε, θεοκυῆτορ Μαρία, τῶν πιστῶν καύχημα, κατάρας λύτρωσις, κλίμαξ ἐπουράνιε, ἀκατανόητον θαῦμα.

b) Triod. pag. 170. col. 1. D. Ἄβυσσος σὲ ἄβυσσον ἀῤῥήτως τῆς εὐσπλαγχνίας, κόρη, ἐκλεκτὴν ἀνέδειξεν θαυμάτων, καὶ γὰρ ἐκ σοῦ ἀστραπῇ θεότητος μαργαρίτης Χριστὸς ἔλαμψε.

1) Sup. n. 77.

2) Comm. in Is. penes Augustinum cont. duas epistolas pelagian. lib. IV. cap. XI.

3) Quod in Men. die XIII. Maii Ode θ'. pag. 56 col. 1. his verbis exprimitur. Ἅπας ἐγκωμίων, Πάναγνε, νόμος ἥτταται τῷ μεγέθει τῆς δόξης σου· ἀλλὰ, Δέσποινα,

ctatur ; hoc unum est reliquum ut de ea sensu omnium praestantissimo omnemque vel ab ipsis originibus labem excludente, appositum τῆς ἀμώμου *immaculatae* adhibitum intellectumque existimetur.

ARTICULUS II.

De apposito τῆς ἀσπίλου intemeratae, quo passim Deipara insignitur, et quo illius puritas nullo umquam infecta naevo, et illius candor nullis umquam infuscatus tenebris ostenditur.

87. Eiusmodi esse epitheta τὸ ἄμωμον καὶ τὸ ἄσπιλον, quae sibi significationis affinitate et cognatione respondeant, tum promiscuus utriusque penes scriptores usus ostendit, tum aperte declarat Hesychius inquiens: ἄσπιλος· ἄμωμος, καθαρός. Quae ita reddi latine possunt: *intemeratus*, idest *immaculatus*, *purus*. Is enim, Suida interprete, ἄσπιλος καὶ ἀσπίλωτος, *intemeratus*, audit, ὁ μὴ ἔχει σπίλον τινά, *qui nullam habet maculam*. Ceterum hoc appositum quo id omne *proprie* designatur, cui nullus inest naevus et quod est prorsus intemeratum, *metaphorice* ad eos transfertur omnes qui sunt *moralis labis expertes et a peccatorum inquinamentis immunes*. Hac metaphorica significatione Paulus [a]) ad Timotheum scribit: « Ut serves mandatum *sine macula* (intemeratum), irreprehensibile usque in adventum Domini nostri Iesu Christi. » Eadem significatione scribit [b]) Iacobus: « *Immaculatum* (intemeratum) se custodire ab hoc seculo. » Concinit [c]) Petrus inquiens: « Satagite *immaculati* (intemerati) et inviolati ei (Christo) inveniri in pace. » Et significatione eodem quidem comprehensa genere, sed longe exquisitiore de Christo [d]) ait: « Redempti estis pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et *incontaminati*. »

a) I. Tim. VI. 14. Τηρῆσαί σε τὴν ἐντολὴν ἄσπιλον, ἀνεπίληπτον, μέχρι τῆς ἐπιφανείας τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

b) Iacob. I. 27. Ἄσπιλον ἑαυτὸν τηρεῖν ἀπὸ τοῦ κόσμου.

c) II. Petr. III. 14. Σπουδάσατε ἄσπιλοι καὶ ἀμώμητοι αὐτῷ εὑρεθῆναι ἐν εἰρήνῃ.

d) I. Petr. I. 18-19. Ἐλυτρώθητε τιμίῳ αἵματι ὡς ἀμνοῦ ἀμώμου καὶ ἀσπίλου Χριστοῦ.

καὶ οἰκετῶν ἀναξίων σου ἐξ εὐνοίας δὲ σοὶ προσφερόμενον προσδέχου Θεοτόκε μετ' εὐμενείας τὸ ἐφύμνιον. *Omnis encomiorum ratio deficit, o purissima, prae magnitudine gloriae tuae; sed tu, Domina ac Deipara, benevole accipe canticum tibi ex benevolentia ab indignis tuis famulis oblatum.*

88. Talis quum sit τοῦ ἀσπίλου *intemerati intaminatique* potestas, illud in rem nostram accommodatissimum animadverti debet, hoc passim epithetum a maioribus nostris adhiberi, ut quod ipsi de innocentia Deiparae ab omni prorsus naevo remotissima existimabant, aptioribus quibus possent verbis exprimerent. Atque hoc sane epitheto utitur Ephraem ubi Deiparam compellans [a]) ait: « Vehiculum solis intelligibilis, lucis verae quae [1]) illuminat omnem hominem venientem in mundum: vestis *intemerata* eius qui induit lucem sicut vestimentum. » Hoc τῆς ἀσπίλου *intemeratae* epitheto utitur qui Gregorii neocaesariensis appellatione insignis homilias in Deiparam edidit. Dum enim secum animo Mariam reputat Unigenitum concepturam [b]), scribit: « Quem tu, sancta Virgo, portare non posses nisi omni gloria atque virtute pro tempore illo refulgeres. Quibus igitur laudum significationibus atque praeconiis *intemeratam* eius formam celebremus? quibus spiritualibus canticis gloriosissimam inter angelos glorificemus? »

89. A quibus sciungi ista non debent [c]) Sophronii: « *Intemerata* Dei *agna*, videns hodie e mortuis mundo affulgentem *agnum* ac Dominum quem carne induisti, pleno gaudio, *o undequaque immaculata*, perfunderis. » Accedit nicomediensis Georgius, qui repraesentatam in Templo Deiparam extollens [d]) ait: « Hodie in Templo collocatur, quae exsul humanum genus per eum quem genuit, in proprias sedes reduxit. Hodie *intemerata agna*, ceu *acceptabilis hostia* offertur in Templo, ex qua ortus ille *agnus Dei* [2]) mundi ab-

a) Prec. IV. opp. graec. lat. T. III. pag. 528. Ὄχημα ἡλίου τοῦ νοητοῦ τοῦ φωτὸς τοῦ ἀληθινοῦ τοῦ φωτίζοντος πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον· τὸ ἄσπιλον ἔνδυμα τοῦ ἀναβαλλομένου φῶς ὡς ἱμάτιον.

b) Orat. II. in annunt. Mariae, p. 18. A. Ὃν σύ, ἁγία Παρθένε, φέρειν οὐκ ἴσχυες, εἰ μὴ πάσης δόξης καὶ ἀρετῆς κατὰ τὸν χρόνον ἐκεῖνον ἐξήστραπτες· ποίοις οὖν ἐπαίνων νεύμασι καὶ κηρύγμασι τὸν ἄσπιλον ἀνυμνήσωμεν χαρακτῆρα; ποίαις πνευματικαῖς ὑμνῳδίαις δοξάσωμεν τὴν ὑπερένδοξον ἐν ἀγγέλοις;

c) Triod. apud Mai Spicileg. Rom. T. IV. pag. 189. A. Ἡ τοῦ Θεοῦ ἄσπιλος ἀμνάς, ὃν ἐσωμάτωσας ἀμνὸν καὶ κύριον, ἐκ νεκρῶν ὁρῶσα σήμερον κόσμῳ ἀνατείλαντα, χαρμονῆς πληροῦσαι, πανάμωμε.

d) Orat. IV. Encom. in repraesentat. Deiparae in Templo, apud Combefis. Auct. T. I. col. 1090. A. Σήμερον τῷ ναῷ ἐνοικίζεται ἡ τὴν ἀποικίαν τοῦ ἀνθρωπείου γένους πρὸς τὴν ἰδίαν ἑστίαν διὰ τοῦ τόκου ἀναγαγοῦσα· σήμερον ἡ ἄσπιλος ἀμνάς, ὡς δεκτὸν ἱερεῖον τῷ ναῷ προσφέρεται, ἐξ ἧς ὁ τοῦ Θεοῦ ἀμνὸς προελθὼν τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου ἀφείλετο.

1) Ioh. I. 9. 2) Ioh. I. 29.

stulit peccatum. » Et in hymno quem Graecis frequentare solemne est, ad Deiparam conversus Georgius [a]) canit: « *Agnus* Dei nostri, o *agna intemerata,* in uterum tuum ingredi adproperat, ut nostra auferat peccata. » Quibus haec consona sunt [1]) ex hymnis Ecclesiae latinae:

» Maria beata
» Doce nos mandata
» Novae legis grata
» Nos servare rata
» Virgo nobilis et intemerata.

Tum haec quibus [2]) Petrus Damiani de Deipara ait: « Ecce intemerata et gloriosa virgo Maria, cuius hodie splendidissima nativitate universa per orbem sancta illustratur Ecclesia, in lege praefigurata, in patriarcharum et prophetarum oraculis praenuntiata, ab angelo singulari honorificentiae privilegio salutata, thronus Dei, solium divinitatis, palatium regis aeterni, gazophylacium thesauri quo sumus de cruenti praedonis servitio comparati, nobis proponitur in exemplum. » Atque haec rursum quae [3]) Althelmum occidentalium saxonum Episcopum auctorem habent:

» Sed Deus omnipotens quadrati conditor orbis,
» A quo processit praesentis machina mundi:
» Cui secreta patent ex alto culmine cuncta,
» Quique abstrusas suo perlustrat lumine terras,
» Virginis intemerata videns praecordia castae,
» Maluit ut prolem peperisset Virgo supernam,
» Sordida qui veniens demsisset crimina mundi,
» Dum delubra dedit Christo atque sacella pudoris.

90. Delectantur hoc ipso *τῆς ἀσπίλου intemeratae* apposito tam Andreas cretensis quam Theodorus studites, e quibus ille in hymno quo gracca Ecclesia natalem Virginis diem celebrat, sic [b]) habet:

a) Men. die XXIV. Martii Ode ς'. pag. 101. col. 2. D. *Ὦ ἄσπιλε ἀμνὰς, ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ ἡμῶν τὴν μήτραν σου ὑπεισδῦναι κατεπείγεται, αἴρων ἡμῶν τὰ ἁμαρτήματα.*

b) Men. die VIII. Septembris Ode α'. pag. 58. col. 2. D. *Σὲ τὴν ἄσπιλον ἀμνάδα, τὴν τὸ ἔριον Χριστῷ μόνην ἐκ κοιλίας σου προσαγαγοῦσαν τὴν ἡμῶν οὐσίαν, πάντες ἐκ τῆς Ἄννης τικτομένην σε ὕμνοις γεραίρομεν.*

1) Thesaur. hymnolog. T. 1. pag. 346.

2) Serm. XLV. idemque II. in Virginis nativ. pag. 110. col. 2. C-E.

3) De laudibus Virginis pag. 742. apud Henricum Canisium Lectt. antiquar. Vol. 1.

« Te *intemeratam agnam*, quae vestem Christo laneam, nostram videlicet substantiam, ex tuo sola ventre protulisti, te ex Anna progenitam omnes hymnis honoramus. » Theodorus vero studites in Canone quem graeci Triodio inseruerunt, beatissimam Dei matrem his verbis [a]) affatur: « Quinam e mortalibus te hymnis celebret, *intemerata* innocens columba? tu enim magnam nobis lucem, divitias vitae, Iesum Salvatorem peperisti. » A quibus ista nullatenus abludunt [b]) Leonis Augusti de Maria in Templo oblata: « Ecce virgines circum choreas in exsultatione agentes velut Reginae (Mariae) praeeunt in Regis abeunti Templum. Ecce te ut *intemeratam victimam* ad divinum adducunt thalamum. »

91. Quamquam huius appositi usus tot tantorumque Patrum et scriptorum suffragatione solemnis, haud paullo solemnior communibus Ecclesiae precibus demonstratur. In illis enim, ut pauca quaedam ex innumeris attingamus, praeter ea quae modo vidimus, de Deipara eiusque Filio [c]) legitur: « Iuvenca illa *intemerata* Vitulum cernens in ligno voluntarie exaltatum, moerens cum [1]) lacrymis, hei mihi! exclamabat, Fili dilectissime, quid tibi ingratus Hebraeorum populus rependit. » Et denuo [d]) legitur: « Misericordia in cruce exaltatus fuisti, sicut agnus innocens voluntarie mactatus, Fili dulcissime (cum gemitu clamabat *Agna intemerata* videns Dominum in ligno): ego vero corde incendor et transfigor, sed tuam immensam [2]) laudo pietatem. » In Gregorii autem sacramentario [3]) dicitur:

a) Triod. pag. 264. col. 2. D. Τίς ὑμνήσει σε γηγενῶν, ἄσπιλε ἁγνὴ περιστερά; σὺ γὰρ ἐκύησας ἡμῖν φῶς τὸ μέγα, ζωῆς τὸν πλοῦτον, Ἰησοῦν τὸν σωτῆρα.

b) Orat. in sanctae Mariae Praesentat. apud Combefis. Auct. T. I. col. 1628. E. Ἰδοὺ σὲ παρθένοι ἐν ἀγαλλιάσει περιχορεύουσαι οἷα βασιλίδος εἰς ναὸν βασιλέως ἀπιούσης προάγουσι· ἰδοὺ σὲ ὡς ἄσπιλον ἱερὸν εἰς τὸν θεῖον προσφέρουσι θάλαμον.

c) Men. die V. Iunii pag. 20. col. 1. A. Ἡ δάμαλις, ἡ ἄσπιλος τὸν μόσχον βλέπουσα ἐπὶ τοῦ ξύλου προσαναρτώμενον ἐθελουσίως, ὀδυρομένη γοερῶς· οἴ μοι! ἀνεβόα, ποθεινότατον τέκνον, τί σοι δῆμος ἀνταπέδωκεν ἀχάριστος Ἑβραίων.

d) Paraclit. pag. 50. col. 2. D. Ὑψώθης οἰκτίρμον ἐν σταυρῷ, ὡς ἀρνίον ἄκακον, ἐθελουσίως σφαττόμενος, τέκνον γλυκύτατον, (ἐν κλαυθμῷ ἐβόα ἡ ἀμνὰς ἡ ἄσπιλος, ὁρῶσα ἐπὶ ξύλου τὸν κύριον) ἐγὼ δὲ πίμπραμαι τὴν καρδίαν καὶ τιτρώσκομαι· ἀλλ' ὑμνῶ σου τὸ ἄμετρον ἔλεος.

1) Haec quae de lacrymis deque clamoribus Virginis cruci adstantis repetita legimus, minus forte probarentur Ambrosio qui oratione in obitu Valentiniani scripsit: *Stabat et sancta Maria iuxta crucem Filii, et spectabat Virgo sui Unigeniti passionem. Stantem illam lego, flentem non lego.*

2) E quibus liquet nihil esse commune inter Ecclesiae graecae publicam solemnemque professionem et nonnullas aliquorum Patrum opiniones, quas memorat refellitque Petavius de Incarnat. lib. XIV. cap. I.

3) Sacramentar. gregorian. pag. 330. E. apud Muratorium in Liturgia rom. veteri T. II.

« Vere dignum et iustum est, aeterne *Deus*. Et te in veneratione sacrarum virginum exsultantibus animis laudare, benedicere et praedicare. Inter quas intemerata Dei genitrix virgo Maria, cuius Assumtionis diem celebramus, gloriosa effulsit. » Tum [1]) additur: « Deus, qui per beatae Mariae virginis partum genus humanum dignatus est redimere; sua vos dignetur benedictione locupletare. Amen. Eiusque semper et ubique patrocinia sentiatis, ex cuius intemerato utero auctorem vitae suscipere meruistis. » Hinc [2]) *benedictio Reginae vel Imperatricis ad ingressum Ecclesiae* his verbis absolvitur: « Per Christum Dominum nostrum, qui ex intemeratae beatae Mariae virginis alvo nasci, visitare et renovare hunc dignatus est mundum. »

92. Quare id unum quod erat Ecclesiae consuetudine receptum, quod e populorum labiis resonabat, quodque unanimem Christianorum fidem referebat, expressit Theodorus Lascaris, quum in eo qui inscribitur [a]) *Magnus Canon Paracliticus in sanctissimam Deiparam*, his eam verbis [b]) compellavit: « Te puram, te Virginem et *intemeratam*, solam habeo murum inexpugnabilem, refugium, praesidium validum, scutum salutis. »

93. Quae quidem omnia praeclarissima sunt, Christianique nominis usu receptum probant ut innocentia Deiparae nullo umquam taminata naevo, *τῆς ἀσπίλου intemeratae* appellatione significetur. Quaeri autem utiliter potest ac vero etiam debet, utrum ex aequo ambitum ostendant amplitudinemque demonstrent, qua *τῆς ἀσπίλου intemeratae* epithetum sumendum sit, quum ad innuendam Deiparae puritatem labis exsortem usurpatur. De qua ego quaestione nullatenus repetam quae sub extremum praecedentis articuli [3]) disputavi, quaeque huc insigniter facerent. Immo neque iis plurimum immorabor quae aperte suadent, nonnisi plenissima significatione *intemeratae* appositum Deiparae adscriptum intelligi oportere. Quare non urgebo vehementius quod [4]) *ipsa* Mariae *forma intemerata* nuncupetur: quod Maria [5]) haud secus dicatur *agna intemerata* ac Christus *agnus intemeratus* vocetur: quod Maria audiat [6]) *vestis intemerata*

a) *Κανὼν παρακλητικὸς ὁ μέγας εἰς τὴν ὑπεραγίαν Θεοτόκον.*

b) Paraclit. pag. 446. col. 2. D. *Σὲ τὴν ἁγνὴν, σὲ τὴν Παρθένον καὶ ἄσπιλον, μόνην φέρω τεῖχος ἀπροσμάχητον, καταφυγὴν, σκέπην κραταιὰν, ὅπλον σωτηρίας.*

1) Ibid pag. 373. E.
2) Ibid. pag. 465. A.
3) Supp. nn. 85. seqq.
4) Sup. n. 88.
5) Sup. n. 91.
6) Sup. n. 88.

eius qui induit lucem sicut vestimentum: quod cum [1]) *intemeratis victimis* nullaque infectis macula comparetur: quod tanta illi [2]) cuiusvis labis asseratur immunitas, ut ipsa puritatis nitore *gloriosissima inter angelos praeque angelis refulgeat*: et quod tam dissita ab omni impuritatis umbra vestigioque affirmetur, ut [3]) unigenitus Dei Filius *adproperarit eiusdem subire gremium ut nostra* non item illius *peccata auferret*. His ego neque insistam acrius neque utar prolixius, sed articulum quem prae manibus habeo, interrogatione concludam.

94. Peto igitur ac flagito, utrum peccatum quod originale nominamus, flagitium sit, culpa et macula quae illos deturpet omnes qui eodem obstricti concipiuntur. Respondebitur profecto flagitium esse, culpam atque maculam, quum verissimum sit peccatum et singulis qui illud contrahunt, ita proprium inhaereat ut a Bernardo [4]) *generalis velamen confusionis* merito nuncupetur. Qui ergo fit ut Deipara uno totius Christianae antiquitatis ore tam crebro tamque solemniter *intemerata* salutetur? Alterutro ex capite necessario fit, vel quod christiana antiquitas ipsa Deiparae primordia ab hac originali labe integra crediderit, vel quod Deiparam ideo tantum *intemeratam* dixerit, quod eiusdem vitam a quavis personali actualique culpa liberam existimarit. Nihil enim video quid fingi medium possit aut interiectum cogitari. Indigni namque forent quibus aures praeberemus si qui forte appellationem τῆς ἀσπίλου *intemeratae* ad unum intactae virginitatis decus referendam esse contenderent. Praeterquam enim quod nullum reperitur adductum a nobis testimonium, quod hanc limitationem vel ferat vel non etiam funditus repudiet; quid tandem de iis statuendum erit, quibus *intemerata agna cum agno intemerato* componitur, et quibus Maria *distribute* dicitur *pura, Virgo, intemerata?*

95. Necesse est igitur ut *intemeratae* titulus idcirco Deiparae factus censeatur, quod ipsa vel omnem omnino naevum licet originalem, vel omnes dumtaxat actuales culpas devitarit. Atqui eo solum nomine *intemeratam* dici Deiparam consuevisse, quod ne minimum quidem actualem naevum ipsa contraxerit, productis in medium testimoniis non ostenditur, illis utpote absolutis et univer-

1) Sup. n. 89.
2) Sup. n. 68.
3) Sup. n. 89.
4) In Cantic. Serm. LXXVIII. n. 4. pag. 1544. D. Qui praeterea addit: « Omnes peccaverunt, et omnes caputium (al. *pileum*) suae verecundiae portant. »

salibus obsistit, neque minus reliquis quorum meminimus adiunctis [1]) adversa fronte refragatur. Nisi ergo deliberatum nobis sit studiis obsequi praeceptisque animo opinionibus inservire, fateamur oportet, propterea uno omnium suffragio *intemeratae* titulum fuisse Deiparae tributum, quod una omnium persuasio exstiterit, quovis prorsus naevo originali iuxta atque actuali eiusdem puritatem innocentiamque vacasse.

ARTICULUS III.

De apposito τῆς ἀμιάντου intactae Virgini attributo: maiorum testimonia quae hunc usum ostendunt, et Virginis innocentiam cuiusvis semper insciam labis demonstrant.

96. Quod Latinis est *intaminatum, non pollutum, intactum,* id Graeci *proprie* ἀμίαντον dicunt, quo nomine *amiantum* quoque designant lapidem, ex quo auctor est [2]) Dioscorides telas texi, quae in ignem coniectae ardeant quidem, sed flammis invictae nitidiores extrahantur.

Cum hac τοῦ ἀμιάντου *propria* significatione duplex cohaeret *metaphorica* potestas, qua τὸ ἀμίαντον idem valet ac *non profanatum scelerisque purum,* vel etiam *integrum* atque *perfectum.* Priori significatione Paulus [a]) scribit: « Honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus » idest non profanatus neque adulterio immundus. Et [b]) rursum: « Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, *impollutus,* segregatus a peccatoribus. » Ad posteriorem vero significationem pertinent Petri et Iacobi testimonia, e quibus ille memorat κληρονομίαν ἀμίαντον *hereditatem perfectam,* scribens [c]) regeneratos nos esse: « In hereditatem incorruptibilem et *incontaminatam* et immarcescibilem, conservatam in caelis. » Iacobus vero

a) Hebr. XIII. 4. Τίμιος ὁ γάμος ἐν πᾶσι, καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος.

b) Hebr. VII. 26. Τοιοῦτος γὰρ ἡμῖν ἔπρεπεν ἀρχιερεύς, ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν.

c) I. Petr. I. 4. Εἰς κληρονομίαν ἄφθαρτον καὶ ἀμίαντον καὶ ἀμάραντον, τετηρημένην ἐν οὐρανοῖς.

1) Sup. n. 93.

2) Lib. V. cap. CLVI. Et Plinius lib. XXXVI. cap. XIX. *Amiantus alumini similis nihil igni deperdit.*

meminit θρησκίας ἀμιάντου *religionis integrae* his [a]) verbis: « Religio munda et *immaculata* apud Deum et Patrem, haec est. »

97. Quemadmodum vero ex duabus hisce significationibus ea Patribus Ecclesiaeque scriptoribus familiaris est, qua τὸ ἀμίαντον id notat quod *sordis* est *expers, intaminatum, intactum;* ita hanc iidem usurpant quum singularem Deiparae innocentiam nullo umquam culpae viru afflatam profanatamque describunt. Atque hac plane significatione alexandrinus Cyrillus [b]) in nobilissima oratione quam coram ephesinis Patribus habuit, Virginem alloquens dixit: « Salve Maria Deipara, Virgo Mater, lucifera, vas *intactum.* »

98. Eadem est significatio quae in homiliis occurrit Gregorio neocaesariensi adscriptis, in quibus auctor enarrans Gabrielis [1]) verba [c]) inquit: « Ave gratia plena, Dominus tecum. Tuum enim vere est avere atque gaudere, quoniam tecum divina gratia, ut novit, habitationem elegit: cum ancilla Rex gloriae: cum speciosa speciosus forma [2]) prac filiis hominum: cum *intacta* qui *sanctificat* universa. » Ubi duo prae ceteris animadversionem merentur: atque illud inprimis, Deiparam genitumque ex ea Filium tam arcte coniungi, ut idem *speciosi* appositum utrique tribuatur: tum vero illud, Mariam non utcumque ἀμίαντον *intactam* dici, sed comparate ad eum qui universa sanctificat, proindeque ἀμίαντον *intactam* dici, quod nullum ipsa sanctitatis detrimentum pertulerit.

99. Hac ipsa significatione homiliarum quas laudavimus auctor [d]) subdit: « Ave *intacta* viduati orbis sponsa simul et mater. Ave quae in tuo utero matris Evae mortem demersisti. Ave animatum Dei templum. » At quam ipse deflet viduati mundi orbitatem? Illam dubio procul quam peccatum intulit, et qua mundus [3]) uni-

a) Iacob. I. 27. Θρησκεία καθαρὰ καὶ ἀμίαντος παρὰ θεῷ καὶ πατρὶ, αὕτη ἔστιν.

b) Encom. in s. Mariam Deiparam, opp. T. V. P. II. pag. 380. C. Χαῖρε Μαρία θεοτόκε, Παρθενομῆτορ, φωτοφόρε, σκεῦος ἀμίαντον.

c) Orat. I. in Annuntiat. Deiparae, pag. 12. C-D. Χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ κύριος μετὰ σοῦ· σὸν γὰρ τὸ χαίρειν ἀληθῶς· ἐπειδὴ μετὰ σοῦ ἡ θεία χάρις, ὡς οἶδεν, ἐσκήνωσεν· μετὰ τῆς δούλης ὁ βασιλεὺς τῆς δόξης· μετὰ τῆς ὡραίας ὁ ὡραῖος κάλλει παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων· μετὰ τῆς ἀμιάντου ὁ ἁγιάζων τὰ σύμπαντα.

d) Orat. III. in Annuntiat. Deiparae, pag. 29. C. Χαῖρε τοῦ χηρεύοντος κόσμου νυμφοτόκε ἀμίαντε· χαῖρε ἡ ἐν μήτρᾳ τὸν τῆς μήτρος βυθίσασα θάνατον· χαῖρε ὁ ἔμψυχος ναὸς τοῦ θεοῦ.

1) Luc. I. 28.
2) Ps. XLIV. 3.
3) Rom. V. 12. seqq.

versumque hominum genus a gratia animaeque vita defecit. Quum igitur Mariam, quam νυμφοτόκον *sponsam et matrem* dicit, tamquam ἀμίαντον *intactam* τῷ χηρεύοντι κόσμῳ *viduato mundo* opponat; illi sane illaesam semper gratiam et violatam numquam innocentiam adscribit.

100. Quem in finem insignia pariter ista sunt, quibus hierosolymitanus Sophronius [a]) Mariam compellat inquiens: « Te lucidam lampadem [1]) et candelabrum, in quo inhabitans divinitatis ignis illuminavit eos, qui tenebricosa corruptione involuti iacebant, omnes, *o intacta,* exaltemus tuum, o benedicta, Filium benedicentes. » Hoc igitur Maria distat ab universo hominum genere, quod quum istud *tenebricosa corruptione involutum iaceat,* illa contra est *lucida lampas,* et non secus ac *candelabrum* divini ignis fulgore nitens splendescit. Originali autem culpa inprimis fit atque ex ea repeti inprimis debet, quod universum hominum genus *tenebricosa corruptione involutum,* et ignorantia, concupiscentia atque peccato obstrictum iaceat. Ab hac igitur originali labe et ab hac tenebricosa corruptione immunis, Sophronio auctore, censenda est Maria, quae propterea ἀμίαντος dicitur, et nulli umquam obnoxia corruptelae, nullisque infuscata tenebris depraedicatur. Hinc illa [2]) Coelii Sedulii:

» Domus pudici pectoris
» Templum repente fit Dei;
» Intacta, nesciens virum
» Verbo [3]) concepit Filium.

Hinc illa [4]) veteris sequentiae: « Ad templum detulisti tecum mundandum, qui tibi integritatis decus Deus homo penitus adauxit, intacta genitrix. Laetare, quam scrutator cordis et renum probat proprio habitatu singulariter dignam, sancta Maria. » Atque hinc illa [5]) alterius sequentiae:

a) Triod. apud Mai Spicileg. Rom. T. IV. pag. 128. Σὲ τὴν φαεινὴν λαμπάδα καὶ λυχνίαν, ἐν ᾗ τὸ πῦρ τῆς θεότητος οἰκῆσαν ἐφώτισε τοὺς νυκτοειδεῖ συσχεθέντας φθορᾷ, ἀμίαντε γεραίρωμεν ἅπαντες, εὐλογοῦντες, εὐλογημένη, τὸν τόκον σου.

1) Hanc sophroniani Triodii particulam legimus quoque in vulgato Graecorum Triodio, quamquam non citra duplicem lectionis varietatem. Quod enim in illo est γεραίρωμεν *exaltemus*, in hoc, et ni fallor, commodius est γεραίρομεν *exaltamus*: et quod in illo est νυκτοειδεῖ *tenebris simili*, in hoc, contracta forma, est νυκτώδει.

2) Thesaur. hymnolog. T. I. pag. 143.

3) Haec est lectio veterum librorum; in romano autem Breviario habetur. *Concepit alvo Filium*

4) Thesaur. hymnolog. T. II. pag. 11. Ubi nexus sententiarum probat, Mariam animo iuxta et corpore singulariter intactam celebrari.

5) Ibid. T. II. pag. 186. Liquet autem idcirco Mariam absolute *intactam* dici, quod neque humano complexu, neque primae culpae afflatu fuerit delibata. Eamdem *intactae* appellationem confirmant quae habentur in serm. XX. sancti Maximi taurinensis *de*

» Spiritus alme, quo repletur Maria,
» Tu rorem sacrum stillasti in Maria.
» Amator sancte quo intacta impraegnatur Maria,
» Sub cuius umbra non torretur dum fovetur Maria,
» Tu praeservasti ne prima culpa transfusa sit in Maria.

101. Eodem spectant quae Iosephus hymnographus, quaeque Theodorus studites una mente geminisque sententiis pientissime scribunt. Iosephus [a]) enim ut Christianorum omnium animos ad efferendas Deiparae laudes inflammet, canit: « Celebremus sanctum Dei montem Mariam, *intactam illam,* e qua sol iustitiae Christus omnium vita ortus est illis, qui in tenebris versabantur. » Numquam ergo Deipara fuit *ἐν σκότει in tenebris:* numquam illi non illuxit *ὁ δικαιοσύνης ἥλιος, sol iustitiae:* et numquam propterea fuit indigna quae *ἡ ἀμίαντος intacta illa* censeretur. Conspirat Theodorus qui omnium nomine de Deipara [b]) ait: « Caelis excelsiorem, et Cherubim sublimiorem, sanctorum principem et *intactam* Dei universorum puellam laudamus et superexaltamus in omnia secula. »

102. Quoniam vero tam ista Theodori, quam superiora Iosephi et Sophronii in publicis Graecorum Officiis continentur, propterea universalem quoque orientalis Ecclesiae fidem sententiamque repraesentant. Immo fidem pariter sententiamque repraesentant occidentalis Ecclesiae, quemadmodum et nonnulla ex superioribus ostendunt, et haec probant quae [1]) priscus auctor sermonis *de Adam et Eva et sancta Maria* scribit: « Inventa est ergo mors per mulierem, vita per Virginem: uterque tamen ex virgine et sine virilis coitus permixtione. Hic (Adamus) ex incorrupta, ille Christus natus est

a) Triod. pag. 77. col. 2. C. Τὸ τοῦ Θεοῦ ἅγιον ὄρος ὑμνήσωμεν, Μαρίαν τὴν ἀμίαντον, ἐξ ἧς ἀνέτειλεν ὁ δικαιοσύνης ἥλιος τοῖς ἐν σκότει Χριστὸς ἡ πάντων ζωή.

b) Triod. pag. 218. col. 2. D. Τὴν τῶν οὐρανῶν ὑψηλοτέραν, καὶ Χερουβὶμ ὑπερτέραν, τὴν ἁγιόπρωτον καὶ ἀμίαντον κόρην τοῦ πάντων Θεοῦ ὑμνοῦμεν καὶ ὑπερυμνοῦμεν εἰς πάντας αἰῶνας.

Pentecoste, pag. 43. apud Muratorium Anecdot. T. IV., et in Gregorii Sacramentario pag. 315. C-D. penes eumdem de Liturg. rom. vet. T. II.

1) Serm. I. n. 2. pagg. 2. 3. apud em. Mai in Nova PP. Biblioth. T. 1. De hoc autem sermone ita habet sapientissimus editor: « Primus est hic sermo in admirabili codice, olim monasterii bobiensis, nunc vaticano 5758, qui a s. Augustini aetate non multum abest, ut diximus in praefatione. Ignorant hunc sermonem in sua s. Augustini editione patres Maurini. Legebat tamen seculo XIV. in codicibus Bartholomaeus Episcopus urbinas, qui multam eius partem cum varietatibus recitat in Milleloquio s. Augustini ed. brix. T. 1. col. 928. seq., ubi dicitur *sermo secundus de annunciatione Virginis.* »

ex intacta. » Accedit [1]) Sedulius presbyter qui de incarnatione Filii Dei canit:

» Haec ventura senes postquam cecinere prophetae,
» Angelus intactae cecinit properata Mariae.

Quo autem sensu *intactam* dixerit Mariam, tum perspicue aperit quum [2]) in soluta oratione Carminis Paschalis intactam exponit *nullius maculae naevo fuscatam*.

Quare si, uti decet, utriusque Ecclesiae doctrinam non secus ac tutam certamque normam sectemur, obvium nobis pronumque erit iis occurrere qui forte petant, quo spectet appellatio τῆς ἀμιάντου *intactae*, qua toties Deipara effertur atque honestatur. Respondebimus enim hac appellatione eo Patres atque eo Ecclesiam spectare, ut Maria omnium animis mentibusque obiiciatur veluti augustum Dei templum, quod numquam fuerit tenebris obscuratum, numquam corruptela infectum, et numquam non eiusmodi fulgens splendore quo caelos vinceret, ipsosque Cherubim superaret.

ARTICULUS IV.

De apposito τῆς ἀμολύντου impollutae, quo Deipara omnis contagionis expers declaratur.

103. In antiquis Glossis appositum ἀμόλυντον explicatum legimus verbis ἄνευ μολύσμου, *sine contagio, inquinamento, sorde* atque *maculis*. Nihil igitur obest, quominus quod Graeci ἀμόλυντον dicunt, latine reddamus *impollutum, ab omni sorde vacuum* atque *penitus intaminatum*. Quo plane sensu Sapientia quae audit [3]) *vapor virtutis Dei, et emanatio claritatis omnipotentis Dei sincera;* propter suam munditiem pariter dicitur [4]) πνεῦμα ἀμόλυντον, *spiritus impollutus, purus*, ἀμιγές, *impermixtus*, nullaque vel tenuissima labe vitiatus.

104. Iamvero maioribus nostris visum est ne ab hoc quidem epitheto abstinere, ut quam descriptam animis Deiparae innocentiam gerebant, eamdem commodioribus quibus liceret verbis a qualibet culpae contagione alienissimam significarent. Visum id est auctori

1) Carm. pasch. lib. II. §. II. vv 35-36. pag. 543. col. 1. B. apud Gallandium T. IX.
2) Operis paschal. lib. II. cap. II. pag. 574. col. 2. D.
3) Sap. VII. 25-26
4) Sap. VII. 22.

homiliae in annuntiationem Deiparae, qui licet non sit Chrysostomus, antiquus tamen est, atque in rem nostram opportunissime [a]) scribit: « Audi quid de viro hoc (beatum Iosephum intelligit) deque Virgine [1]) Propheta dicat: *dabitur liber obsignatus viro scienti litteras*. Quis [2]) iste liber obsignatus nisi omnino *impolluta* Virgo? » Quum igitur impolluta Virgo plane atque indubitanter libro obsignato adumbretur, idem necesse est valeat τὸ ἀμόλυντον ad Virginem relatum, ac τὸ ἐσφραγισμένον de libro adhibitum. Sed eatenus liber est diciturque obsignatus, quatenus neque stylo patuit, neque suum scriptione recepta candorem deperdidit. Similem ergo ob caussam Virgo est diciturque ἀμόλυντος *impolluta*, quod nulla umquam fuerit contagione vitiata, nullamque labem qua pollueretur, aliquando contraxerit.

105. Quod sane me praeterit, an non etiam luculentius eo in hymno Georgius [b]) declararit quem Graeci in pervigilio Annuntiationis frequentant, quove canunt: « O divinum vellus, Virgo *impolluta*, te iam adorna. Deus enim velut pluvia in te descendet ad praevaricationis fluenta exsiccanda. » Ubi quum postrema verba *infinitivum scopi* continentia [c]) his aperte respondeant, *ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi;* in hanc mentem veni ut arbitrarer, τὴν παράβασιν *praevaricationem* sumi antonomastice, eaque originalem Adami transgressionem designari. In qua mente confirmatus inde non leviter fui quod viderem τὴν παράβασιν *praevaricationem* cum τοῖς ῥεύμασι *fluentis* iungi atque cohaerere. Fluere enim, inundare, mundum ingredi, illumque pervadendo contaminare atque polluere, notae sunt et characteres quibus Paulus [3]) originalem praevaricationem distinguit. Quid iamvero ex hisce est consequens? Istud omnino, nisi orationis series ductusque penitus negligatur: ad Virginem, quae *divinum vellus* nuncupatur, fluenta originalis transgressionis non

a) Hom. in annuntiat. Deiparae, inter opp. Chrysostomi T. II. col. 797. D. Ἄκουσον τί περὶ τοῦ ἀνδρὸς τούτου καὶ τῆς παρθένου ὁ προφήτης φησί· δοθήσεται τὸ ἐσφραγισμένον βιβλίον ἀνδρὶ εἰδότι γράμματα· τί τὸ ἐσφραγισμένον βιβλίον, ἢ πάντως ἡ ἀμόλυντος παρθένος;

b) Men. die XXIV. Martii, Ode γ'. pag. 101. col. 1. C. Ὁ θεῖος πόκος ἑτοιμάζου, Παρθένε ἀμόλυντε· ἐπί σε γὰρ ὁ θεὸς, ὡς ὑετὸς καταβήσεται, ξηράναι τὰ ῥεύματα τῆς παραβάσεως.

c) Ioh. I. 29. Ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου.

1) Is. XXIX. 11.

2) Vix autem opus est monere, adverbium πάντως referri ad particulam excludentem ἢ, non autem ad insequens incisum ἡ ἀμόλυντος παρθένος, proindeque hunc existere clariorem sensum: *quis iste liber obsignatus nisi plane ac indubitanter ea quae est impolluta Virgo?*

3) Rom. V. 12. seqq.

pervenisse, neque suis illam undis conspurcasse, atque idcirco ἀμόλυντον *impollutam* salutari.

106. Simili sententia neque dissimili verborum complexione Anatolius [a]) scribit: « Missus est angelus Gabriel e caelis a Deo ad Virginem *impollutam*. Missus est incorporeus famulus ad animatam civitatem, portamque spiritalem. Missus est caelestis miles ad animatum gloriae palatium ut creatori non desinentem habitationem praepararet. » Accedit vulgatus neocaesariensis Gregorius, qui non modo Virginem hoc epitheto exornat, sed illius quoque vim potestatemque non obscure [b]) declarans inquit: « Missus est servus incorporeus ad *impollutam* Virginem. Missus est a peccato liber *ad eam quae capax corruptionis non erat.* » Hoc enim proprie sibi vult, πρὸς τὴν φθορᾶς ἀνεπίδεκτον, et non solum, quod interpres habet, *ad eam quae omnis corruptionis expers erat.* Porro quae dicitur ἡ φθορᾶς ἀνεπίδεκτος *corruptionis incapax*, eadem vocatur παρθένος ἀμόλυντος *Virgo impolluta.* Ideo ergo Deipara est censeturque ἀμόλυντος *impolluta*, quod Deus illam uti *animatum gloriae palatium* ita condiderit, ut non modo polluta numquam fuerit, sed, quae erat eius destinatio, ne pollui quidem potuerit.

107. Egregie Sophronius hierosolymitanus, qui Virginem exorans [c]) inquit: « *Impollutum* [1]) tabernaculum, Virgo undequaque sancta, misericordiae tuae fonte purifica me passionum illecebris dire

a) Men. die XXV. Martii, pag. 112. col. 2. D. Ἀπεστάλη ἄγγελος Γαβριὴλ οὐρανόθεν ἐκ θεοῦ πρὸς Παρθένον ἀμόλυντον· ἀπεστάλη δοῦλος ἀσώματος πρὸς ἔμψυχον πόλιν, καὶ πύλην νοεράν· ἀπεστάλη στρατιώτης οὐράνιος πρὸς τὸ ἔμψυχον τῆς δόξης παλάτιον, προετοιμάσαι τῷ κτίστῃ κατοικίαν ἄληκτον.

b) Orat. III. in annuntiat. Deiparae, pag. 26. A. Ἀπεστάλη δοῦλος ἀσώματος πρὸς παρθένον ἀμόλυντον· ἀπεστάλη ὁ ἁμαρτίας ἐλεύθερος πρὸς τὴν φθορᾶς ἀνεπίδεκτον.

c) Triod. apud Mai, Spicil. rom. T. IV. pag. 132. Ἀμόλυντε σκηνὴ, παναγία Παρθένε, μολυνθέντα με δεινῶς παθῶν ἐπαγωγαῖς τῇ πηγῇ τοῦ ἐλέους σου κάθαρον, καὶ δός μοι ὄμβρους κατανύξεως, δέσποινα, ἁμαρτίας βυθὸν κατακλύζοντας.

1) Paullo secus in recepto Graecorum Triodio pag. 165. col. 1. haec ita leguntur: Ἀμόλυντε σκηνή, παναγία Παρθένε, μολυνθέντα με δεινῶν παθῶν ἐπαγωγῆς (forte ex typographico mendo), τῇ πηγῇ τοῦ ἐλέους σου κάθαρον, καὶ δός μοι ὄμβρους κατανύξεως, δέσποινα, ἁμαρτίας βυθὸν ἀφανίζουσα. Cuius clausulae hic redit sensus: *Et da mihi compunctionis imbres, o Domina, quae peccati abyssum aufers.* Ceterum utramque lectionem complexus videtur Iohannes Monachus in hymno qui eius nomine inscribitur in Men. die IX. Decembris, Ode ϛ'. pag. 73. col. 2. Παρθένε θεοτόκε, ἀμόλυντε σκηνή, μολυνθέντα πταίσμασι καθάρισόν με νῦν τῶν οἰκτιρμῶν σου καθαρωτάταις ῥανίσι, καὶ δός μοι χεῖρα βοηθείας, ἵνα κράζω· δόξα σοι, ἁγνὴ θεοδόξαστε. *Virgo Deipara, tabernaculum impollutum, me peccatis pollutum emunda nunc purissimis guttis misericordiarum tuarum, et mihi praebe auxilii manum, ut clamem: gloria tibi, o innocens divinitus glorificata.*

pollutum, et da mihi, o Domina, compunctionis imbres qui peccati abyssum abluant. » Et [a]) rursum: « Stillis misericordiarum tuarum, o semper [1]) Virgo *impolluta,* contaminationes quibus cor meum male afficitur, deterge, impertiens mihi lacrymarum rivos spiritualem prompte expiationem afferentes. » Patet igitur et liquido caussa patet, propter quam Virgo et semper Virgo ἀμόλυντος *impolluta* nuncupatur. Scilicet hoc illi nomen propterea defertur, quod ipsa sit *innocens,* quod sit *undequaque sancta,* quod ex ipsa ceu illimi fonte *purissimae guttae* dimanent, quod nullas persenserit cupiditatum illecebras, quodque adeo ab omni contagione immunis fuerit, ut peccati abyssum auferre non immerito censeatur.

108. Quae sane non minimum istis illustrantur atque expoliuntur, quae de Virgine Theophanes [b]) inquit: « Cherubim atque Seraphim apparuisti excelsior, o Deipara. Sola enim incomprehensibilem Deum in utero tuo comprehendisti, *o impolluta.* Proinde fideles quotquot sumus omnes, te, o innocens, beatam hymnis celebramus. » Vides praeclaram encomiorum seriem, qua Virgo ex ordine laudatur ut Cherubim ac Seraphim excelsior, ut Deipara, ut impolluta, ut innocens, ut digna quae hymnis omnium ore celebretur? vides intimum nexum quo se mutuo encomia excipiunt atque illustrant? vides Deiparam absolute simpliciterque *impollutam* et *innocentem* appellari? vides postremo tantam illi a quavis pollutionis umbra immunitatem adscribi, quanta opus fuit ut incomprehensibilem Dei Filium suo ipsa sinu comprehenderet, et Cherubim ac Seraphim celsior nitidiorque appareret? Hinc [c]) Matthaeus cantacuzenus ad [d]) ista Cantici verba, *quae est ista quae ascendit candida ut flos,* scribit: « *Quae*

a) Triod. apud Mai, Spicileg. rom. T. IV. pag. 157. Τῶν οἰκτιρμῶν σου ταῖς ῥανίσιν ἀεὶ παρθένε ἀμόλυντε, τοὺς μολυσμοὺς τοὺς ἐμπαθεῖς τῆς καρδίας μου ἀπόπλυνον, δακρύων ὀχετούς μοι παρεκτικοὺς καθάρσεως ψυχικῆς δωρουμένη.

b) Men. die VIII. Maii, Ode γ'. pag. 33. col. 1. et rursum Paraclit. pag. 375. col. 2. Τῶν Χερουβὶμ καὶ Σεραφὶμ ἐδείχθης ὑψηλοτέρα, Θεοτόκε· σὺ γὰρ μόνη ἐδέξω τὸν ἀχώρητον Θεὸν ἐν σῇ γαστρὶ, ἀμόλυντε· διὸ πιστοὶ σὲ πάντες ὕμνοις, ἁγνὴ, μακαρίζομεν.

c) Comm. in Cantic. VIII. 5. pagg. 63-64. Τίς αὕτη ἡ ἀναβαίνουσα, ἐκ τῆς ἐμῆς ῥίζης; δηλονότι οἱονεί τις κλάδος χαριέστατος· λελευκανθισμένη ἀντὶ τοῦ καθαρὰ καὶ ἀμόλυντος.

d) Cant. VIII. 5. Τίς αὕτη ἡ ἀναβαίνουσα λελευκανθισμένη;

1) Ne cui vero dubium sit, utrum particula ἀεὶ ad propinquum τῆς παρθένου nomen, an ad remotius verbum ἀπόπλυνον, referenda sit; iuverit observasse in communi Graecorum Triodio, in quo haec ex Sophronio accepta leguntur, haberi pag. 278. col. 1. ἀειπάρθενε.

est ista quae ascendit, nimirum ex radice veluti ramus quidam gratia refertus. *Candida* idest pura et impolluta. »

109. Quanta vero fuerit haec impollutae Virginis ab omni contagione immunitas, iis iterum declaratur quae publicis contenta monimentis passim occurrunt. In his enim ista [a]) occurrunt: « Sola e mulieribus finem imposuisti maledictioni protoparentum, o Dei sponsa, quae incircumscriptum carne circumscriptum pariens innovasti naturae leges, *o impolluta*, et prius dissita admirabili tua mediatione coniunxisti. » Est igitur Virgo diciturque impolluta. At cur? Quod nimirum quum hinc habeantur τὰ διεστῶτα *dissita*, et τῇ ἀρᾷ τῶν πρωτοπλάστων *maledictioni protoparentum* obnoxia, quo numero universa Adae posteritas censetur: inde vero semet sistat ὁ ἀπερίγραπτος *incircumscriptus* Deus qui carne circumscriptus in lucem prodit; Maria haec inter veluti extrema tamquam *mediatrix* apparet, suoque mediatricis munere seiuncta copulat et ad pacem adducit. Sed si media intercedit Maria, quemadmodum eorum ambitu comprehendi nequit quae *seiuncta* dicuntur; ita ad ipsam non pertinet diffusa e protoparentibus maledictio. Ab hac igitur soluta est, atque ita inter maledictos utpote singulariter benedicta excellit, ut ἡ ἀμόλυντος *impolluta* praedicetur.

110. Quod ex his pariter colligere licet quae [b]) subdimus: « Salve o Deipara innocentissima: salve fax vitae: salve caelestis scala: salve universae creaturae Regina atque Domina: salve o benedicta labis omnis expers: salve *o impolluta*, glorificata: salve o undequaque celebranda. » Neque alio [c]) ista pertinent: « O *impollute* Verbi thalame, o caussa coniunctionis omnium cum Deo, o prophetarum praedicatio, salve penitus intemerata: salve o apostolorum ornamentum. » Quare fuit cur [1]) Anselmus ita Virginem deprecaretur: « O Virgo se-

a) Men. die XXX. Maii, Ode θ'. pag. 113. col. 1. Ἔπαυσας μόνη γυναικῶν τὴν ἀρὰν τῶν πρωτοπλάστων Θεόνυμφε, τὸν ἀπερίγραπτον σαρκὶ τεκοῦσα περιγραφόμενον, ἐκαινοτόμησας θεσμοὺς φύσεως, ἀμόλυντε, τὰ διεστῶτα τὸ πρὶν παραδόξῳ μεσιτείᾳ σου ἥνωσας.

b) Paraclit. pag. 394. col. 2. Χαῖρε Θεοτόκε πάναγνε· χαῖρε πηγὴ τῆς ζωῆς· χαῖρε κλίμαξ οὐράνιε· χαῖρε πάσης δέσποινα καὶ κυρία τῆς κτίσεως· εὐλογημένη χαῖρε παναμωμε· δεδοξασμένη χαῖρε ἀμόλυντε· χαῖρε πανύμνητε.

c) Triod. pag. 318. col. 2. Παστὰς τοῦ λόγου ἀμόλυντε, αἰτία τῆς τῶν πάντων θεώσεως, χαῖρε πανάχραντε, τῶν προφητῶν περιήχημα· χαῖρε τῶν ἀποστόλων τὸ ἐγκαλλώπισμα.

1) Orat. LVIII. ad sanctam virginem Mariam in purificatione eius, pag. 285. col. 1. A.

renissima, per merita tuae piissimae purificationis da mihi virtutem contra hostes tuos: Virgo sanctissima, corpore castissima, moribus omnium pulcherrima: Virgo virginum nec corde umquam polluta, nec ore, sed tota pulcra, tota sine macula: intemerata Virgo corpore, intemerata Virgo mente, nihil debens legibus, nullis tacta excessibus. » Atque nihil adeo debens legi, qua omnes irae et morti gignuntur obnoxii, et ne illo quidem tacta excessu quo universa Adami progenies a rectitudine aberravit.

ARTICULUS V.

De epitheto τῆς ἀμέμπτου inculpatae, quo Deipara propterea insignitur, ut eiusdem innocentia cuiusvis semper culpae exsors demonstretur.

111. Auctor quaestionum et responsionum ad orthodoxos, qui [1]) seculo V. recentior haberi nequit, inter alios quos expediendos suscipit nodos, et hunc [a]) sibi proponit: « Si solus Christus divinam legem accurate implevit, quomodo [2]) ambulabant *inculpati* in lege Zacharias et Elisabeth, de quibus id testatus est Lucas, ac ipse etiam [3]) Paulus secundum iustitiam quae ex lege est, *inculpatus?* » Tum ad explanandam difficultatem [b]) progressus inquit: « Aliud est *inculpatum*, aliud peccati expertem esse. Nam peccati expers omnino etiam *inculpatus;* non iam autem qui *inculpatus* est, necessario etiam

a) Quaest. CXLI. inter opp. Iustini, Append. par. I. pag. 583. C-D. Εἰ μόνος ὁ Χριστὸς τὸν θεῖον νόμον ἀκριβῶς ἐξετέλεσε, πῶς ἐπορεύοντο ἐν τῷ νόμῳ ἄμεμπτοι ὅ τε Ζαχαρίας καὶ ἡ Ἐλισάβετ, περὶ ὧν ταῦτα ὁ Λουκᾶς ἐμαρτύρησε, καὶ ὁ Παῦλος δὲ κατὰ δικαιοσύνην τὴν ἐν νόμῳ γενόμενος ἄμεμπτος;

b) Ibid. pag. 503. D-E. Ἄλλο τὸ ἄμεμπτον, καὶ ἄλλο τὸ ἀναμάρτητον· ὁ μὲν γὰρ ἀναμάρτητος, ἐκ παντὸς καὶ ἄμεμπτος· οὐκέτι δὲ ὁ ἄμεμπτος, ἐξ ἀνάγκης καὶ ἀναμάρτητος ἐστίν· ὁ γὰρ ἁμαρτάνων παρὰ τὸν νόμον συγγνώστην ἁμαρτίαν, τῇ προσαγωγῇ τῶν θυσίων, καὶ τῇ ἐξαγορεύσει τοῦ πταίσματος λαβὼν τὴν ἄφεσιν, γίνεται καθαρὸς καὶ ἄμεμπτος κατὰ τὴν ἐκ νόμου δικαιοσύνην· ὁ δὲ Χριστὸς, ἅτε ἀναμάρτητος ὢν, καὶ οὐδαμῶς παραβὰς τὸν νόμον, οὔτε διεπράξατό τι διορθώσεως δεόμενον· ἐδέξατο δὲ καὶ τὸν Βαπτιστὴν Ἰωάννην, καὶ ἐβαπτίσθη ὑπ' αὐτοῦ, ἵνα πληρώσῃ πᾶσαν δικαιοσύνην· ἣν ὁ Παῦλος πρὸ τοῦ πιστεῦσαι Χριστῷ, οὔπω ἦν δεξάμενος· ἐπεὶ οὐκ ἂν ἐδίωξε τὴν ἐκκλησίαν· διὰ τοῦτο ὁ Χριστὸς μόνος λέγεται ἀναμάρτητος γεγονέναι.

1) Videsis Marani admonitionem inter opp. Iustini App. I. pagg. 434. seqq.

2) Luc. I. 6.

3) Philipp. III. 6.

expers peccati. Nam qui admittit contra legem peccatum ignoscendum, is victimarum munere et peccati confessione veniam percipiens, purus fit et *inculpatus* secundum iustitiam quae ex lege est. Christus autem, utpote peccati expers ac nullatenus legem praetergressus, nihil fecit quod emendatione indigeret. Suscepit autem Iohannem Baptistam et ab eo baptizatus est, ut [1]) impleret omnem iustitiam, quam quidem Paulus antequam in Christum crederet, nondum acceperat; neque enim [2]) persequutus fuisset Ecclesiam. Propterea solus Christus dicitur peccati expers fuisse. »

112. Quamquam vero neque notari neque reiici funditus debeat eiusmodi discrimen, quo aliud esse dicitur τὸ ἄμεμπτον *inculpatum*, et aliud τὸ ἀναμάρτητον *peccati expers*; nihilominus extra omnem omnino dubitationem positum est, multo etiam plenius τὸ ἄμεμπτον *inculpatum* sumi, illudque adhiberi [3]) nunc quidem de personis quas nulla inficit labes, et nunc de rebus quibus nihil prorsus deest, quaeque integrae sic sunt, ut omnibus absolutae numeris iure merito existimentur. Ad priorem significationem ista pertinent quibus Paulus [a]) precatur ut Dominus confirmet « corda vestra sine querela *(inculpata)* in sanctitate ante Deum et Patrem nostrum in adventu Domini nostri Iesu Christi cum omnibus sanctis eius. » Ubi scite [4]) Theodoritus καρδίας ἀμέμπτους *corda inculpata* interpretatur μώμου παντὸς ἐλευθέρους, *a quavis labe integra* et soluta. Posteriore autem significatione idem Apostolus de vetere testamento [b]) ait: « Nam si illud prius culpa vacasset *(inculpatum fuisset)*, non utique secundi locus inquireretur. » Ubi [5]) Chrysostomus, Theodoritus, Theophylactus et si qui sunt alii litterarum Pauli graeci enarratores illud ἄμεμπτον *incul-*

a) I. Thess. III. 13. Εἰς τὸ στηρίξαι ὑμῶν τὰς καρδίας ἀμέμπτους ἐν ἁγιωσύνῃ ἔμπροσθεν τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς ἡμῶν, ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ πάντων τῶν ἁγίων αὐτοῦ.

b) Hebr. VIII. 7. Εἰ γὰρ ἡ πρώτη ἐκείνη ἦν ἄμεμπτος, οὐκ ἂν δευτέρας ἐζητεῖτο τόπος.

1) Matth. III. 15.

2) I. Cor. XV. 9.

3) Ut enim missos faciam scriptores tam profanos quam ecclesiasticos, de quibus Stephanus et Suicerus conferri possunt, alexandrini Bibliorum interpretes una τοῦ ἀμέμπτου voce reddunt vocabula hebraica בַּר *mundus, purus* Iob. XI. 4, זָכָה *immaculatus* Iob XV. 14, חַף *nitidus* Iob. XXXIII. 9, נָקִי *innocens* Iob. XXII. 19, et תָּם, *integer, perfectus* Gen XVII. 1, Iob. I. 1-8, XII. 4.

4) In comm. ad h. l.

5) In commentariis ad h. l. En Chrysostomi verba: Εἰ ἡ πρώτη ἦν ἄμεμπτος, τουτέστιν, εἰ οὐδὲν εἶχεν ἐλλιπές. *Si illud prius culpa vacasset, hoc est, si nullo laborasset defectu.* Consonat Theodoritus scribens: Τὸ ἄμεμπτος, ἀντὶ τοῦ τελείου τέθεικε. *Culpa vacans posuit pro perfecto.*

patum quod antiquo foederi detrahitur, explicant τὸ τέλειον *perfectum* et οὐδὲν ἔχων ἐλλιπές *nullo laborans defectu.*

113. Atque haec neque alia prorsus est acceptio, qua Deipara in christianis monimentis ἄμεμπτος *inculpata* nuncupatur. Cuius acceptionis testis inprimis est Iosephus hymnographus, ubi de illa [a]) scribit: « Christum in ligno voluntarie exaltatum conspiciens *Inculpata illa* prae dolore stupens cum gemitu exclamabat: Fili et Deus meus, quae dolorum fui nescia quum te in lucem ederem, nunc *iniuste* dolores sustineo, quum tu ab iniustis crucifigeris. » E quibus perspicue liquet, Deiparam absolute simpliciterque τὴν ἄμεμπτον *inculpatam illam* nuncupari: liquet illi, utpote inculpatae, opponi τοὺς ἀνόμους *iniustos*, ipsamque adeo a quavis ἀνομίᾳ *iniustitia* liberam solutamque describi. Sed [b]) auctore Iohanne, *peccatum est* ἀνομία *iniquitas* et iniustitia. Liquet igitur nullo umquam obligatam peccato τὴν ἄμεμπτον *inculpatam illam* affirmari. Quo si semel fuisset obstricta, et si vel uno temporis ictu originalem ἀνομίαν *iniquitatem* contraxisset; eam profecto dedecerent verba, se ἀδίκως *iniuste* angi, urgerique maestitia, quum eiusmodi ista sint quae originalem praevaricationem stata lege comitantur.

114. Ad alios venio testes, qui quum Deiparam ἄμεμπτον *inculpatam* vocent, illam nulli umquam obnoxiam peccato profitentur. Tales porro sunt Graeci universi, qui in pervigilio dominicae Nativitatis hymnum frequentant, quo [c]) ista etiam continentur: « Altitudinem mysterii vere ineffabilis *inculpata* Domina obstupuit ac dixit: caelestis thronus te continens exardet, et quomodo, Fili mi, ego te gesto? » Et tales sunt Graeci universi qui [d]) in hymno de augusta Virgine canunt: « Intima ancipitum cogitationum procella agitatus sapiens Ioseph ad te coniugii nesciam respiciens, *o inculpata,* conturbatus est suspicans occultum amatorem. Discens autem tuum ex

a) Paraclit. pag. 34. col. 1. C. Θαμβεῖται ἐν ξύλῳ ὁρῶσα Χριστὸν ὑψωθέντα βουλήσει ἡ ἄμεμπτος, καὶ κλαίουσα ἐκραύγαζεν· υἱέ μου καὶ Θεέ, ὠδῖνας ἐν τῷ τίκτειν λαθοῦσα, νῦν ὀδύνας ὑπομένω ἀδίκως, ὑπὸ ἀνόμων σταυρουμένου σου.

b) I. Ioh. III. 4. Ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία.

c) Men. die XXIV. Decembris Ode η'. pag. 205. col. 1. D. Ὕψος ἀληθῶς ἀῤῥήτου μυστηρίου ἡ ἄμεμπτος δέσποινα κατεπλήττετο, καὶ ἔλεγεν· ὁ θρόνος ὁ οὐράνιος φλέγεται σὲ κατέχων, καὶ πῶς υἱέ μου βαστάζω σε;

d) Triod. pag. 315. col. 1. D. Ζάλην ἔνδοθεν ἔχων λογισμῶν ἀμφιβόλων ὁ σώφρων Ἰωσὴφ ἐταράχθη πρὸς τὴν ἄγαμον σὲ θεωρῶν, καὶ κλεψίγαμον ὑπονοῶν, ἄμεμπτε· μαθὼν δὲ σοῦ τὴν σύλληψιν ἐκ πνεύματος ἁγίου, ἔφη κ. τ. λ.

Spiritu sancto conceptum, dixit...» Quibus et absolute ἄμεμπτος *inculpata* audit Deipara, et eiusdem innocentia cuiusvis labis exsors cum *caelestis throni* puritate confertur.

115. Eodem ista pertinent quae eiusdem graecae Ecclesiae suffragatione usuque comprobata [a]) legimus: « Iuxta crucem, o Iesu, stans ea quae te peperit, ingemiscens lamentabatur exclamans: non fero, o Fili, conspicere in ligno exaltatum quem enixa sum. Ego enim ut viri inscia dolores partus effugi; et quomodo nunc, *inculpata,* dolore excrucior atque corde transfigor? » et [b]) rursum: « Ex sanguine meo mortalis factus es, ex tuo autem sanguine [1]) mortales Deo coniunxisti, et ut bonitate superexcellens descendisti ad eos quaerendos qui fuerant cibo [2]) corrupti, exclamabat olim non sine fletu *inculpata* illa, Christum lamentans in cruce suspensum, quem morientem videns, fontes lacrymarum effundebat ipsum magnificans. »

Igitur semel ac rursum Deipara ἡ ἄμεμπτος *inculpata* simpliciter salutatur, neque hoc solum titulo salutatur, verum etiam utpote ἡ ἄμεμπτος *inculpata* ab iis secernitur, iisque opponitur quos esus interdicti fructus corrupit. Esus autem interdicti fructus eos omnes atque solos corrupit et corrumpet qui in Adamo [3]) peccaverunt atque peccabunt, quique originali culpa obstricti vel iam fuerunt concepti vel ad extremum usque concipientur. Ab hac igitur originali corruptela conceptio τῆς ἀμέμπτου *inculpatae* immunis fuit ac soluta.

116. Quae omnia non parum lucis ex his [c]) mutuantur: « In

a) Paraclit. pag. 242. col. 2. A. Στᾶσα ἐπὶ σταύρῳ Ἰησοῦ ἡ σὲ τεκοῦσα, θρηνῳδοῦσα ὠδύρετο βοῶσα· οὐ φέρω, τέκνον, προσηλώμενον ὁρᾷν ἐπὶ ξύλου ὃν περ ἀπεκύησα· ἐγὼ γὰρ διέφυγον τὰς ὠδῖνας, ὡς ἄνανδρος, καὶ πῶς ἀρτίως τῇ ὀδύνῃ συνέχομαι, καὶ σπαράττομαι τὴν καρδίαν ἡ ἄμεμπτος.

b) Paraclit. pag. 410. col. 1. A. Ἐκ τῶν αἱμάτων τῶν ἐμῶν βροτὸς γεγένησαι, ἐκ τῶν αἱμάτων δὲ τῶν σῶν βροτοὺς ἐθεώσας, τοὺς βρώσει δὲ φθαρέντας ζητῶν κατῆλθες ὡς ὑπεράγαθος· ἐβόα πάλαι ἡ ἄμεμπτος ἐν κλαυθμῷ, Χριστὸν θρηνοῦσα κρεμάμενον ἐν σταύρῳ, ὃν ὁρῶσα νεκρούμενον, δακρύων ἔρρει κρουνοὺς, αὐτὸν μεγαλύνουσα.

c) Paraclit. pag. 262. col. 1. D. Ἐν τῇ ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ τῆς ἀπειρογάμου νύμφης εἰκὼν διεγράφη ποτέ· ἐκεῖ Μωϋσῆς διαιρέτης τοῦ ὕδατος, ἐνθάδε Γαβριὴλ ὑπηρέτης τοῦ

1) Quod autem heic dicitur, *ex tuo autem sanguine mortales deificasti*, iis expolitur quae in libro de Incarnat. Verbi habet Athanasius inquiens: Αὐτὸς ἐνηνθρώπησεν, ἵνα ἡμεῖς θεοποιηθῶμεν, *ipse* (Dei Filius) *humanam assumpsit naturam, ut nos deificaremur.* Tum iis quae in litteris ad Adelphium scribit: Γέγονεν ἄνθρωπος, ἵνα ἡμᾶς ἐν ἑαυτῷ θεοποιήσῃ, *homo factus est, ut nos in seipso deificaret.* Haec autem sive θέωσις sive θεοποίησις *deificatio* ipsa est τῆς θείας κοινωνία φύσεως, *participatio divinae naturae*, quae I. Petr. I. 4. memoratur.

2) Gen. III. 6. seqq.

3) Rom. V. 12.

mari rubro adumbrata olim fuit imago sponsae thori nesciae. Ibi Moyses divisor aquarum, hcic Gabriel minister miraculi. Tunc siccis pedibus Israel profundum mare pertransiit; nunc autem sine semine Virgo genuit Christum. Mare post Israclis transitum mansit invium; *inculpata illa* post Emmanuelis partum mansit incorrupta. » Neque ista tandem praeteriri [a]) debent: « Dominum cruci affixum conspiciens *inculpata* Dcipara, hei mihi, inquiebat, Fili, quomodo moreris vita et spes fidelium? » Est igitur in ecclesiasticis monimentis solemne, ut Deipara dicatur ἄμεμπτος *inculpata,* vel etiam insignite ἡ ἄμεμπτος *inculpata illa:* et in iisdem pariter solemne est, ut hac appellatione non tam intemerata eius virginitas quam immunitas a quovis culpae naevo significetur. Hinc [1]) in ecclesiastica sequentia *de adventu Domini* legimus:

» Hostis frendet, sol dum splendet
» Pura sub nubecula;
» Sed est carens naevo parens
» Lucis, haec Virguncula.

Atque hinc [b]) in Anthologio [2]), praeeunte Germano, his verbis Deipara exoratur: « Sana vulnera animae meae, mentemque meam incuria obtenebratam, o Dei sponsa, illumina ut psallam: nemo reperitur inculpatus sicuti tu, o penitus immaculata, et nemo praeter te, o Domina, reperitur inviolatus. »

θαύματος· τότε τὸν βυθὸν ἐπέζευσεν ἀβρόχως Ἰσραὴλ, νῦν δὲ τὸν Χριστὸν ἐγέννησεν ἀσπόρως ἡ Παρθένος. ἡ θάλασσα μετὰ τὴν πάροδον τοῦ Ἰσραὴλ ἔμεινεν ἄβατος, ἡ ἄμεμπτος μετὰ τὴν κύησιν τοῦ Ἐμμανουὴλ ἔμεινεν ἄφθορος.

a) Paraclit. pag. 49. col. 1. A. Σταυρούμενον ὁρῶσα τὸν κύριον ἡ ἄμεμπτος Θεοτόκος, ἔλεγεν· οἴ μοι υἱὲ, πῶς θνήσκεις ἡ ζωὴ καὶ ἐλπὶς τῶν πιστῶν;

b) Antholog. pag. 193. col. 1. E. Θεράπευσον τὰ τραύματα τῆς ψυχῆς μου, τὸν νοῦν μου σκοτιζόμενον ἀμελείᾳ, θεόνυμφε, καταύγασον, ἵνα ψάλλω· οὐκ ἔστιν ἄμεμπτος, ὡς σὺ πανάμωμε, καὶ οὐκ ἔστιν ἄχραντος πλὴν σοῦ, δέσποινα.

1) Thesaur. Hymnolog. T. II. pag. 336.

2) Quod Graeci dicunt Ἀνθολόγιον, et nos dicere *Florilegium* possumus, est liber ecclesiasticus in duodecim menses tributus, quo Officia continentur quae per totum annum in domini nostri Iesu Christi, beatae Virginis Deiparae et insignium Sanctorum festis solent decantari. Contextum est hoc opus ad eam formam quae in menaeis observatur, et maximam partem ex iisdem desumptum apparet. In edit. veneta an. MDCCCXXXVIII. hunc praefert titulum. Ἀνθολόγιον περιέχον τὰς ἐν τῷ μηνολογίῳ ἀκολουθίας τῶν δεσποτικῶν καὶ θεομητορικῶν, καὶ τῶν ἑορταζομένων ἁγίων, καί τινας τῶν ἐν τῷ τριῳδίῳ καὶ πεντηκοσταρίῳ δεσποτικῶν ἑορτῶν, τὰ ἕνδεκα ἑωθινὰ εὐαγγέλια τὰς τῆς ὀκτωήχου ἀναστασίμους ἀκολουθίας, τὰς εἰς ἁγίους μὴ ἑορταζομένους ἀνωνύμους ἀκολουθίας, τὴν ἐν ἑκάστῃ ἡμέρᾳ τῆς ἑβδομάδος παρακλητικὴν ἀκολουθίαν, καὶ ἐπὶ τέλους τοὺς δύο παρακλητικοὺς τῆς Θεοτόκου. Cf. Allatium in diss. I. de libris ecclesiast. Graecorum §. XIII., Montfauconium in diar. italic. pag. 437, et Zaccariam in Biblioth. ritual. lib. I. cap. IV. §. XXI.

ARTICULUS VI.

De apposito τῆς ἀκηράτου illaesae, quo imminuta numquam Deiparae innocentia designatur.

117. Dum eo Graeci spectant ut luculenter significent quae pura sic sunt, simplicia, impermixta, ut nullam plane vel contraxerint maculam, vel laesionem persenserint, nullum libentius quam τοῦ ἀκηράτου *illaesi* epithetum usurpant. Hoc enim usurpant ubi de sempiterna Unigeniti ex Patre generatione loquentes [a]) aiunt: « Tu coniugii nescia exstitisti mater Dei procedentis ex *illaeso* Patre, sine doloribus maternis. Proinde te Deiparam, incarnatum namque Verbum peperisti, orthodoxe praedicamus. » Hoc usurpant dum unigenitum Dei Filium metaphorica *illaesi* ignis loquutione efferentes [b]) scribunt: « Uterum tuum deiferum, o Virgo, suscipientem in se *illaesum* ignem, olim in monte Sinae praevidebat Moyses, rubum igne succensum nec tamen combustum. »

118. Idem τοῦ ἀκηράτου *illaesi* epithetum usurpant, sive dum Unigenitum dicunt vitam illaesam et nesciam corruptionis, sive dum illum sistunt atque exhibent instar racemi, quem nulla penitus maligna aura afflaverit. Et ad primum quidem caput [c]) ista pertinent: « *Illaesae* vitae divinum tabernaculum exstitisti sola a seculo visa innocens, o Virgo mater. Propterea me in umbra mortis iacentem precibus tuis nunc adducito, o labis omnis expers, ad vitam. » Ad alterum vero caput ista referuntur, quibus quum imagine vitis Deiparam, et racemi imagine natum ex ea divinum Filium [d]) repraesen-

a) Men. die X. Ianuarii Ode γ'. pag. 104. col. 1. B. Σὺ μήτηρ θεοῦ ἀσυνδυάστως, γεγένησαι τοῦ ἐξ ἀκηράτου πατρὸς ἐκλάμψαντος ἄνευθεν ὠδίνων μητρικῶν· ὅθεν σε Θεοτόκον, σεσαρκωμένον γὰρ ἐκύησας λόγον, ὀρθοδόξως κηρύττομεν.

b) Triod. pag. 65. col. 1. A. Βάτον καιομένην πυρὶ καὶ μὴ φλεγομένην προεώρα πάλαι Μωσῆς ἐν Σιναίῳ τῷ ὄρει τὴν θεόδεκτόν σου γαστέρα, Παρθένε, ὑποδεχομένην τὸ ἀκήρατον πῦρ.

c) Paralit. pag. 383. col. 2. A. Ζωῆς τῆς ἀκηράτου θεία σκηνὴ γέγονας, μόνη ἐξ αἰῶνος φανεῖσα, Παρθενομῆτορ, ἁγνή· διὸ πανάμωμε τὸν ἐν σκιᾷ τοῦ θανάτου πρὸς ζωὴν ὁδήγησον νῦν με πρεσβείαις σου.

d) Men. die XVIII. Decembris Ode ζ'. pag. 148. col. 2. A. Ἡ ἄμπελος ἡ θεία τὸν ἀκήρατον βότρυν περκάζουσα, ἐγγίζει ἥκει τοῦ τεκεῖν εὐφροσύνης οἶνον βλύζοντα, καὶ ποτίζοντα ἡμᾶς αὐτῷ κραυγάζοντας· ὁ τῶν πατέρων θεὸς εὐλογητὸς εἶ.

tent, inquiunt: « Vitis divina ad maturitatem perducens *illaesum* racemum, proxime in lucem eum editura iam est, qui stillat vinum laetitiae, potumque nobis praebet qui ad ipsum clamamus, benedictus es Deus patrum nostrorum. » Et [a]) alibi: « Non secus ac vitis aucta Angeli voce adornabaris, o Virgo, ad producendum racemum maturum eumque illaesum. »

119. Constat igitur ac repetitis testimoniis evidenter constat, appellationem *τοῦ ἀκηράτου illaesi* tum maxime frequentari, quum ea ostendi significarique debent quae impermixta prorsus sunt, infucata, pura, nulloque plane naevo corrupta. At vero haec ipsissima appellatio in ecclesiasticis monimentis iterata recurrit, quum intaminata Mariae puritas eiusque innocentia nullius conscia labis describitur. Ex pluribus quae huc facerent testimoniis, unum alterumve deligam quo perspicuum illud fiat quod affirmavi. Itaque [b]) in hymno quem Graeci Ignatio constantinopolitano Antistiti tribuunt et quo Deiparae laudes celebrant, legimus: « Intemerata agna, *illaesa* Verbi virgo mater eum aspiciens cruci affixum, qui ex ipsa sine dolore germinaverat, pro materno gemens affectu exclamabat: hei mihi, Fili mi! quomodo pateris dum vis hominem ab ignominia passionum liberare? » Eodem pertinent [c]) quae in Offiio de sancta Barbara virgine his concepta verbis habentur: « Salve o mons sancte, et super quem Deus inambulat. Salve rube animate atque incombuste. Salve unicus pons mundi ad Deum, qui mortuos ad vitam aeternam transfers. Salve [1]) *o illaesa* puella, quae coniugii expers animarum nostrarum salutem peperisti. »

120. Quibus subiici ista debent, quae quum Iohannem Euchai-

a) Men. die XXIV. Martii Ode ε'. pag. 101. col. 2. D. Ἀγγέλου τῇ φωνῇ πιανθεῖσα ὡς ἄμπελος πρὸς βλάστησιν ἑτοιμάζου τοῦ πεπείρου, Παρθένε, καὶ ἀκηράτου βότρυος.

b) Men. die XIII. Martii Ode γ'. pag. 59. col. 1. C. Ἡ ἀμίαντος ἀμνὰς, τοῦ λόγου ἡ ἀκήρατος Παρθενομήτωρ, ἐν σταυρῷ θεασαμένη κρεμάμενον τὸν ἐξ αὐτῆς ἀνωδίνως βλαστήσαντα, μητροπρεπῶς θρηνῳδοῦσα ἐκραύγαζεν· οἴ μοι τέκνον μοῦ! πῶς πάσχεις θέλων ῥύσασθαι παθῶν τῆς ἀτιμίας τὸν ἄνθρωπον;

c) Men. die IV. Decembris pag. 17. col. 1. A. Χαῖρε ἅγιον ὄρος καὶ θεοβάδιστον. Χαῖρε ἔμψυχε βάτε καὶ ἀκατάφλεκτε. Χαῖρε ἡ μόνη πρὸς θεὸν γέφυρα, ἡ μετάγουσα θνητοὺς πρὸς τὴν αἰώνιον ζωήν. Χαῖρε ἀκήρατε κόρη, ἡ ἀπειράνδρως τεκοῦσα τὴν σωτηρίαν τῶν ψυχῶν ἡμῶν.

1) Gemina dicendi forma usum novimus Gregorium nazianzenum, vel antiquum certe auctorem tragoediae, cui titulus est, Χριστὸς πάσχων, *Christus patiens* vv. 552-557. opp. T. II. pag. 1238. Accedunt testimonia ex Menaeis die XXVI. Maii pag. 119. col. 2. D, et die III. Novembris Ode α. pag. 20. col 1. B, itemque ex Theodoro Imperatore ad calcem Paraclil. pag. 450. col. 1. C.

tarum metropolitam auctorem habeant, universi orientis usu [a]) frequentantur: « Tamquam [1]) labis omnis expers sponsa creatoris, tamquam viri nescia Mater Salvatoris, tamquam receptaculum Altissimi exsistens, o omni laude dignissima, mihi qui foedum peccatorum diversorium, quique scienter factus sum daemonum ludibrium, adsis festina, meque ab horum fraudibus eripe, meque domicilium virtute splendidum reddito. O *illaesa* lucis custodia expelle cupiditatum nebulas, et lucis tuae occasus nesciae superno splendore atque omnis naevi immuni claritate me dignum effice. » Quaerentibus igitur quibus maxime de caussis Deipara in Ecclesiae monimentis ἀκήρατος *illaesa* nuncupetur, respondendum est: propterea eiusmodi titulo Deiparam exornari, quod I. ipsa sit credaturque ἀμίαντος *intemerata*, ἅγιον ὄρος, *mons sanctus*, πανύμνητος *omni laude dignissima*, et πανάμωμος *cuiusvis maculae exsors*: quod II. ipsa sit credaturque *ab ea passionum ignominia immunis* qua hominum genus dehonestatur: quod III. ipsa sit credaturque *unicus pons mundi ad Deum*, atque idcirco cum Deo semper coniuncta et numquam a Deo divisa: quod IV. ipsa sit credaturque *super eorum omnium evecta ordinem* qui *mortui* dicuntur, quique *per ipsam ad aeternam vitam transferuntur*: quod V. ipsa sit

a) Triod. pag. 133. col. 2. B. Ὡς πανάμωμος νύμφη τοῦ ποιητοῦ, ὡς ἀπείρανδρος μήτηρ τοῦ λυτρωτοῦ, δοχεῖον ὡς ὑπάρχουσα τοῦ ὑψίστου, πανύμνητε, ἀνομίων με ὄντα αἰσχρὸν καταγώγιον καὶ ἐν γνώσει γενόμενον τοῖς δαίμοσι παίγνιον, σπεῦσον, καὶ τῆς τούτων κακουργίας με ῥῦσαι, λαμπρὸν οἰκητήριον δι᾽ ἀρετῆς ἀπαρτίσασα· φωτοδόχε ἀκήρατε, δίωξον τὸ νέφος τῶν παθῶν, καὶ τῆς ἄνω λαμπρότητος ἀξίωσον καὶ ἀκιβδήλου αἴγλης φωτὸς ἀνεσπέρου σου.

1) Similia habentur in Octoecho p. 18. col. 1. E. De hoc autem libro, quem non inepte vocares *Octotonum* sive *octo tonos continentem*, sic habet Allatius in diss. I. de libris ecclesiast. Graecorum §. VII: « Cum Graecorum musica proprios tonos (ipsi vocant ἤχους *sonos*) quatuor habeat, primum, secundum, tertium et quartum; quatuor item obliquos, πλάγιον τοῦ πρώτου, *obliquum primi*, obliquum secundi, obliquum tertii, gravis alius est, et obliquum quarti: Canones omnes sive Troparia et quaecumque aliae cantiones in hoc libro contentae ita dispositae sunt, ut quae primo tono concinuntur, omnia simul primum sibi locum occupent, quae secundo secundum, quae tertio tertium, et sic de singulis, donec ad obliquum quarti perveniatur, qui inter tonos ultimus ultimum quoque sibi locum vendicat, et cantiones eo modulatae ac commensuratae ultimo quoque loco reponuntur. Continet tantum Troparia et Canones, qui e primis Vesperis Dominicae ad finem usque Missae canuntur. Et octo Dominicis pro tonorum numero finitur. Singuli toni tres habent Canones, primum ἀναστάσιμον, qui in resurrectionis dominicae: secundum σταυροαναστάσιμον, qui in crucis et resurrectionis: tertium in Mariae virginis laudibus celebrandis versantur. Et haec in Octoechis antiquis habebantur. In recentioribus modo additur pro singulis Tonis Canon, qui in μεσονυκτίου vel μεσονυκτικοῦ, mediae scilicet noctis Officio cani suevit, et quod de Trinitate pertractat, *Triadicus* dicitur. Et Canones hi dierum dominicorum numerum non excedunt, cum octo etiam illi sint. Triadicorum Canonum auctor est Metrophanes Episcopus smyrnaeus; reliqua praeter nonnulla quae Anatolii Patriarchae constantinopolitani et Theodori Studitae sunt, omnia e Iohannis Damasceni calamo proficiscuntur. » Haec Allatius, cum quibus non citra utilitatem conferri possunt quae de Octoecho scribunt Cangius in Lex. med. et infim. graecit. ad v. ἦχος, et Goarius in Euch†olog. pagg. 206-433.

credaturque *illaesa lucis custodia* et numquam tenebris circumfusa: quod VI. ipsa sit credaturque αἴγλη ἀκίβδηλος *splendor impermixtus* nulloque tenebrarum consortio infuscatus: et quod VII. ipsa sit credaturque φῶς ἀνέσπερον *lux occasus inscia*, quo encomio ipsemet Christus his verbis [a]) effertur: « O labis omnis expers eripe me ab omni discrimine et ab innumeris serpentis insidiis, et ab igne sempiterno, et a tenebris tu quae *lucem numquam occiduam* hominibus peperisti. »

ARTICULUS VII.

De appositis τῆς ἀδιαφθόρου, ἀφθόρου, ἀφθάρτου incorruptae, quibus innocentia Deiparae nullo umquam vitiata naevo exprimitur.

121. Apposita, quae recensuimus, ab uno eodemque themate pendent, et ex una eademque radice, quae est φθείρω *corrumpo*, subolescunt. Quare illis omnibus communis est notio *incorruptibilitatis*, et omnia idem universim notant ac *incorruptibile, incorruptum.* Sicuti autem *corruptio*, ita opposita illi *incorruptio* ad duplicem ordinem sive *physicum* sive *moralem* referri potest. Si incorruptio referatur ad ordinem physicum, epitheta τὸ ἀδιάφθορον, ἄφθορον, ἄφθαρτον nunc quidem significant quod *corruptionis atque interitus expers* est et omnino *immortale*: quo sensu [1]) τῷ θεῷ ἀφθάρτῳ *Deo immortali* opponitur φθαρτὸς ἄνθρωπος *homo mortalis;* nunc vero significant quod *inviolatum* dicimus et ne levissime quidem tactis virginibus defcrimus. Scite [b]) Gregorius nyssenus: « Hominum consuetudo expertem connubii *incorruptam* appellat. » Sin autem incorruptio ad moralem ordinem referatur, eadem apposita notant quod nullius labis est consors, quodque nulla macula deturpatum. Ad hanc significationem [c]) ista pertinent: « Nam [2]) spiritus tuus *incorruptus* est in omnibus. »

a) Paraclit. pag. 40. col. 2. A. Ῥῦσαι με πάσης περιστάσεως, καὶ πολλῶν σκανδάλων τοῦ ὄφεως, καὶ αἰωνίζοντος πυρὸς καὶ τοῦ σκότους, Παναμωμε, ἡ τὸ φῶς ἀποκυήσασα βροτοῖς τὸ ἀνέσπερον.

b) Orat. in nat. domini nostri Iesu Christi, opp. T. II. col. 776. C. Τὴν ἀπειρόγαμον ἄφθορον οἶδεν ὀνομάζειν ἡ τῶν ἀνθρώπων συνήθεια.

c) Sap. XII. 1. Τὸ γὰρ ἄφθαρτόν σου πνεῦμα ἐστὶν ἐν πᾶσι.

1) Rom. I. 25.

2) Vulgatus habet: *o quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus.*

Tum ista quibus Christus *vita incorrupta* his omnino verbis [a]) appellatur: « Universum mortalium genus corruptione mortis damnatum est propter degustatum a prima matre lignum. Per te autem, o innocens, revocatum, utpote quae *incorruptibilem* vitam pepereris. » Quo testimonio non solum Christus dicitur ζωὴ ἀδιάφθορος, *vita incorrupta:* neque solum Deipara *instar secundae Evae* et *secundae hominum matris* proponitur; sed propterea ἁγνὴ *innocens* appellatur, quod corruptionem ex primae matris praevaricatione dimanantem non contraxerit.

122. Atque hoc plane sensu omnimodae moralis incorruptionis apposita τῆς ἀδιαφθόρου, ἀφθόρου, ἀφθάρτου, *incorruptae* atque *inviolatae* in ecclesiasticis monimentis Deiparae tribuuntur. Cuius quidem usus testis est nobilissimus [b]) Proclus scribens: « Quod si Virgo non Deum genuit, nec magno digna erit *illa inviolata* [1]) miraculo. » Et multo etiam illustrius ubi [c]) diabolum repraesentans de adventu Servatoris sollicitum, scribit: « Eversum est, *aiebat diabolus,* mortis imperium, ut virginalis genuerit uterus. Ut incorrupta natura [2]) conceperit, periit daemonum natura. » Testis est [d]) Cosmas monachus ut ex eiusdem hymno eruitur, qui in pervigilio Purificationis usurpari solet, et in quo ista habentur: « Primogenitus ex Patre ante secula, primogenitus puellae *incorruptae* parvulus apparuit, protendens manum Adae. » Ac testis item est [e]) Ignatius qui simillima repetens ait: « Immaculatam Mariam veluti animatum thalamum, veluti *in-*

a) Paraclit. pag. 308. col. 2. A. Γένος βροτῶν ἅπαν φθορᾷ τοῦ θανάτου καταδεδίκασται τῇ τῆς προμήτορος ἀπογεύσει τοῦ ξύλου· διὰ σοῦ δὲ ἀνακέκληται, ὡς ζωὴν τεκούσης σου, ἁγνὴ, τὴν ἀδιάφθορον.

b) Epist. II. ad Armenos de fide §. XII. apud Gallandium T. IX. pag. 689. E. Εἰ δὲ μὴ ἔτεκε θεὸν ἡ παρθένος, οὐδὲ πολλοῦ θαύματος ἄξια ἡ ἄφθορος.

c) Orat. VI. quae est Deiparae laudatio, §. XV. pag. 643. B. apud Gallandium T. IX. Ἀνετράπη, λέγων ὁ διάβολος, ἡ θανατικὴ βασιλεία, ἐὰν ἡ παρθενικὴ γεννήσῃ κοιλία· ἐὰν ἄφθορος συλλάβῃ φύσις, τέθνηκε τῶν δαιμόνων ἡ φύσις.

d) Men. die I. Februarii Ode γ'. pag. 16. col. 1. B. Ὁ πρωτότοκος ἐκ τοῦ πατρὸς πρὸ αἰώνων, πρωτότοκος νήπιος κόρης ἀφθόρου τῷ Ἀδὰμ χεῖρα προτείνων ἐπέφανε.

e) Men. die XI. Septembris Ode α'. pag. 78. col. 1. A. Ὡς ἔμψυχον θάλαμον, ὡς ἀδιάφθορον σκήνωμα, ὡς πύλην οὐράνιον, ὡς θείαν τράπεζαν, ὡς παλάτιον καὶ θρόνον τοῦ δεσπότου, Μαρίαν τὴν ἄχραντον ὕμνοις τιμήσωμεν.

1) Ubi citra quodvis additamentum Maria dicitur ἡ ἄφθορος, ipsique propterea non quaevis sed omnibus expleta numeris incorruptio asseritur.

2) Quum itaque sit Deipara quae dicitur ἄφθορος φύσις *natura incorrupta*, et quum natura corrupti sint quotquot in originalem praevaricationem offendunt; nihil manifestius quam ab huius corruptela labis subductam Virginem declarari.

corruptum tabernaculum, veluti portam caelestem, veluti mensam divinam, veluti palatium et thronum Domini Regis hymnis celebremus. » Cum quibus haec [a]) praeclara oppositione cohaerent: « Corruptum mente, corruptum anima et conscientia ob malitiam inquinatum, et bonis omnibus nudum me patefactum ne deseras, o Virgo incorrupta, immaculata, sed pietatis operibus exorna. » Atque haec item Gregorii Armeniorum Catholici, qui [1]) canit: « Dominum benedicite, qui Evae maledictionem qua in doloribus pareret, progenitus ex incorrupta Virgine solvit. » Quid vero *incorruptae* appellatione significetur, cum ex ipso orationis contextu, tum ex hisce plane eruitur quae habet [2]) Nerses claiensis: « Maria virgo immaculata, deprecare *incorruptum* tuum sponsum, ut reconcilietur cum animis gratia viduatis et rursum caritate cum iis uniatur, qui longe ab ipso discesserunt. »

123. Quae [3]) si uti par est expendantur, liquido ostendunt I. Deiparam eximie τὴν ἄφθορον *incorruptam illam* nuncupari, eique propterea τῆς ἀφθορίας *incorruptionis* plenam absolutamque perfectionem deferri: ostendunt II. Deiparam simul pariterque vocari et τὴν ἄφθορον *incorruptam*, et τὴν θείαν *divinam*, et τὴν οὐράνιον *caelestem*, et τὴν ἄχραντον *inviolatam*, proindeque eam incorruptionis formam ipsi adscribi, quae nulla ex parte deficiat: III. Deiparam conferri cum aeterno Genitore, illique eiusmodi ἀφθαρσίαν *incorruptibilitatem* tribui, quae institutam comparationem non dedeceat: ostendunt IV. Deiparam prope *mediam* sisti inter Filium quem ipsa genuit, et Adamum cui Filius ex ipsa genitus salutiferam manum porrexit: ostendunt V. Deiparam non sine emphasi τὴν ἄφθορον *incorruptam* dici prae Adamo, quem peccati labes infecit et corruptio occupavit: ostendunt VI. propterea ἀδιάφθορον σκήνωμα *incorruptum tabernaculum* Deiparam vocari, quod ne umbra quidem corruptionis ipsam attigerit, sicut ligna mosaici tabernaculi prorsus erant incorrupta: ostendunt VII. non aliam Deiparae censeri posse incorruptionem, nisi quae conveniat *mensae*

a) Paraclit. pag. 140. col. 1. D. Φθαρέντα τὸν νοῦν, φθαρέντα τὴν ψυχὴν, καὶ τὴν συνείδησιν κακίᾳ μολυνθέντα, καὶ γυμνὸν παντοίων ἀγαθῶν ἀποδειχθέντα, παρθένε ἄφθορε ἄμωμε, μή με παρίδῃς, ἀλλ᾽ ἔργοις εὐσεβείας κατακόσμησον.

1) In hymno Annuntial. pag. 1222. T. III. Breviar. armen.

2) Ibid. pag. 1194.

3) Hisce autem simillima scribunt Iohannes geometra hymno II. in Deiparam, vv. 60-70. p. 439, et Anselmus hymno I. in laudem Deiparae pag. 307. col. 2.

divinae et *palatio ac throno* τοῦ Δεσπότου *Domini* ac Dei. Nemo autem est qui non facile intelligat, hanc esse omnimodam oportere et nulla sive actuali sive originali labe violatam. Si enim VIII. talis non foret, neque *incorrupto tabernaculo*, neque *mensae divinae*, neque *palatio ac throno* Unigeniti conveniret, atque impar prorsus esset ut Maria ἡ ἀδιάφθορος *incorrupta illa* itemque ἄφθορος φύσις *incorrupta natura* crederetur. Est enim originale peccatum verissima φθορά, *corruptela*, et quisquis illo fuerit infectus, nonnisi abusione ὁ ἀδιάφθορος *simpliciter incorruptus* aestimari dicique potest.

124. Succedunt alia testimonia, eaque Graecorum Officiis contenta, sive quum in iis [a]) dicitur: « Ex te sibi circumdedit massam meam, *o incorrupta*, viri nescia, Mater Virgo, Deus seculorum conditor, sibique ipsi humanam naturam copulavit. » Sive quum in eisdem [b]) repetitur: « Virgo Mater te *purum* Verbum uti *puram* et *incorruptam* dilexit, et ex te incarnatus totum hominem refinxit. » Sive quum Virgo his verbis [c]) salutatur: « Ave spiritalis oriens quae ex visceribus Christum edidisti, mundum replentem, o innocens, ineffabili luce: quae peperisti incorporeorum laetitiam, agnum Dei tollentem mundi totius peccata: quae lactasti, o penitus immaculata, omnium altorem, illumque ulnis complexa es, tu sola incorrupta, innocens, inviolata. Ave sancta sanctorum, et sanctissimum Dominum, o innocens, deprecans servis tuis impetra magnam misericordiam. » E quibus luce clarius deprehenditur, I. Deiparam dici simpliciter ἄφθορον, *incorruptam*, eiusque incorruptionem ab integritate virginali distingui: II. Deiparam coniunctim dici ἀδιάφθορον, καθαρὰν, ἀμόλυντον, ἁγνὴν, παναμώμον, καὶ ἁγίαν ἁγίων, *incorruptam, puram, inviolatam, innocentem, omni ex parte immaculatam et sanctam sanctorum*, eique propterea incorruptionem adscribi nullius maculae consciam: III. Deiparam atque incarnatum ex ea Verbum eodem

a) Triod. pag. 297. col. 1. B. Ἐκ σοῦ ἠμφιάσατο τὸ φύραμά μου, ἄφθορε, ἄνανδρε, μητροπάρθενε, Θεὸς ὁ κτίσας τοὺς αἰῶνας, καὶ ἥνωσεν ἑαυτῷ τὴν τῶν ἀνθρώπων φύσιν.

b) Men. die XVIII. Decembris Ode α΄. Παρθενομῆτορ· ὡς καθαράν σε καὶ ἀδιάφθορον λόγος καθαρὸς ἠγάπησε, καὶ ἐκ σοῦ ἀνεπλάσατο σαρκούμενος ὅλον τὸν ἄνθρωπον.

c) Octoech. pag. 58. col. 1. E. Χαίροις ἀνατολὴ νοητὴ, ἡ ἐκ λαγόνων τὸν Χριστὸν ἀνατείλασα, πληροῦντα τὴν οἰκουμένην φωτὸς ἀῤῥήτου, ἁγνὴ, τὸ τῶν ἀσωμάτων ἀγαλλίαμα, ἀμνὸν Θεοῦ αἴροντα ἁμαρτίας ἡ τέξασα παντὸς τοῦ κόσμου, τὸν τροφέα, παναμώμε, ἡ θηλάσασα, καὶ ἀγκάλαις κατέχουσα μόνη ἡ ἀδιάφθορος ἁγνὴ ἡ ἀμόλυντος· χαῖρε ἁγία ἁγίων, τὸν ὑπεράγιον κύριον, ἁγνὴ, δυσωποῦσα καταπέμψαι τοῖς σοῖς δούλοις τὸ μέγα ἔλεος.

ornari τοῦ ἀφθόρου *incorrupti* et τοῦ καθαροῦ, *puri* apposito, proindeque illius incorruptionem ad divinam quam proxime accedere: IV. eam incorruptionis praestantiam Deiparae vindicari, quam *purum* Verbum et puritatis amator eo usque dilexerit, ut ex ipsa sibi naturam assumpserit: V. incorruptionem Deiparae gradu et proportione referre incorruptionem humanae illius naturae, quam ex ipsa sibi Verbum copulavit: et VI. Deiparam, utpote incorruptam et puram, ab hominum genere impuro, corrupto, eaque de caussa refingendo prorsus secerni.

125. Sed operae pretium fuerit praeterea audire tum [a]) Iohannem geometram, qui Virginem his verbis extollit: « Ave puella magnum miraculum, quod neque sermone neque animo comprehendi potest. Tu Dei Filium paris, quis umquam simile aliquid audivit? Ave quae sine semine, incorrupta, innocens gignis verbo Verbum immortale, quod ante te sine matre, et ex te sine patre effulsit. » Tum [1]) Armeniorum ecclesiam, in cuius monimentis de Virgine legimus: « Incorruptibilem virginem Mariam Deiparam confitetur sancta Ecclesia, a qua datus est panis immortalitatis et poculum quod nos laetificat. Templum incorruptibile Verbi Patris benedicunt chori spirituales: nos quoque laudamus consonantes caelestibus. » Tum denique [b]) hierosolymitanum Sophronium, cuius haec sunt luculentissima verba: « Ex te, o puella thori expers, Dei Sapientia propter ineffabilem pietatem suam domum sibi aedificans incarnata est. *Sola* enim ex omnibus generationibus electa fuisti *incorrupta* [2]) in habitaculum Verbi *incorrupti.* » Cuiusmodi est igitur Deiparae *incorruptio?* scilicet eiusmodi, quae *ex omnibus generationibus illi soli* conveniat. Scilicet eiusmodi, propter quam ipsa ab omnibus genera-

a) Hymn. II. in Deiparam vv. 62-64. pag. 439. D-E. in App. ad Biblioth. graeco-lat. T. III.

Χαῖρε κόρη, μέγα θαῦμα, καὶ οὐ φατὸν οὐδέ γε ληπτόν,
Υἷα θεοῦ τίκτεις, οὗ τίς ἄκουσεν ὅλων;
Χαῖρε λόγῳ λόγον ἄμβροτον, ἄσπορος, ἄφθορος, ἁγνή,
Μητρὸς ἄνευθε πρό σου, πατρὸς ἄνευθ' ἀπό σου.

b) Triod. apud Mai, Spicileg. rom. T. IV. pag. 222. Ἐκ σοῦ τοῦ θεοῦ ἡ Σοφία οἶκον ἑαυτῇ δομησαμένη ἐσαρκώθη ἀποῤῥήτῳ συγκαταβάσει, κόρη ἀπειρόγαμε· σὺ γὰρ μόνη πάντων γενεῶν ἐκλέλεξαι ἄφθορος ἀφθόρου εἰς κατοικίαν λόγου.

1) Confess. eccles. armen. pagg. 33-35. edit. Venet. 1845.

2) In communi Graecorum Triodio pag. 209. col. 2. habetur, ἐκλέλεξαι ἄφθορος ἀφθάρτου. Sed vicissim in Sophronii Triodio apud Mai pag. 142. legitur, ἄφθαρτος ἀφθάρτου

tionibus, utpote corruptis, secernatur, et in proprio veluti ordine collocetur. Scilicet eiusmodi quae Deiparam reddiderit non indignam, e qua sibi Dei Sapientia domum aedificaret. Scilicet eiusmodi, quae non secus ac Verbi puritas, eodem *incorrupti* epitheto rite efferatur. Proindeque eiusmodi quae nulli sit maculae affinis, et qua plenior atque excellentior ne animo quidem cogitari posse videatur.

ARTICULUS VIII.

De apposito τῆς ἀχράντου intaminatae, quo Deipara in christianis monimentis ornatur: testimonia maiorum quae huc pertinent, quaeque apte simul composita omnem ab ipsa culpae maculam longissime arcent.

126. Dum explicat Hesychius quid proprie sibi velit τὸ ἄχραντον, scribit: ἄχραντον· ἀμόλυντον, καθαρὸν, ἀμίαντον· χραίνειν γάρ ἐστι τὸ μιαίνειν. *Impollutum, incontaminatum, purum, immaculatum: χραίνειν enim est polluere.* A quibus vix ista dissident Suidae monentis, ἄχραντον proprie dici ἄψαυστον *intactum*, quodque ne levissime quidem manus attigerit. Et merito, quando χραίνω, e quo ἄχραντον oritur, est *leviter tango, utcumque officio atque laedo.*

127. Hoc apposito, quod in novo testamento numquam occurrit, utitur Symmachus ut graece reddat hebraicum צָחַח, צָחָה *nituit, candidus fuit.* Qui enim in Threnis [1]) vocantur *lacte candidiores*, illos ἀχράντους *intaminatos* Symmachus interpretatur. Quod vero spectat ad Ecclesiae scriptores, ipsi sanctissima quaeque ac penitus intaminata, τῶν ἀχράντων appellatione significant. Atque hac quidem appellatione significant caelestes Virtutes dum [a]) aiunt: « Te altissimi Dei matrem thori nesciam, te, supra quam intelligi mente possit, illius qui vere Deus est gravidam per verbum effectam, te *intaminatis* Virtutibus sublimiorem laudibus non cohibendis magnificamus. » Eadem appellatione insigniunt Christi manus [b]) his verbis: « Palmas

a) Men. die XVI. Septembris Ode θ'. pag. 114. col. 1. B. Σὲ τὴν ἀπειρόγαμον Θεοῦ μητέρα τοῦ ὑψίστου, σὲ τὴν ὑπὲρ νοῦν κυήσασαν διὰ λόγου τὸν ὄντως θεὸν, τὴν ὑψηλοτέραν τῶν ἀχράντων δυνάμεων, ἀσιγήτοις δοξολογίαις μεγαλύνομεν.

b) Paraclit. pag. 30. col. 2. A. Παλάμας ἀχράντους σου, Χριστὲ, ἐπὶ ξύλου ἥπλω-

1) Thren. IV. 7.

tuas [1]) *intaminatas*, o Christe, in ligno expandisti, et digitos cruentasti, o hominum amator, quum velles redimere opus manuum tuarum divinarum, Adamum propter praevaricationem regno mortis obnoxium, quem et omnipotenti tua virtute exsuscitasti. » Eadem insigniunt Christi passionem, de qua [a]) legimus: « Passionem *intaminatam* passionibus imitantes, o gloriosi victores martyres, facile hostium contumelias sustinuistis. » Eadem efferunt eucharistica mysteria, de quibus loquens [b]) Evagrius scribit: « Ab *intaminati* communione exclusi sunt. »

128. Neque alius est usus τοῦ ἀχράντου *intaminati*, sive quum de Christo [c]) dicitur: « O mater sancta *intemeratae* lucis, angelicis te hymnis honorantes pie magnificamus. » Sive quum de eodem [d]) repetitur: « O prorsus immaculata, quae *intaminatum* agnum qui tollit peccatum mundi, concepisti, precare ut servis tuis peccatorum venia donetur. » Quibus uti Christus dicitur ἀμνὸς ἄχραντος, *agnus intemeratus*, ita Deipara vocatur πανάμωμος *penitus immaculata*, et eo usque immaculata, ut nihil illi cum *mundi peccato* et nihil cum universali ruina commune fuerit.

129. Cuius plenissimae integritatis tot ferme suppetunt testes, quot apertissimis sententiis Deiparam ἄχραντον *intaminatam*, et ne levissime quidem tactam compellant. Quo sane epitheto Deiparam compellat Theodorus studites [e]) inquiens: « Ecce omnes generationes te, *o intemerata*, beatam celebramus, contemplantes magnalia

σας, καὶ τοὺς δακτύλους αἱμάτωσας, θέλων λυτρώσασθαι τῶν θείων χειρῶν σου τὸ ἔργον, φιλάνθρωπε, Ἀδὰμ τὸν παραβάσει κρατούμενον εἰς τὰ βασίλεια τοῦ θανάτου, ὃν καὶ ἤγειρας ἐξουσίᾳ τῇ παντοδυνάμῳ σου.

a) Paraclit. pag. 49. col. 1. A. Τοῖς πάθεσι τὸ πάθος τὸ ἄχραντον μιμούμενοι, καλλίνικοι Μάρτυρες, τοὺς αἰκισμοὺς ῥαδίως τῶν ἐχθρῶν ὑπεμείνατε.

b) H. E. lib. III. Cap. XXI. Τῆς ἀχράντου κοινωνίας ἐχωρίσθησαν.

c) Triod. pag. 486. col. 1. B. Μήτηρ ἁγία ἡ τοῦ ἀχράντου φωτὸς, ἀγγελικοῖς σε ὕμνοις τιμῶντες εὐσεβῶς μεγαλύνομεν.

d) Men. die XXIII. Februarii Ode ϛ'. pag. 127. col. 1. D. Ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου τὸν αἴροντα, ἄχραντον ἀμνὸν συλλαβοῦσα, Πανάμωμε, ἁμαρτιῶν συγχώρησιν ἐκδυσώπει δοθῆναι τοῖς δούλοις σου.

e) Triod. pag. 189. col. 2. B. Ἰδοὺ πᾶσαι γενεαὶ μακαρίζομέν σε, ἄχραντε, τὰ μεγαλεῖα τὰ σὰ καθορῶντες.

1) A quibus seiungi ista non debent ex prece Theodori studitae ad Deiparam sumpta (Triod. p. 231. col. 2. C.): Τὸ ξύλον, ἐν ᾧ, Πάνσεμνε, τὰς ἀχράντους παλάμας ὑπὲρ ἡμῶν ἐξέτεινε προσπαγεὶς ὁ υἱός σου, νῦν εὐσεβῶς προσκυνοῦμεν· δὸς ἡμῖν την εἰρήνην. *Lignum, in quo confixus, o undequaque veneranda, intaminatas palmas pro nobis extendit Filius tuus, nunc pie veneramur. Tu da nobis pacem.*

tua. » Una est igitur Maria, quae ex omnibus generationibus ἄχραντος *intaminata* apparet, et in qua τὰ μεγαλεῖα *magnalia* Dei luculentissime refulgent. Eodem epitheto eademque significatione Mariam *intaminatam* compellant Sophronius hierosolymitanus, Metrophanes smyrnensium Metropolita et Iohannes damascenus.

130. Et Sophronius quidem [a]) scribit: « Virginitatis pulcritudine refulsisti decora, *o intaminata* innocens, quae peperisti factorem omnium ac Deum inferos depraedantem, vitamque mortuis impertientem, cuius devote celebramus resurrectionem. » Concinit Metrophanes qui [b]) ait: « Eum, qui tempora et secula supergreditur, Deum in tempore super naturam, Deum hominem incarnatum concepisti, *o intaminata*. Quare te Deiparam vere atque proprie omnes confitentes impense ad te clamamus, effice nos omnes aeterna gloria dignos. » Neque secus Iohannes damascenus, cuius ista sunt [c]) verba: « Te, *o intemerata*, contuemur veluti lilium, tinctam purpura divini Spiritus in medio spinarum emicantem, illosque suavi odore perfundentem, qui te sincera mente exaltant. » Porro eadem *intaminatae* atque *intemeratae* appellatione ornatur Deipara tum [1]) in missali mozarabico, tum [d]) semel ac rursum ab Iohanne thessalonicensi, qui [2]) oratione de Virginis dormitione inter cetera scribit: « O Maria Dei genitrix, iure beatam te dicunt omnes generationes, quoniam

a) Triod. apud Mai, Spicileg. rom. T. IV. pag. 184. Παρθενίας κάλλεσιν ὡραιώθης, ἄχραντε ἁγνὴ, τεκοῦσα τὸν ποιητὴν πάντων καὶ Θεὸν, τὸν ᾅδην σκυλεύσαντα καὶ τοῖς νεκροῖς νέμοντα ζωὴν, οὗ τὴν ἀνάστασιν θεοφρόνως ἑορτάζομεν.

b) Graec. Triod. pag. 166. col. 1. B. Τὸν χρόνων ἐπέκεινα καὶ πρὸ αἰώνων θεὸν ἐν χρόνῳ ἐκύησας ὑπερφυῶς ἐν σαρκὶ Θεάνθρωπον, ἄχραντε· ὅθεν σε Θεοτόκον ἀληθῶς καὶ κυρίως πάντες ὁμολογοῦντες, ἐκτενῶς σοι βοῶμεν· τῆς δόξης τῆς αἰωνίου πάντας ἀξίωσον.

c) Paraclit. pag. 172. col. 1. D. Ὁρῶμεν ὡς κρῖνον σὲ τῇ ἁλουργίδι βεβαμμένην, ἄχραντε, τοῦ Θείου πνεύματος, τῶν ἀκανθῶν ἐν μέσῳ ἐκλάμπουσαν, καὶ εὐωδίας πληροῦσαν τοὺς σὲ γνησίως μεγαλύνοντας.

d) Orat. in Deiparae dormit. pagg. 4-34. Ὦ Μαρία Θεοτόκε, σὲ δικαίως πᾶσαι αἱ γενεαὶ μακαρίζουσιν, ὅτι μόνη ὑπὲρ πάντας ἀνθρώπους ἁγιωτέρα ὑπάρχεις, αὐτὸς δὲ ὁ κύριος ἡμῶν καὶ Θεὸς Ἰησοῦς Χριστὸς, ὁ δοξάσας τὴν ἄχραντον αὐτοῦ μητέρα καὶ Θεοτόκον Μαρίαν, τοὺς δοξάζοντας αὐτὴν, δοξάζει· καὶ τοὺς μεγαλύνοντας, μεγαλύνει· οὐ μόνον ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ μέλλοντι, καὶ εἰς τὴν βασιλείαν αὐτοῦ εἰσάγει τὴν ἐπουράνιον· ταύτην γὰρ ἐπὶ γῆς θρόνον αὐτοῦ Χερουβικὸν ἀνέδειξε καὶ οὐρανὸν ἐπίγειον, ἐλπίδα τε καὶ καταφυγὴν, καὶ προστασίαν τοῦ γένους ἡμῶν.

1) Missal. mozarab. in praefat. pro solemnit. Visitationis.

2) Hanc autem orationem nondum, quod nos quidem noverimus, editam, ad operis calcem ex parisiensi codice referemus.

sola omnibus hominibus sanctior es. Ipse autem Dominus noster et Deus Iesus Christus, qui glorificavit intaminatam matrem suam et Deiparam Mariam, glorificat etiam qui eam glorificant, et magnificat qui eam magnificant, non solum in hoc saeculo verum et in futuro, atque inducet in suum caeleste regnum. Hanc enim ostendit in terra thronum suum cherubicum, caelumque terrestre, spem et refugium et tutelam generis nostri. » Ea igitur patribus Deipara videbatur, quae absolute ἄχραντος *intaminata* diceretur: quae ἄχραντος καὶ ἁγνὴ *intemerata et innocens* coniunctim audiret: quaeque cum hominum genere comparata, *non secus ac lilium inter spinas* censeretur. Sed nemo prudens neget ista prorsus sufficere, ut propterea ἄχραντος *intaminata* Virgo dicta existimetur, quod nullo infecta vitio omnium oculis obiiceretur.

131. Praesertim quum in unam eamdemque mentem conspirent Nicolaus apud Graecos non incelebris, Cosmas monachus, Iosephus hymnographus, Andreas cretensis et Georgius nicomediensis. E quibus Nicolaus [a]) scribit: « Victoriam mihi tribue, *sanctissima intaminata*, confugienti sub praesidium tuum, meque iugiter tuis precibus e calamitatibus eripe. » Sequitur [b]) Cosmas [1]) inquiens: « Faustum hodie nuntium illi Gabriel affert, quae plena est gratia. Salve puella, nuptiarum et thori nescia: ne meo inusitato aspectu expavescas, neve timeas: Archangelus sum. Serpens Evam aliquando decepit: nunc tibi gaudium annuntio: et incorrupta manebis et Dominum paries, *o intaminata.* » Neque secus Andreas cretensis [c]) his verbis: « *Intaminata* domina, dei genitrix, spes ad te confugientium, portusque tempestate iactatis, misericordem et creatorem et filium

a) Men. die VIII. Februarii Ode α'. pag. 47. col. 2. A. Νῖκός μοι δίδου, παναγία ἄχραντε, τῷ καταφεύγοντι ὑπὸ τὴν σὴν σκέπην, τῶν δεινῶν ἐξαίρουσα ἀεί με ταῖς πρεσβείαις σου.

b) Men. die XXV. Martii ad Vesper. pag. 113. col. 1. A. Εὐαγγελίζεται ὁ Γαβριὴλ τῇ κεχαριτωμένῃ σήμερον· χαῖρε ἀνύμφευτε κόρη καὶ ἀπειρόγαμε· μὴ καταπλαγῇς τῇ ξένῃ μου μορφῇ, μηδὲ δειλιάσῃς· ἀρχάγγελος εἰμί· ὄφις ἐξηπάτησεν Εὔαν ποτέ· νῦν εὐαγγελίζομαί σοι τὴν χαρὰν, καὶ μενεῖς ἄφθορος, καὶ τέξῃ τὸν κύριον, ἄχραντε.

c) Triod. pag. 292. col. 1. A. Ἄχραντε δέσποινα, Θεογεννῆτορ, ἡ ἐλπὶς τῶν εἰς σὲ προστρεχόντων, καὶ λιμὴν τῶν ἐν ζάλῃ, τὸν ἐλεήμονα καὶ κτίστην καὶ υἱόν σου ἱλέωσαι κἀμοὶ ταῖς ἱκεσίαις ταῖς σαῖς.

1) Cf. eiusdem hymnum εἰς τὴν Πεντηκοστὴν, et in Thesaur. hymnolog. T. III. pag. 70. vv. 82-86. apud Gallandium T. XIII. pag. 247. D.,

tuum mihi quoque precibus tuis propitium redde. » Concinit Iosephus hymnographus [a]) scribens: « Veluti rosam suave olentem e convallibus te, *o intaminata,* invenit qui purus est, atque in medio tui sedem sibi elegit, odore replens humanum genus. » Eodem ista pertinent [b]) Georgii nicomediensis: « Ex te, *o intaminata,* creator assumens humanam naturam passionibus sordidam abluit, refinxit et divina gratia deificavit. » Et eodem pertinent quae [c]) alibi Georgius idem subdit: « Quum fructum degustassent protoparentes, ob inobedientiam exsules a deliciis effecti sunt, *o intaminata.* Nos autem participes effecti eius, qui ex te genitus est, incorrupta vita oblectamur. » Sepono quae hisce cognata habentur [1]) in Anthologio, in [2]) Canone Euthymii et [3]) in Canone Iohannis euchaitae; illaque subdo quae [d]) in veteri quadragesimali Officio passim occurrunt. » Germinasti, o intaminata, sine semine vivens Verbum in utero tuo incarnatum, sed non conversum. Servare volens hominem Salvator et Dominus carnem nostram ex intaminata Virgine suscepit. Fractam

a) Men. die XV. Ianuarii Ode γ'. pag. 130. col. 1. D. Μυρίπνοον ὡς ῥόδον ἀπὸ κοιλάδων, ἄχραντε, ὁ καθαρός σε εὕρατο, καὶ ἐν μέσῳ σου κατεσκήνωσεν, εὐωδίας πληρώσας τὸ ἀνθρώπινον.

b) Men. die XXIX. Martii Ode ε'. pag. 132. col. 1. A. Ῥυπωθεῖσαν πάθεσι τῶν ἀνθρώπων, ἄχραντε, ἐκ σοῦ τὴν φύσιν ὁ κτίστης προσλαβόμενος, ἀπέλυνεν, ἐκαίνισε, καὶ θείᾳ χάριτι ἐθέωσεν.

c) Men. die XVI. Martii Ode ς'. pag. 69. col. 2. D. Γευσάμενοι τοῦ φυτοῦ, παρακοῇ οἱ πρωτόπλαστοι ἐξόριστοι τῆς τρυφῆς γεγόνασι, ἄχραντε· ἡμεῖς δὲ μετέχοντες τοῦ ἐκ σοῦ τεχθέντος, ἐντρυφῶμεν ἀκηράτῳ ζωῇ.

d) Vet. Offic. quadrag. ab Em. Quirinio Romae edit. anno MDCCXXI. Domin. Carnisprivii Ode γ'. pag. 25. Ἐβλάστησας, ἄχραντε, ἀσπόρῳ τόκῳ τὸν ζῶντα λόγον, σαρκωθέντα ἐν τῇ μήτρᾳ σου, οὐ τραπέντα. Fer. III. Tyroph. Ode θ'. pag. 44. Σῶσαι βουληθεὶς τὸν ἄνθρωπον ὁ Σωτὴρ καὶ κύριος, ἐξ ἀχράντου παρθένου σάρκα τὴν ἡμῶν ἐνεδύσατο. Fer. II. hebd. I. Ieiun. Ode θ'. pag. 99. Ἐξασθενήσασαν πάσαις προσβολαῖς τῶν κακίστων δαιμόνων τὴν ἀθλίαν μου ψυχὴν ἴασαι, ἄχραντε δέσποινα, ἰατρὸν τετοκυῖα Χριστὸν, τὴν ἀπολύτρωσιν ἡμῶν. Fer. VI. hebd. II. Ieiun. Ode ε'. pag. 198. Ὃν οὐρανὸς χωρεῖν οὐκ ἠδύνατο, σὺ ἐν γαστρὶ συλλαβοῦσα τέτοκας· ὢ τοῦ φρικτοῦ καὶ ἀῤῥήτου θαύματος· διὸ πάντες ὑμνοῦμέν σε, ἄχραντε. Sabb. Hebd. II. Ieiun. Ode θ'. pag. 210. Φάνηθι, ἄχραντε δέσποινα, θεῖος συνεργὸς τοῖς ἀχρείοις οἰκέταις σου, καιρῷ τῆς ἐγκρατείας, τὰς προσευχὰς ἡμῶν προσάγουσα κυρίῳ, τῷ τῶν αἰώνων βασιλεύοντι. Fer. IV. hebd. III. Ieiun. Ode γ'. pag. 243. Σωματούμενος ἐκ σοῦ προῆλθεν ὁ λόγος, τὴν ἔκπτωσιν, ἄχραντε, τῶν προπατόρων διὰ σπλάγχνα οἰκτιρμῶν διορθούμενος.

1) Antholog. pag. 130. col. 2. E.

2) Thesaur. hymnolog. T. III. pag. 17. Κανὼν εἰς τὴν ὑπεραγίαν Θεοτόκον. Cf. Goarium in Euchology. pagg. 586-688-740.

3) Thesaur. hymnolog. T. III. pag. 117. Κανὼν τῆς Θεοτόκου. Cf. Acta SS. Iunii T. II p. 44. seq.

miseram animam meam pravissimorum daemonum undique aggressionibus sana, o domina intaminata, quae medicum genuisti Christum, redemptionem nostram. Quem caelum capere non potuit, tuo in utero complexa peperisti: o terribile et ineffabile portentum! Quare te omnes laudamus, o intaminata. Esto, domina intaminata, inutilibus servis tuis divina adiutrix tempore abstinentiae, preces nostras deferens ad Dominum seculorum regem. Incarnatum Verbum ex te, o intaminata, processit, ut per viscera misericordiae protoparentum corrigat lapsum. »

132. Ex his autem paullo accuratius inspectis pronum est colligere, quo sensu, quave significationis amplitudine Deipara salutetur ἄχραντος *intemerata*. Hac enim consideratione edocemur I. Deiparam semel ac rursum proprio veluti nomine τὴν ἄχραντον *intaminatam* nuncupari: II. ita hoc nomine insigniri, ut ipsa ex aequo κεχαριτωμένη *gratia plena* et παναγία *sanctissima* appelletur: denique III. eum habitum inter ipsam et reliquum hominum genus constitui, qui exsistit vel *inter rosam suapte origine suave olentem*, et ea, quae quum ex sese feteant, purgata primum, odore deinde imbuuntur; vel *inter innocentem* et illos qui in protoparentibus vetitum fructum degustarint; vel *inter plenam gratia* et Evam serpentis fraude deceptam et viru contaminatam. Atqui haec ita comparata sunt, ut Mariam perfectissime ἄχραντον *intemeratam* demonstrent, illique plenam, originalem et dignam Deipara innocentiam tribuendam esse patefaciant.

133. Quod Stephanus sabbaita, Theophanes et Basilius seleuciensis luculentis plane sententiis declararunt. Ille enim sic omnino [a]) habet: « In luce Domini ambulantes, agite, celebremus portam divinam Domini dominantium, *intemeratam* Mariam, uti vere Deiparam et nostrarum spem animarum. » Theophanes vero [b]) in hymno quo Graeci octavum diem natae Virginis celebrant, scribit: « Sordem naturae nostrae apte abluisti, pariens Christum qui *solus* est *intemeratus*, *o intemerata*, o Deipara cuiusvis prorsus labis expers. Proinde superior facta es Cherubim atque Seraphim qui clamant:

a) Men. die XI. Martii Ode ζ. pag. 88. col. 1. B. Ἐν τῷ φωτὶ τοῦ κυρίου πορευόμενοι, δεῦτε, ὑμνήσωμεν τὴν θείαν πύλην τοῦ βασιλέως τῶν βασιλευόντων, Μαρίαν τὴν ἄχραντον, τὴν θεοτόκον ὡς ἀληθῶς, καὶ ἐλπίδα τῶν ψυχῶν ἡμῶν.

b) Men. die XV. Septembris Ode η΄. pag. 109. col. 1. A. Ῥύπον τὸν τῆς φύσεως ἡμῶν, Χριστὸν κυήσασα τὸν μόνον ἄχραντον, σοφῶς ἀπέπλυνας, ἄχραντε, θεοτόκε παναμώμητε. καὶ Σεραφὶμ γέγονας ὑπερθεν τῶν βοώντων· πάντα τὰ ἔργα ὑμνεῖτε τὸν κύριον.

benedicite omnia opera Dominum. » At Basilius postquam [a]) illustri oratione comprobavit, incarnatum Dei Filium omnia subiisse quae ad hominem spectant, continuo infert: « Quid mirum ut illorum omnium accessione purus ille et intaminatus una cum intaminata et viri nescia Virgine ac matre obeat purificationem lege praescriptam; quo factus sub lege, ut ait [1]) Apostolus, cos liberet qui sub lege erant? » Quae profecto reputari animo nequeunt, quin illico in oculos prope incurrat I. uno eodemque titulo ἀχράντου *intemerati* Christum ac Deiparam honestari: II. hoc τῆς ἀχράντου *intemeratae* titulo tum Deiparam honestari, quum *solus* Christus appellatur ἄχραντος *intemeratus:* proindeque III. excludentes negantesque particulas, quum ad apposita puritatem significantia referuntur, accipi ita non posse ut ad ipsam quoque Deiparam protendantur: IV. eam pariter dici ἄχραντον *intaminatam* et πανάμωμητον *cuiusvis funditus naevi expertem:* V. tam disertis verbis, quam manifesta antithesi Deiparam ab originali sorde immunem declarari: et immunem quidem VI. apertis verbis declarari, quum ea dicitur ἄχραντος *intemerata*, uti ἄχραντος *intemeratus* dicitur Christus; quum ea dicitur πανάμωμητος *cuiusvis nescia maculae;* et quum illi tribuitur, ut ῥύπον φύσεως ἡμῶν *sordem nostrae naturae* apte sapienterque deterserit: declarari vero VII. immunem manifesta antithesi, quando ipsa, utpote intemerata, naturae nostrae sorde originali infectae perspicue opponitur: denique VIII. Mariam describi cum Christo intime cohaerentem, Cherubim atque Seraphim celsiorem, ac veluti eiusmodi divinum opus, quod universam praetergressum naturam, ad divinas laudes celebrandas, divinamque gloriam extollendam vehementissime inflammet. Coronidis loco adiiciam, in ipsis etiam fidei confessionibus sive eae ab haereticis sive ab orthodoxis editae fuerint, hoc *intaminatae* epitheto Virginem decorari. Quo sane decoratur [b]) in confessione fidei a Macario Monotheli-

a) Orat. in Symeonem pag. 687. A-B. apud Combefisium Auctar. T. I. Τί οὖν ξένον, εἰ μετ' ἐκείνων ἁπάντων καὶ τὸν κατὰ νόμον καθαρισμὸν ὁ καθαρὸς καὶ ἄχραντος, μετὰ τῆς ἀχράντου καὶ ἀπειρογάμου παρθένου καὶ μητρὸς καταδέχεται, ἵνα γενόμενος ὑπὸ νόμον, ὡς ὁ ἀπόστολος ἔφησε, τοὺς ὑπὸ νόμον ἐλευθερώσῃ;

b) Act. VIII. concil. CP. III. pag. 351. D. edit. Concil. Mansii T. XI. Ὁμολογοῦμεν δὲ, τὸν ἕνα τῆς ἁγίας τριάδος, τὸν κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, τὸν μονογενῆ, δι' ἡμᾶς ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν κατελθεῖν ἐκ τῶν οὐρανῶν, καὶ σαρκωθῆναι ἐκ

1) Gal. IV. 5.

tarum duce his verbis concepta: « Confitemur autem unum sanctae Trinitatis, Dominum Iesum Christum Filium Dei unigenitum propter nos in ultimis diebus descendisse de caelis et incarnatum esse de Spiritu sancto, et sancta intaminata domina nostra Dei genitrice semperque virgine Maria, et humanatum esse, hoc est, veram carnem accepisse de ea animatam anima rationali atque intellectuali. » Decoratur [a]) in confessione fidei Sophronii hierosolymitani: « Ex intaminato namque et virginali sanguine sanctissimae et intaminatae virginis Mariae Verbum vere factum est incarnatum, et veraciter homo, et in utero virgineo deportatus, et tempus explevit legitimi puerperii, et per singula naturalia et peccatum non trahentia nobis hominibus similis factus est. » Decoratur [b]) in confessione fidei stabilita inter Cyrum alexandrinum et Theodosianos, in cuius canone septimo legimus: « Si quis unum Dominum nostrum Iesum Christum in duabus considerari dicens naturis, non eumdem unum de Trinitate confiteatur, sempiterne quidem ex Patre genitum Deum Verbum, novissimis autem seculi temporibus eumdem incarnatum atque genitum ex sanctissima et intaminata domina nostra, Dei genitrice semperque virgine Maria; anathema sit. » Decoratur [c]) in sermone prosphonetico Synodi constantinopolitanae III. ad Constantinum Augustum: « Proinde inspiratione sancti Spiritus conspirantes, et Agathonis san-

πνεύματος ἁγίου, καὶ τῆς ἁγίας ἀχράντου δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, καὶ ἐνανθρωπῆσαι, τουτέστιν ἀληθινὴν σάρκα λαβεῖν ἐξ αὐτῆς ἐψυχωμένην ψυχῇ λογικῇ τε καὶ νοερᾷ.

a) Ibid. Act. XI. pag. 475. A. Ἐκ τῶν οὖν ἀχράντων καὶ παρθενικῶν αἱμάτων τῆς παναγίας καὶ ἀχράντου παρθένου Μαρίας ὁ λόγος σαρκωθεὶς κατ' ἀλήθειαν ἄνθρωπος, καὶ ἐν τῇ παρθενικῇ γαστρὶ κυοφορούμενος, καὶ τὸν χρόνον πεπληρωκὼς τῆς ἐννόμου κυήσεως, ἐν πᾶσι τοῖς φυσικοῖς καὶ ἁμαρτίαν οὐ φέρουσι τοῖς ἀνθρώποις ἡμῖν ὁμοιούμενος.

b) Ibid. Act. XIII. p. 566. C-D. Εἴ τις τὸν ἕνα κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν δυσὶ θεωρεῖσθαι λέγων ταῖς φύσεσιν οὐχ ἕνα τῆς ἁγίας τριάδος τὸν αὐτὸν ὁμολογεῖ, τὸν ἀϊδίως μὲν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα θεὸν λόγον, ἐν ἐσχάτοις δὲ τοῦ αἰῶνος καιροῖς τὸν αὐτὸν σαρκωθέντα καὶ τεχθέντα ἐκ τῆς παναγίας καὶ ἀχράντου δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, ἀνάθεμα ἔστω.

c) Ibid. Act. XVIII. pag. 683. A-C. Καὶ δὴ τῇ συμπνοίᾳ τοῦ παναγίου συμπνεύσαντες πνεύματος, καὶ τοῖς Ἀγάθωνος τοῦ μακαριωτάτου πατρὸς ἡμῶν καὶ κορυφαιοτάτου πάπα δογματικοῖς πρὸς τὸ ὑμέτερον κράτος ὁμοφρονήσαντες γράμμασι, ἕνα τῆς ἁγίας τριάδος τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν καὶ σαρκωθέντα δοξάζομεν ἐν δύο τελείαις ταῖς φύσεσιν ἀδιαιρέτως, ἀσυγχύτως ὑμνοῦμενον· ὡς μὲν γὰρ λόγος ὁμοούσιός ἐστι καὶ συναΐδιος τῷ θεῷ καὶ γεννήτορι, ὡς δὲ σάρκα λαβὼν ἐκ τῆς ἀχράντου παρθένου καὶ θεοτόκου Μαρίας, ἄνθρωπός ἐστι τέλειος, ὁμοούσιος ἡμῖν, καὶ ὑπὸ χρόνον γενόμενος.

ctissimi patris nostri et summi Papae dogmaticis litteris ad vestram Fortitudinem missis consentientes, unum de sancta Trinitate, Dominum nostrum Iesum Christum etiam incarnatum praedicamus in duabus perfectis naturis indivise, inconfuse laudandum. Ut enim Verbum, consubstantialis est et consempiternus Deo genitori: ut autem carnem sumens ex intaminata virgine Deique genitrice Maria, homo perfectus est, consubstantialis nobis, factusque sub tempore. » Decoratur [a]) in edicto Imperatoris Constantini: « Confitemur unum sanctae Trinitatis Dominum nostrum Iesum Christum, qui est cum Patre et sancto Spiritu pariter sine principio consubstantialis, eumdem ipsum in ultimis praestitutisque temporibus propter humani generis salutem et reformationem descendisse de caelis, hoc est, per spontaneam se exinanisse humilitatem, et in vulva intaminatae virginis Deique genitricis Mariae habitasse, et anima et corpore per Spiritum praepurgatae, et ex sancta immaculata carne eius in propria subsistentia carnem sumpsisse nobis consubstantialem. » Decoratur [b]) in confessione fidei Basilii ancyrani, quae sic habet: « Confiteor etiam omnia quae sunt dispensationis unius e sancta Trinitate, Domini videlicet et Dei nostri Iesu Christi, expetens etiam et intercessiones intaminatae dominae nostrae sanctae Dei genitricis Mariae, sanctarumque et caelestium Virtutum et omnium omnino sanctorum; et sancta ac pretiosa lipsana eorum cum omni honore suscipiens saluto et honorabiliter veneror, fidem habens illorum particeps fieri san-

a) Ibid. Act. XVIII. pag. 702. B-D. Ὁμολογοῦμεν τὸν ἕνα τῆς ἁγίας τριάδος, τὸν μονογενῆ υἱὸν τοῦ θεοῦ καὶ θεὸν ἡμῶν, τὸν τῷ πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι συνάναρχόν τε καὶ ὁμοούσιον, τὸν αὐτὸν ἐν ἐσχάτοις τε καὶ προωρισμένοις καιροῖς διὰ τὴν τοῦ ἀνθρωπίνου γένους σωτηρίαν τε καὶ ἀνάπλασιν κατελθόντα ἐκ τῶν οὐρανῶν, ἤγουν εἰς ἑκούσιον κενωθέντα ταπείνωσιν, ἐν τῇ μήτρᾳ τῆς ἀχράντου παρθένου καὶ θεοτόκου Μαρίας κατασκηνώσαντα προκαθαρθείσης ψυχὴν καὶ σῶμα τῷ πνεύματι, καὶ ἐκ τῆς ἁγίας καὶ ἀμώμου σαρκὸς αὐτῆς ἐν τῇ οἰκείᾳ ὑπάρξει σάρκα λαβόντα τὴν ἡμῖν ὁμοούσιον.

b) Concil. nic. II. Act. I. pag. 1009. B-D. T. XII. Ὁμολογῶ καὶ πάντα τὰ τῆς οἰκονομίας τοῦ ἑνὸς τῆς ἁγίας τριάδος, κυρίου δὲ καὶ θεοῦ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· ἐξαιτούμενος καὶ τὰς πρεσβείας τῆς ἀχράντου δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου τῆς ἁγίας, τῶν τε ἁγίων καὶ ἐπουρανίων δυνάμεων, καὶ πάντων τῶν ἁγίων· καὶ τὰ ἅγια καὶ τίμια λείψανα αὐτῶν μετὰ πάσης τιμῆς ἀποδεχόμενος ἀσπάζομαι, καὶ τιμητικῶς προσκυνῶ, πίστιν ἔχων μετέχειν παρ᾽ αὐτῶν ἁγιασμοῦ· ὡσαύτως καὶ τὰς σεπτὰς εἰκόνας τῆς τε οἰκονομίας τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καθὸ ἄνθρωπος γέγονε διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν, καὶ τῆς ἀχράντου δεσποίνης ἡμῶν τῆς ἁγίας θεοτόκου (τῶν τε θεοειδῶν ἀγγέλων, *deiformium Angelorum*), καὶ τῶν ἁγίων ἀποστόλων, προφητῶν, μαρτύρων τε καὶ πάντων τῶν ἁγίων, ἀσπάζομαι καὶ περιπτύσσομαι, καὶ τὴν κατὰ τιμὴν προσκύνησιν ἀπονέμω.

ctimoniae. Similiter et venerabiles imagines tam dispensationis Domini nostri Iesu Christi, secundum quod homo factus est propter salutem nostram, et intaminatae dominae nostrae sanctae Dei genitricis, atque sanctorum apostolorum, prophetarum, martyrum et omnium simul sanctorum salutans pariter et amplectens, atque adorationem quae pertinet ad honorem, impendens. » Denique ut confessionem omittam [1]) a Theodosio Ammorii Episcopo probatam, Hadrianus Pontifex in litteris ad Tarasium [a]) scribit: « Quia ergo sanctas imagines Christi Dei nostri, qui secundum nos et pro nobis et propter nos incarnatus est iuxta humanum characterem, atque sanctae intaminatae et revera Dei genitricis, nec non et sanctorum eius vestra dilecta sanctitas colere atque adorare pollicita est; idcirco eius orthodoxum propositum, si quemadmodum coepit, perseveraverit, modis omnibus collaudamus. »

ARTICULUS IX.

De tribus appositis τῆς ἀθίκτου, ἀτήκτου καὶ ἀπημάντου illibatae, quibus Mariae innocentia a quavis culpa penitus seiuncta declaratur.

134. Etsi tria apposita, ἄθικτον, ἄτηκτον, καὶ ἀπήμαντον, utpote e diversis oborta radicibus, quales sunt θιγγάνω, τήκω et πημαίνω, nonnihil differant significatione propinqua; assignari tamen notio potest quae ex aequo singulis pariterque conveniat. Haec autem est notio rei vel personae *illaesae, intactae, sacrae* ac *penitus illibatae*. Quare in Cyrilli Lexico habetur ἄθικτον· ἀνέπαφον, idest, *sincerum, purum, intactum*. Symmachus vero quod hebraice [2]) dicitur נֵזֶר שֶׁמֶן מִשְׁחַת, *diadema olei unctionis*, idest, diadema oleo sacro inunctum, graece vertit ἔλαιον ἄθικτον, *oleum* [3]) *sacrum* et a communi usu separatum.

a) Ibid. Act. II. pag. 1080. C-E. Ὅθεν ἐπεὶ τὰς σεπτὰς εἰκόνας, τόν τε κατὰ τον ἀνθρώπινον χαρακτῆρα Χριστοῦ τοῦ θεοῦ ἡμῶν, τοῦ καθ' ἡμᾶς καὶ δι' ἡμᾶς καὶ ὑπὲρ ἡμῶν σαρκωθέντος, καὶ τῆς ἁγίας ἀχράντου καὶ ἀληθῶς θεογεννήτορος, λοιπὸν δὲ καὶ τῶν ἁγίων αὐτοῦ, ἡ ὑμετέρα ἠγαπημένη ἁγιωσύνη σέβειν καὶ προσκυνεῖν συνέθετο, τὴν αὐτῆς ὀρθόδοξον προαίρεσιν, ἐὰν καθὼς ἀπήρξατο, παραμείνῃ, παντελῶς ἐπαινοῦμεν.

1) Ibid. Act. I. pag. 1013. A-D.

2) Levit. XXI. 12. coll. Ex. XXIX. 6. XXXIX. 30. ubi summi Sacerdotis diadema vocatur נֵזֶר הַקֹּדֶשׁ.

3) Quum נֶדֶר ἀπὸ τοῦ נָזַר, נֵזֶר *separavit a communi usu*, proprie notet *consecrationem*, separationemque ex consecratione profectam, hoc separationis sensu vocem ἄθικτον Symmachus usurpavit.

135. Quum igitur patres ad id essent intenti, ut vocibus quibus possent exquisitioribus, naevos omnes omnesque maculas a Deipara quam longissime arcerent; ne ista quidem, quorum meminimus epitheta taciti praetermiserunt. Et appositum quidem τῆς ἀθίκτου *illibatae* usurpavit in altero [1]) ex Anacreonticis Sophronius hierosolymitanus, ubi memorato Caesaris edicto quod et Lucas [2]) recenset, de beatissima Virgine, eiusque sponso Iosepho [a]) subdit: « Proinde inclytus Iosephus accipiens *illibatam* sponsam Mariam nondum enixam, in Bethleem profectus est. » Idem appositum, nec non alterum ἄτηκτον usurpavit Methodius, qui in decem virginum Convivio Theclam his verbis canentem et Christum alloquentem [b]) inducit: « Tua quoque vitae parens, *gratia intacta*, illibata [3]), immaculatos conceptus tuos in viri experte utero gestans Virgo, proditi maritalis thori in suspicionem venit. »

136. Ubi utrumque appositum de innocentia Deiparae nobilissima quadam significatione adhiberi, ipsa in primis eorumdem accumulatio persuadet: persuadet deinde tributa Deiparae appellatio qua dicitur ζωντόκος *vitae parens*, nec non simpliciter χάρις *gratia*, eaque ἄθικτος *numquam deminuta*, et semper integra atque sincera: neque minus postremo persuadent quae virginitatem Deiparae summam referunt, illamque cum summa innocentia aptam nexamque demonstrant. Quo et haec pertinent [4]) ex recepto in Ecclesia hymno:

» Memento salutis auctor
» Quod nostri quondam corporis
» Ex illibata Virgine
» Nascendo formam sumpseris.

a) Anacr. II. apud Mai Spicileg. rom. T. IV. pag. 54.

Γαμετὴν ἄθικτον ἔνθεν
Μαρίην, τεκοῦσαν οὔπω,
Ὁ κλυτὸς λαβὼν Ἰωσὴφ
Ἐπὶ Βηθλεὲμ πορεύθη.

b) Conviv. Orat. XI. §. II. apud Gallandium T. III. pag. 744. A. Σοῦ καὶ ζωντόκος χάρις, ἄθικτος, ἄτεκτος (*lege* ἄτηκτος), ἀσπίλους τὰς σὰς γονὰς ἐν ἀσπόρῳ φέρουσα νηδύϊ μορφὴν ὑπέσχεν ὡς προδοῦσα λέκτρα Παρθένος.

1) Quod inscribitur: Εἰς τὴν Χριστοῦ θεοῦ γέννησιν.

2) Luc. II. 1. seqq.

3) E re autem fuerit animadvertisse, continuo *Ecclesiam* vocari ἄθικτον *illibatam*.

4) Thesaur. hymnolog. T. I. pag. 78. Haec in Breviario romano ita modo temperata leguntur:

» Memento rerum conditor,
» Nostri quod olim corporis
» Sacrata ab alvo Virginis
» Nascendo formam sumpseris.

Atque haec item [1]) ex hymno sancti Casimiri de beata Virgine:

» Quae praecellis multis stellis atque luminaribus,
Tua dulci prece fulci supplices et refove:
» Quidquid gravat et depravat mentes nostras, remove.
Virgo gaude, quod de fraude daemonis nos liberas:
» Dum in vera et sincera carne Deum generas
Illibata et ditata caelesti progenie.

Tum haec quae [2]) in Alcuini Homiliario tribuuntur Origeni, et quibus enarrantur [3]) Matthaei verba, *cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph.* » Mater, inquit, eius, mater immaculata, mater incorrupta, mater intacta. *Mater eius.* Cuius eius? Mater Dei unigeniti, Domini et regis omnium, plasmatoris et creatoris cunctorum: illius qui in excelsis sine matre, et in terra est sine patre: ipsius qui in caelis secundum deitatem in sinu est Patris, et in terris secundum corporis susceptionem in sinu est matris. O magnae admirationis gratia, o inenarrabilis suavitas, o ineffabile magnumque sacramentum. »

137. Accedit Iohannes damascenus, qui non solum Deiparam [a]) vocat ἀπήμαντον *integram* atque illaesam, inquiens: *Ave* [4]) *liber signatus, ab omni noxia* [5]) *cogitatione illaesa;* sed praeterea e vestigio addit: *Ave* [b]) *tomus novi* [6]) *mysterii, propter incorruptionem* [7]) *omnino illibata.* Fac igitur in disceptationem veniat, quousque Deipara censeri ἄθικτος *illibata* debeat. Ex maiorum sententia respondendum est, credi Deiparam oportere simpliciter *illibatam:* credi oportere *illibatam* et *intactam:* credi oportere illibatam *corpore,* utpote virginem purissimam, et illibatam *mente,* quam nulla umquam noxia cogitatio afflaverit: credi oportere eo gradu integram, qui non dedeceat *gratiam illibatam vitaeque parentem:* ac postremo credi oportere illibatam παντάπασιν *undequaque.*

a) Orat. II. in Mariae nativ. §. VII. opp. T. II. pag. 855. A. Χαῖρε βιβλίον ἐσφραγισμένον, ἡ πάσῃ φθοροποιῷ ἐπινοίᾳ ἀπήμαντος.

b) Ibid. Χαῖρε τόμος καινοῦ μυστηρίου, ἡ τῇ ἀφθαρσίᾳ παντάπασιν ἄθικτος.

1) Thesaur. hymnolog. T. II. pag. 374.

2) Alcuini Homiliar. pag. 60. col. 1. D. edit. Coloniae MDLXIX.

3) Matth. I. 18.

4) Is. XXVI. 1.

5) Nescio autem cur Lequienius φθοροποιὸν verterit *libidinosum.*

6) Is. VIII. 1.

7) Quibus Lequienius hanc subiicit non omnino luculentissimam interpretationem: « Ave tomus novi mysterii, illibata prorsus incorruptione. »

CAPUT II.

Praeclariora exhibentur apposita negantia, eaque vim superlativi gradus praeferentia, quae non sinunt ut Deipara ullo etsi tenuissimo culpae naevo aliquando infecta censeatur.

138. Ita comparati animo sumus, eaque vis est ac ratio humani sermonis, ut si quae nobis forte occurrerint eximia atque suo in genere suoque in ordine praestantia numerisque omnibus expleta; illa vocibus superlativis quadam veluti necessitate efferamus. Hinc superlativo gradu efferimus divinam bonitatem, et Deum dicimus *optimum:* eodemque gradu efferimus divinam magnitudinem, et Deum dicimus *maximum;* quod videlicet persuasum nobis sit, Deum esse totius bonitatis plenitudinem, et magnitudinis eius ut Scripturae [1]) loquuntur, non esse numerum.

139. Porro excellentia rerumque praestantia, quae superlativo gradu exprimitur, vocibus pariter significatur, quae vi et potestate ab eo gradu non differunt. Atque ita ut Deus summus tum rex tum dominus ostendatur, dicitur [a]) *Rex regum et Dominus dominantium.* Simili periphrasi vocatur [b]) Christus *Dominus dominorum et Rex regum.* Eodem pertinent quae de Deo [c]) legimus, *ipsi gloria et imperium in secula seculorum*, idest in omnia secula atque adeo aeterna. Et eodem pertinet [d]) angelica salutatio, *benedicta tu in mulieribus*, idest [2]) mulierum felicissima summisque aucta beneficiis.

140. Inter has autem voces, quae superlativi gradus vim induunt, ea imprimis adiectiva recenseri debent, quae cum pronomine *πᾶν omne* componuntur. Huic enim pronomini in compositione vis superlativi inest, et siquidem adiectivum quocum illud cohaeret, affirmans sit, compositum exinde nomen plenitudinem perfectionis subiecto asserit; sin vero sit negans, ex toto qualitatem a subiecto

a) I. Tim. VI. 15. Ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων, καὶ κύριος τῶν κυριευόντων.
b) Apoc. XVII. 14. coll. XIX. 16. Κύριος κυρίων καὶ βασιλεὺς βασιλέων.
c) Apoc. I. 6. Αὐτῷ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.
d) Luc. I. 28. Εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν.

1) Ps. CXLIV. 3.
2) Eadem loquendi forma qua Cant. I. 8. dicitur הַיָּפָה בַּנָּשִׁים, *pulchra in mulieribus*, idest, mulierum venustissima.

arcendam removendamque demonstrat. Hoc pacto Ceres παμβότανος dicitur, quatenus *herbarum omnium productrix* habetur: Sapientiae liber audit πανάρετος, *omnium virtutum genere ornatissimus:* Deus vocatur πανεπίσκοπος et πανεπόπτης, *omnia intuens, omnia suis lustrans oculis, omniscius*. Et ut nonnulla quoque exempla promam adiectivorum negantium, παναγήραος is est *qui omnino non senescit, immortalis:* πανάποτμος qui *plene est miser* ac *penitus infelix:* et πανάφυλλος arbor *omnibus omnino foliis carens*.

141. Si ergo non paucis iisque incertis, sed plurimis indubitatisque testimoniis effici queat, maioribus nostris et sanctissimis Ecclesiae patribus in more fuisse receptum, ut suam mentem suamque fidem de Virginis innocentia ab omni naevo soluta epithetis efferrent non solum gradu positivo excludentibus, verum etiam cum pronomine πᾶν *omne* compositis atque adeo superlativis; necesse prorsus erit constituere, nihil posse ab ecclesiastica traditione remotius cogitari, quam Deiparam aliqua peccati macula fuisse utcumque vitiatam. At vero praesto sunt ea de quibus loquimur testimonia, et quidem non copia minus quam perspicuitate insignissima. Quod ut lectoribus quoque nostris palam fiat, praesens caput quatuor articulis absolvemus, in quorum primo de apposito τῆς παναμώμου *penitus immaculatae* Deiparae tributo disseretur: in altero sermo erit de apposito τῆς παναμωμήτου, quod priori affine est atque cognatum: tertius succedet constans testimoniis, quibus Deipara πανάχραντος *omnino intemerata* dicitur: quartus vero postremusque ea sistet, quibus Deipara πανακήρατος, πανάσπιλος καὶ πανάφθορος *omnino illaesa, intaminata et cuiusvis corruptelae expers* affirmatur.

ARTICULUS I.

De apposito quo Deipara πανάμωμος prorsus immaculata dicitur, et cuiusvis penitus inscia culpae demonstratur.

142. Quum id [1]) dicatur ἄμωμον quod est *immaculatum* et a labe alienum; natura ipsa vocisque ratio postulant, ut de eo intelligatur πανάμωμον, quod est καθ' ὅλον plene, undequaque illaesum et nullo umquam peccati vitio taminatum. Scite, si quid video, in-

1) Sect. II. cap. I. art. I. nn. 77. seqq.

sitam huic voci significationem explanavit vir eruditus et graece doctus Simon Wangnereckius [1]) inquiens: « In voce παναμώμος latine reddenda, multiplex significatum universale considerandum occurrit; quum Menaea hoc epitheton κατ' ἐξοχήν, sive *per excellentiam* virgini Deiparae plus millies tribuant. Primo consideranda est *universitas temporis*, quia Virgo est πάντα τὸν χρόνον ἄμωμος, idest, omnibus omnino temporibus inculpata, etiam illo momento quo sacratissima eius anima fuit creata. Secundo *universitas loci*, quia ἐν παντὶ τόπῳ ἄμωμος, quasi dicas, *ubique inculpata*, hoc est non solum in caelo aut terris, sed in ipso quoque utero matris. Tertio *universitas culpae*, quia ἐν παντὶ ἐγκλήματι ἄμωμος, idest, in omni genere culpae inculpata, ne culpa quidem originali excepta. Denique consideranda est *universitas creaturarum*, quia Virgo est ὑπὲρ τὰ πάντα ἄμωμος, super omnes omnino creaturas inculpata. Eadem est ratio significationis in voce παναχραντος, aliisque similibus, quas perpetuo Menaea de Maria usurpant, de aliis autem caelitibus aut numquam aut raro: haec ut ipsa raritas, si quid de aliis Menaea simile dicant, exaggerationem esse convincat. »

143. Haec ille, quae istis praeclare confirmantur quae Cyrillus alexandrinus [a]) de Christo scribit: « Et operibus et verbis erat penitus immaculatus, et ad culmen totius puritatis pervenit. » Quod testimonium ut Suicerus [2]) retulit, e vestigio addit: « Expositio in caput primum Lucae, quae Tito bostrensi tribuitur, beatam Virginem vocat παναμώμον. » Atqui non ea solum expositione Deipara vocatur παναμώμος, sed hoc titulo centies ornatur, iisque insertis adiunctis, quae nativam vocis potestatem tuentur et plenissime adscribendam esse Virgini insigniter patefaciunt.

144. Sane huius tituli atque huius splendidissimae appellationis testis est locuples [b]) Andreas cretensis inquiens: « Gloriosus nobis fructus (ex Ioachimo et Anna) Virgo haec *penitus immaculata* [3])

a) In Is. LIII. pag. 750. Ἔργῳ τε καὶ λόγῳ παναμώμος ἦν, καὶ εἰς λῆξιν ἁπάσης καθαρότητος διελήλακεν.

b) Orat. in natal. diem beatae Virginis, apud Gallandium T. XIII. Καρπὸς εὐκλεὴς, ἡ παναμώμος αὕτη παρθένος ἡμῖν ἐξεβλάστησε.

1) Pietas mariana Graecorum, Centur. II. n. 143. pagg. 294-295.

2) Thesaur. ecclesiast. ad v. Παναμώμος.

3) Sed potuit ne Virgo progerminare atque primum veluti erumpere tamquam καρπὸς εὐκλεὴς *fructus gloriosus et splendidus*, si antea non exstitit, quam ignominia et tenebris originalis corruptelae subiiceretur? pugnant ista mutuo, atque sese funditus

progerminavit. » Testis est [a]) Sophronius hierosolymitanus qui Deiparam his verbis exorat: « *O labis omnino omnis expers*, quae post partum tuo decore ditata mansisti, eripe, obsecramus o innocens, a corruptione servos tuos, qui fideliter una mente unoque animo canunt. » Testis est [b]) Germanus constantinopolitanus Antistes, qui suam adversus Deiparam pietatem suavissime aperit scribens: « In te, o innocens Deipara, repono spem omnem et ad te iugiter me recipio: me serva, *o labis omnis expers*, tuisque precibus ab ea eripe quae me occupat confusione ac tumultu vehementium cupiditatum et peccatorum. »

145. Tribus hisce testibus sane gravissimis alii succedunt pari nobilitate conspicui. Succedit enim [c]) Theodorus studites, cui ista in acceptis referimus: « Mentem vincit partus tuus. Gignis namque eum, qui ante te erat, et ineffabili ratione cum lactas qui mundum nutrit. Reclinantem eum foves qui continet universa Christum, solum Redemptorem nostrum, *o maculae prorsus omnis exsors*. » Et [d]) rursum: « *O penitus immaculata*, incessanter ad misericordiam flecte Salvatorem, ut ab omni eos periculo eripiat, qui te Deiparam ore animoque confitentur. » Succedit [e]) Stephanus sabbaita, qui adventum Christi in Aegyptum celebrans ait: « Non secus ac super [1])

a) Triod. apud Mai, Spicileg. rom. T. IV. p. 156. Ἡ μετὰ τόκον ἄφθορος μείνασα, πανάμωμε, λύτρωσαι, δεόμεθα ἁγνὴ, καταφθορᾶς τοὺς δούλους σου, πιστῶς τοὺς μελῳδοῦντας ἐν ὁμονοίᾳ ψυχῆς, κ. τ. λ.

b) Men. die XII. Maii, Ode ζ'. pag. 55. col. 1. B. Ἐν σοὶ, ἁγνὴ Θεοτόκε, τίθημι πᾶσαν ἐλπίδα, καὶ πρὸς σὲ καταφεύγω διαπαντός· σῶσόν με, πανάμωμε· ῥῦσαι ταῖς πρεσβείαις σου τῆς κατεχούσης συγχύσεως καὶ ταραχῆς τῶν δεινῶν μου παθῶν καὶ παραπτώσεων.

c) Triod. pag. 24. col. 1. B. Ὑπὲρ νοῦν ὁ τόκος σου· γεννᾷς γὰρ τὸν προόντα, καὶ γαλουχεῖς ἀφράστως τὸν τροφοδότην τοῦ κόσμου, ἀνακλίνεις τὸν τοῦ παντὸς συνοχέα, Χριστὸν μόνον λυτρωτὴν ἡμῶν, πανάμωμε.

d) Ibid. pag. 166. col. 1. D. et pag. 204. col. 2. C. Δυσώπησον ἀπαύστως τὸν Σωτῆρα, πανάμωμε, τοὺς σὲ Θεοτόκον στόματί τε καὶ ψυχῇ ὁμολογοῦντας ἐκ πάσης ῥυσθῆναι περιστάσεως.

e) Men. die XX. Martii, Ode ς'. pag. 87. col. 1. A. Ὡς ἐπὶ κούφης νεφέλης ἐλήλυθεν ἐπὶ σοὶ ὁ βασιλεύων Κύριος τοῦ καθελεῖν Αἰγύπτια χειροποίητα, πανάμωμε.

excludunt. Quum igitur Virgo dicitur πανάμωμος, habetur quoque *temporis* ratio, et ab ea universim et *pro quovis tempore* culpa omnis arcetur.

1) Is. XIX. 1. *Ecce Dominus ascendet super nubem levem* (עַל־עָב קַל, super nubem celerem, veluti super currum, Ps. CIV. 3), *et ingredietur Aegyptum, et commovebuntur simulacra Aegypti a facie eius.*

levem nubem, in te regnans Dominus venit, *o libera ab omni labe*, ut Aegypti manufacta auferret. »

146. His autem gemina sunt quae tradunt Ignatius constantinopolitanus, Tarasius eiusdem urbis Episcopus, Christophorus et Iohannes Euchaitarum metropolita. Gemina tradit [a]) Ignatius dum ait: « Exagitat me peccati tempestas, pravarumque cogitationum fluctuatio. Fac mei miserearis, *o plane insons et immaculata,* atque ut misericors mihi praesidii tui dexteram porrige, ut te servatus magnificem. » Gemina tradunt [b]) Theophanes et Tarasius, quorum alter scribit: « Dominum enixa sublimior supernis virtutibus apparuisti, naturamque mortalium divinam effecisti, o puella *nullo penitus infuscata naevo*. Proinde te, o Virgo, verissimam Deiparam mente et lingua quotquot sumus fideles glorificamus. » Gemina tradit [c]) Christophorus, e quo in Graecorum Triodio ista referuntur: « Mysticum te gloriae thalamum fideles omnes depraedicamus, o Dei parens *nullius conscia labis*. Te propterea, o innocens, exoro ut me lapsum efficias consortem caelestis thalami. » Et gemina tradit [d]) Iohannes Euchaitarum praesul, cuius haec est pientissima oratio: « Cruci affixus qui ex te corpus induit, o Dei genitrix, Adae chirographum discidit: illum nunc exora, *o prorsus immaculata*, ut fideles universos e periculis eripiat. »

147. Tot vero tamque perspicua testimonia suffragatione confirmantur Georgii nicomediensis et Iohannis damasceni, e quibus Georgius [e]) in hymno pro pervigilio annuntiatae Deiparae canit:

a) Men. die XI. Septembris Ode γ'. pag. 78. col. 2. A. Χειμάζει με κλύδων ἁμαρτίας καὶ σάλος ἀτόπων λογισμῶν· σπλαγχνίσθητι, πανάμωμε, καὶ χεῖρα βοηθείας μοι, ὡς συμπαθὴς ἐπέκτεινον, ὅπως σωθεὶς μεγαλύνω σε.

b) Men. die XV. Maii Ode θ'. pag. 66. col. 1. B. et die XXV. Ode ς'. pag. 98. col. 2. C. Τὸν δεσπότην τεκοῦσα, ὤφθης ὑπερτέρα τῶν ἄνω δυνάμεων, καὶ βροτῶν τὴν φύσιν ἐθεούργησας, κόρη πανάμωμε· θεοτόκον ὅθεν παναληθῆ ψυχῇ καὶ φλώσσῃ οἱ πιστοί σε, Παρθένε, δοξάζομεν.

c) Triod. pag. 69. col. 2. A. Νυμφῶνα δόξης σὲ μυστικὸν πάντες καταγγέλλομεν πιστοὶ, Θεοκύητορ πανάμωμε· ὅθεν δυσωπῶ σε, ἁγνὴ, πεσόντα με νυμφῶνος παραδείσου οἰκεῖον ποίησον.

d) Men. die XXX. Ianuarii Ode ζ'. pag. 231. col. 2. C. Σταυρῷ προσπαγεὶς ὁ ἐκ σοῦ σωματωθεὶς, Θεογεννήτρια, Ἀδὰμ διέῤῥηξε τὸ χειρόγραφον· ὃν νῦν δυσώπει, πανάμωμε, ἅπαντας κινδύνων ῥυσθῆναι τοὺς ἐν πίστει.

e) Men. die XXIV. Martii Ode θ'. pag. 104. col. 1. D. Ἠράσθη τοῦ κάλλους σου Χριστὸς, πανάμωμε, καὶ τὴν μήτραν σου κατῴκησεν, ὅπως παθῶν ἐξ ἀμορφίας τὸ γένος

« Pulchritudinis tuae amore, *o immunis ab omni labe*, Christus captus est, uterumque tuum sibi in domum elegit, ut a passionum turpitudine humanum genus redimeret, illudque antiqua venustate donaret. Eum adorantes glorificamus te. » In tertia autem ex iis orationibus, quibus ingressum Deiparae in Templum celebravit, sic [a]) habet: « Mihi autem non ea tantum supra modum mirari ac stupere subit (quod nimirum Deipara vix triennis ad summum virtutum apicem conscendisset), verum etiam quod primo aetatis flore ac vigente corpore ipsam incorporeorum naturam Mariae *ab omni labe mundissimae* puritas superaret. »

148. Neque alio pertinent quae [b]) Iohannes damascenus scribit: « Salve o sanctificatum idemque divinum Altissimi tabernaculum. Per te enim, o Deipara, iis concessum est gaudium qui clamant: o Domina *labis omnis expers* tu es in mulieribus benedicta. » Et [c]) alibi: Tu sola, o intemerata Virgo, in omnibus generationibus Dei mater ostensa es. Tu, *o undequaque immaculata*, divinitatis sedes exstitisti. » Et [d]) iterum: « Assumens qui incorruptibilis est ex tuo ventre, *o culpae omnis inscia*, mortalem naturam caducam in seipso per misericordiam ostendit eam a caducitate immunem. »

149. Quod si Iohannes monachus in Pentecostario memoratus alius forte sit ab Iohanne damasceno, is novus accedit testis [e]) scribens: « Beatus extitit, *o penitus immaculata*, sinus tuus. Tu enim digna fuisti eum ineffabiliter complecti, qui inferni sinum mirabili-

τῶν ἀνθρώπων λυτρώσηται, καὶ κάλλος τὸ ἀρχαῖον δωρήσηται· ὃν προσκυνοῦντες, σὲ δοξάζομεν.

a) Orat. VI. quae est III. in ingressum Deiparae in Templum, apud Combefisium, Auctar. T. I. pag. 2126. E. Ἐμοὶ δὲ οὐ τούτων μόνον ἕνεκα ὑπερεκπλήττεσθαι συμβαίνει, ἀλλὰ καὶ τοῦ ἀκμῇ σώματος τὴν τῶν ἀΰλων φύσιν ὑπεραίρειν τὴν καθαρότητα τῆς παναμώμου Μαρίας.

b) Paraclit. pag. 170. col. 2. D. Τὸ τοῦ ὑψίστου ἡγιασμένον θεῖον σκήνωμα, χαῖρε· διὰ σοῦ γὰρ δέδοται ἡ χαρὰ, θεοτόκε, τοῖς κραυγάζουσιν· εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν ὑπάρχεις, πανάμωμε δέσποινα.

c) Paraclit. pag. 171. col. 1. D. Σὺ μόνη ἐν πάσαις γενεαῖς, Παρθένε ἄχραντε, μήτηρ ἐδείχθης Θεοῦ· σὺ τῆς θεότητος γέγονας ἐνδιαίτημα, πανάμωμε.

d) Paraclit. pag. 172. col. 1. D. Ῥευστὴν προσλαβόμενος βροτείαν φύσιν ἐκ τῆς γῆς (lege omnino σῆς), πανάμωμε, γαστρὸς ὁ ἄφθαρτος, ἐν ἑαυτῷ ἀνέδειξεν ἄῤῥευστον δι' εὐσπλαγχνίαν.

e) Pentecostar. pag. 179. col. 2. A. Μακαρία ἡ κοιλία σου, πανάμωμε, γέγονε· τὸν γὰρ τὴν κοιλίαν ᾅδου παραδόξως κενώσαντα ἀνερμηνεύτως χωρῆσαι κατηξίωσαι.

ter evacuavit. » Ac novus item testis accedit, ubi [a]) ait: « Qui lumen est de lumine ex te, *o immaculatissima*, resplendens ortus est, omnemque caecitatem impietatis dissolvit atque in noctis tenebris sedentes illuminavit. Proinde te omnes impense in secula semper glorificamus. » Eodem haec pertinent [b]) ex Euchologio: « Regum, prophetarum, apostolorum et martyrum tu es gloria, mundique protectio, o penitus immaculata. » Eodem quae habentur tum [1]) in dissertatione Iohannis damasceni adversus Nestorianos, tum in Officio quadragesimali, in quo [c]) legimus: « Pietate tua, o penitus immaculata, supplices preces meas excipe, mihique, o innocens, concede peccatorum veniam, mihi qui lugens clamo: ne me despicias, o bona, sed revoca. Quae Verbum, o immunis ab omni labe, principio carens sola concepisti, ex te incarnatum non vero immutatum quod prius erat, Virgo manens post partum, intercede, o innupta, pro omnibus ut vita nostra e corruptione liberetur. Praebe mihi vires, o Virgo, ut ab omni peccato ieiunem et abstineam, tu quae potens et impeccabile Verbum ineffabiliter concepisti, et mihi, o immaculatissima, expiatrices sordium lacrymas imperti. » Hinc in Anthologio non modo *penitus immaculata*, sed *sola penitus immaculata* salutatur [d]) his verbis: « Erige me lapsum in lacum tentatio-

a) Pentecostar. pag. 185. col. 2. A. *Φῶς τὸ ἐκ φωτὸς ἐκλάμψαν, πανάμωμε, ἐκ σοῦ ἀνέτειλε, καὶ τὴν ἀμαυρότητα τῆς ἀθείας πᾶσαν διέλυσε, καὶ τοὺς νυκτὶ καθεύδοντας φωταγώγησε· διὰ τοῦτο πάντες σὲ εἰς αἰῶνας ἀεὶ μακαρίζομεν.*

b) Euchelog. in Officio aquae benedictae minoris pag. 440. B. *Βασιλέων, προφητῶν, καὶ ἀποστόλων, καὶ μαρτύρων ὑπάρχεις τὸ καύχημα, καὶ προστασία τοῦ κόσμου, πανάμωμε.*

c) Domin. Tyroph. Ode ζ. pag. 87. D. *Τὴν ἱκέσιόν μου δέησιν, πανάμωμε, πρόσδεξαι συμπαθείᾳ τῇ σῇ, καὶ συγχώρησιν τῶν πταισμάτων δίδου μοι, ἁγνή, ἐν θρήνοις βοῶντι ἐκτενῶς· μὴ ὑπερίδῃς, ἀγαθή, ἀλλ' ἀνακάλεσαί με.*

Fer. III. Heb. II. Ieiun. Ode β'. pag. 171. B-C. *Ἡ μόνη κυήσασα τὸν ἄναρχον λόγον, πανάμωμε, ἐκ σοῦ σαρκωθέντα, μὴ τραπέντα, ὅπερ ἦν, μείνασα παρθένος μετὰ τὸν τόκον, ἀνύμφευτε, ἱκέτευε ὑπὲρ πάντων, λυτρωθῆναι ἐκ φθορᾶς τὴν ζωὴν ἡμῶν.*

Sabb. Heb. II. Ieiun. Ode ς'. pag. 204. A. *Νηστεύειν με, ἀπεχέσθαι πάσης ἁμαρτίας ἐνδυνάμωσον, κόρη, τὸν δυνατὸν, ἀναμάρτητον λόγον, σωματωθέντα ἀῤῥήτως κυήσασα, καὶ δίδου μοι καθαρτικὸν μολυσμάτων, πανάμωμε, δάκρυον.*

d) Antholog. pag. 8. col. 1. E. *Ἀνόρθωσον πεσόντα με ἐν λάκκῳ πειρασμῶν, καὶ κυβέρνησον ἡ θεὸν κυβερνήτην τέξασα, μόνη πανάμωμε, τὸν τὰ πρὶν ἑνώσαντα διεστῶτα ἀγαθότητι.*

1) Dissert. cont. Nestor. §. XLIII. apud Canisium Lectt. antiq. T. II. P. 1. pag. 83.

num, et dirige me quae Deum moderatorem peperisti, o sola penitus immaculata, eum qui bonitate sua coniunxit quae pridem dissidebant. » Finem facio precationem describens Graecis solemnem atque hisce verbis [a]) conceptam: « Ut misericordiae tuae plenitudinem et interminatum pelagus bonitatis tuae omnibus ostendas, o innocens, dele omnia famulorum tuorum peccata. Quum enim Dei sis mater, habes, *o plene atque ex toto immaculata*, potestatem in omnem creaturam, tuaque auctoritate de omnibus pro nutu disponis. Gratia namque Spiritus sancti in te splendide inhabitans, tecum in omnibus cooperatur, o semper omni laude dignissima. »

150. Quae quum ita sint, colligi verissime potest, titulum *τῆς παναμώμου penitus immaculatae* eorum numero comprehendi, quibus Deipara frequentius [1]) solemniusque cohonestatur. Sed huius tituli ea vis est atque insita significandi potestas, ut nullum omnino ferat naevum, omnesque funditus labes excludat. Eadem igitur consensione, eademque solemnitate a quovis naevo immunis et cuiusvis exsors maculae Deipara dicitur, qua *πανάμωμος immaculatissima* nuncupatur. Nullatenus vero Deipara esset aut merito diceretur a quovis naevo integra et nullius prorsus culpae particeps, si originali obnoxia maculae primum extitisset. Toties igitur Deipara ab originali praevaricatione affirmatur immunis, quoties in christianis monimentis tanta perspicuitate tantaque frequentia *πανάμωμος undequaque immaculata* salutatur. Utique, mihi videor audire qui reponant, si tamen eiusmodi titulus pro tota quae illi subest significandi amplitudine Deiparae adscriptus ostenderetur. Sed hoc opus quod expletum hactenus non fuit, et hic labor qui exhauriendus hactenus superest. Verum, uti ego quidem arbitror, neque opus quod obiicitur, grave, neque labor qui obtenditur, existimari arduus debet.

151. Sane legitimae interpretationis canon omnium princeps

a) Men. die III. Decembris ad Vesp. pag. 10. col. 2. D. Ἵνα σοῦ πᾶσι τὸ πλῆθος τοῦ ἐλέους, καὶ τῆς ἀγαθότητος ἀνακαλύψῃς, ἁγνὴ, τὸ ἀδιόριστον πέλαγος, τὰς ἁμαρτίας τῶν οἰκετῶν σου πάσας ἐξάλειψον· ἔχεις γὰρ, πανάμωμε, ὡς μήτηρ οὖσα Θεοῦ, τὴν ἐξουσίαν τῆς κτίσεως· καὶ διεξάγεις πάντα ὡς θέλεις τῇ δυναστείᾳ σου· καὶ γὰρ ἡ χάρις ἡ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου σαφῶς κατοικοῦσα ἐν σοὶ, συνεργεῖ σοι ἐν πᾶσιν ἀεννάως παμμακάριστε.

1) Cuius solemnitatis inde quoque peti argumentum potest, quod in epistola synodica Theodori hierosolymitani, quae lecta comprobataque fuit in concilio nicaeno II. actione III. apud Mansium T. XII. pagg. 1137-1145. Deipara salutetur uti *Domina πανάμωμος* et *Domina πανάχραντος*.

huc redit, ne quoad eius fieri potest, nativa et propria vocum significatio deseratur. Sed nativa et propria τοῦ παναμώμου *penitus immaculati* significatio flagitat, ut a subiecto cui illud defertur, καθ' ὅλον *omni ex parte omnique sub adspectu* maculae sordesque depellantur. Quid ergo exigit princeps legitimae interpretationis canon? Ut nimirum haec τοῦ παναμώμου *penitus immaculati* significatio, quoad eius fieri potest, servetur; et ut pro hac nativa eiusdem significatione Deipara, quae πανάμωμος *penitus immaculata* centies dicitur, ab omni funditus labe immunis, quaecumque ea sit sive originalis sive actualis, existimetur. Sed forte adsunt quae impediunt, quominus insita et nativa τοῦ παναμώμου *penitus immaculati* significatio, quum ad Deiparam hoc appositum refertur, sancte custodiatur. Immo omnia postulant, ne vel tantillum ab ea discedere nobis integrum arbitremur.

152. Hoc enim I. postulat toties inculcatus huius appositi usus, quin tamen laxior eiusdem acceptio *vel semel* innuatur. Hoc II. postulat eiusdem usus *simplex et absolutus,* quo Deipara citra quodvis additamentum una τῆς παναμώμου *penitus immaculatae* appellatione designatur ac distinguitur. Hoc III. postulat epithetum τῆς ἁγνῆς *innocentis,* quod crebro et absolute cum altero τῆς παναμώμου *penitus immaculatae* coniungitur. Hoc IV. postulat ipsum *subiectum* quod est Deipara, quae supernis Virtutibus celsior puriorque celebratur. Atque hoc V. ipsamet postulant *contextuum* adiuncta, quibus ad evidentiam usque ostenditur, aut numquam τὸ πανάμωμον *penitus immaculatum* pro insita significatione adhiberi, aut tum certissime adhiberi, quum ad Deiparam designandam distinguendamque usurpatur.

153. Et re sane vera, spectentur eiusmodi adiuncta. Quid ex illis continuo deprehenditur? Scilicet deprehenditur, idcirco Deiparam uno ore πανάμωμον *penitus immaculatam* vocari, quod I. ipsa ex Ioachimo et Anna primum germinaverit ut καρπὸς εὐκλεὴς *fructus gloriosus:* quod II. semper atque ante ipsam Incarnationem ea pulchritudine nituerit, qua sibi Unigeniti amorem conciliaverit: quod III. τὴν καταφθορὰν τῶν δούλων *corruptionem servorum* numquam contraxerit: quod IV. numquam κάλλος τὸ ἀρχαῖον *priscam primitivamque venustatem* amiserit: quod V. numquam παθῶν ἀμορφίαν *passionum deformitatem* subierit: quod VI. neque peccatorum confusionem, neque tumultus cupiditatum, neque pravarum cogitationum insidias umquam persenserit: quod VII. una ex omnibus generationibus in sua

integritate constiterit, quum reliqua Adami propago lapsa iaceret: quod VIII. ipsa Adami chirographo comprehensa non fuerit, neque in Adamo proinde peccarit: quod IX. simillima fuerit aeterno Genitori, atque semper adeo luce refulserit, sicut ille lux est: quod X. semper fuerit omni laude dignissima: quod XI. spectari debeat veluti media inter λυτρωτὴν *Redemptorem* et ἡμεῖς *nos*, qui a contracta culpa fuimus redempti: et quod XII. ipsi, utpote supra ordinem totius lapsae humanitatis evectae, λύτρωσις *redemptio* et redemptionis officium verissimo aliquo sensu deferantur. Atqui nihil hisce accomodatius nihilque validius quo omnibus persuadeatur, propterea τῆς παναμώμου *penitus immaculatae* titulo Deiparam fuisse ornatam, quod illi pro insita vocis significatione adamussim conveniret. Immunitas igitur a quovis culpae tam originalis quam actualis naevo ea frequentia, eaque solemnitate Deiparae adscribitur, qua ipsa miro quodam christianae traditionis consensu παναμώμος *ex integro immaculata* salutatur.

ARTICULUS II.

De apposito τῆς παναμωμήτου penitus inculpatae omnique ex parte insontis, quo in christianis monimentis Deipara honestatur.

154. Quamquam utrumque appositum τὸ πανάμωμον *penitus immaculatum* et τὸ παναμώμητον *penitus inculpatum*, vix aut ne vix quidem [1]) significandi potestate discriminentur; huius tamen usus haud paullo est rarior, neque tamen eo usque rarus ut ab Ecclesiae scriptoribus de innocentia Virginis disserentibus plane fuerit praetermissus. Illis enim antiquissimum semper fuit omnes adhibere voces, nullasque negligere formulas, quas ad explicandam Deiparae omnimodam puritatem conducere posse arbitrarentur. Quare istud etiam, licet rarius, τῆς παναμωμήτου *penitus inculpatae* epithetum sibi usurpandum esse censuerunt: atque hoc etiam usi sunt, ut praeceptam animo fidem de innocentia Deiparae nullo umquam foedata naevo omnibus patefacerent.

155. Ex eorum autem numero qui hoc epitheto usi sunt, pri-

1) Sane Hesychius ἀμώμητον interpretatur ἄμωμον, ἄψογον, ἀγαθὸν ἢ σώματι ἢ ψυχῇ.

mus se nobis obiicit [a]) Psellus ubi Canticum canticorum explanans scribit: « Has classes (reginarum et adolescentularum) atque hos ordines Salomon ille prospiciens, et divino afflatus Spiritu tanto ante cernens Verbi sponsi purissimi incarnationem, et quae ipsum sine semine genuit Dei matrem, *vere illam penitus inculpatam* puramque [1]) Mariam, quam omnes omnium hominum generationes vocibus numquam cessantibus beatissimam praedicant: quia totius mundi peperit Salvatorem. » Alter se nobis obiicit hierosolymitanus Sophronius, quem eodem epitheto semel atque iterum usum esse novimus. Et eo inprimis [b]) usus est inquiens: « Omnis creatura obstupescit, o Domina, mysterium supra rationem evectum partus tui. Paris enim Deum Emmanuelem propter nos, *o penitus inculpata*, hominem factum, qui mortis dominium sua cruce solvit. » Usus [c]) deinde est subdens: « Quum gloriose e sepulchro excitatum, *o penitus inculpata*, conspiceres (Filium tuum) vitam mortuis inspirantem, animi gaudio replebaris clamans: Fili et Deus meus, tuam glorifico condescensionem supra mentem sitam. »

156. Cum Psello atque Sophronio conspirant Georgius et Iosephus hymnographi, quorum ille [d]) ait: « Dei Verbum propter

a) Comment. in Cantic. trium patrum, Gregorii nysseni, Nili et Maximi apud Gallandium T. VI. pag. 696. B.

Ταύτας τὰς τάξεις κατιδὼν ὁ Σολομὼν ἐκεῖνος,
Προκατιδὼν δὲ μάλιστα τῷ πνεύματι τῷ θείῳ
Καὶ τὴν τοῦ λόγου σάρκωσιν τοῦ καθαροῦ νυμφίου,
Καὶ τὴν γεννήσασαν αὐτὸν ἀσπόρως θεοτόκον,
Τὴν ὄντως παναμώμητον, τὴν καθαρὰν Μαρίαν,
Ἥντινα μακαρίζουσι φωναῖς ἀκαταπαύστοις
Αἱ γενεαὶ τῶν γενεῶν ἁπάντων τῶν ἀνθρώπων,
Ὅτι Σωτῆρα τέτοκε τῆς ὅλης οἰκουμένης.

b) Triod. apud Mai Spicileg. rom. T. IV. pag. 192. Φρίττει πᾶσα κτίσις, δέσποινα, τὸ ὑπὲρ νοῦν μυστήριον τῆς λοχείας σου· τίκτεις γὰρ θεὸν Ἐμμανουὴλ χρηματίσαντα δι' ἡμᾶς, παναμώμητε, ἄνθρωπον, τὸν λύσαντα θανάτου τὴν δυναστείαν τῷ σταυρῷ αὐτοῦ.

c) Ibid. pag. 208. Νεκροῖς τὸν ἐμπνέοντα ζωὴν ὡς ἔβλεψας ἐκ τοῦ τάφου, παναμώμητε, ἐγηγερμένον μετὰ δόξης, ἐπλήσθης θυμηδίας κραυγάζουσα· υἱέ μου καὶ θεὲ, μεγαλύνω σου τὴν ὑπὲρ λόγον συγκατάβασιν.

d) Men. die XXV. Februarii Ode ζ. pag. 140. col. 2. D. Ὁ ἀχώρητος τῇ φύσει τῆς

1) Ubi duo velim diligenter considerentur: ac primo non aliter Mariam dici καθαρὰν *puram*, ac Verbum καθαρὸς νυμφίος *purus sponsus* dicatur: tum vero Mariam non nude παναμώμητον *penitus inculpatam*, sed ὄντως παναμώμητον vocari. Quo praeposito adverbio, aut plena a quolibet naevo immunitas *vehementius* affirmatur, quod vix crediderim; aut satius innuitur Mariam non regeneratione et superveniente gratia, sed natura ipsoque conceptu fuisse παναμώμητον *penitus culpae exsortem*.

naturam deitatis incomprehensibile et incircumscriptum ex te, o purissima et *penitus inculpata*, incarnatum, adiri potest et imagine circumscribi, utpote homo perspicue factum. » At Iosephus [a]) principio scribit : « Mysterium divinum, o puella *prorsus inculpata*, ab omnibus seculis absconditum per te ubique terrarum innotuit : Filius nimirum Deique Verbum caro factus, hominemque, o Virgo, deificans. » Tum alibi [b]) ait : « Qui Patri consubstantialis est, in omnibus apparuit similis hominibus, ex tuo sanguine, *o penitus inculpata*, pro suo beneplacito incarnatus. » Et quasi hoc epitheto delectaretur, sic iterum [c]) habet : « Citra viri consortium, o Virgo, genuisti Deum nobis similem factum. Illum exora, *o penitus inculpata*, ut semper salvet clamantes etc. »

157. Eodem pertinent quae [d]) Germanus constantinopolitanus praesul litteris consignavit inquiens : « Qui mortalibus omnibus, *o penitus inculpata*, praebet ut sint, supra omnem naturae ordinem ex tuis sanctis visceribus carnem assumens, conspiciebatur nihil ab eo quod antea erat immutatus. » Neque alio spectant quae Graeci publice solemniterque [e]) canunt his verbis : « Quum tu, *o penitus inculpata*, videres ex te natum pendentem in ligno exanimem, amare exclamabas : quo pacto, mi Fili desideratissime, occidit tua illa lucifera pulchritudo, qui caelestium naturam ornasti ? »

158. Maiorum itaque suffragio una cum aliis titulis is quoque tribui Deiparae debet, quo ipsa παναμώμητος *penitus inculpata* vocatur et creditur. Sed neque vocari neque credi Deipara pos-

θεότητος καὶ ἀπερίγραπτος λόγος Θεοῦ γεννηθεὶς ἐκ σοῦ σαρκὶ, πάναγνε καὶ παναμώμητε, προσιτός ἐστι, καὶ ἐν εἰκόνι γράφεται, ὡς σαφῶς ἐνανθρωπήσας.

a) Men. die XXI. Ianuarii Ode ε'. pag. 176. col. 2. D. Τὸ πρὸ πάντων αἰώνων, κόρη παναμώμητε, θεῖον μυστήριον ἀποκεκρυμμένον, διὰ σοῦ ἐγνωρίσθη τοῖς πέρασιν· ὁ υἱὸς καὶ λόγος ὁ τοῦ Θεοῦ σὰρξ χρηματίσας, καὶ θεώσας, Παρθένε, τὸν ἄνθρωπον.

b) Men. die XXII. Maii Ode ε'. pag. 88. col. 1. B. Ὁ πατρὶ ὁμοούσιος ὤφθη κατὰ πάντα ἀνθρώποις ὅμοιος, σαρκωθεὶς, καθὼς ηὐδόκησεν, ἐκ τῶν σῶν αἱμάτων, παναμώμητε.

c) Men. die X. Iunii Ode η'. pag. 38. col. 2. D. Ἀπειράνδρως τέτοκας Θεὸν ἡμῖν ὁμοιωθέντα, Παρθένε· ὃν ἐκδυσώπει, παναμώμητε, ἀεὶ σῶσαι τοὺς κραυγάζοντας κ. τ. λ.

d) Men. die XVI. Augusti Ode α'. pag. 90. col. 1. B. Ἐκ τῶν ἁγνῶν σου λαγόνων ὑπερφυῶς σάρκα δανεισάμενος ὁ τὸ εἶναι παράσχων πᾶσι, παναμώμητε, βροτοῖς, καθωράθη, οὐκ ἐκστὰς οὗ ἦν τὸ πρότερον.

e) Men. die I. Decembris ad Vesp. pag. 3. col. 2. B. Ὁρῶσα τὸν ἐκ σοῦ τεχθέντα, παναμώμητε, κρεμάμενον ἐν ξύλῳ ἄπνουν, πικρῶς ἐβόας· ποθεινότατόν μου τέκνον, ποῦ σοῦ ἔδυ τὸ κάλλος τὸ φωσφόρον τοῦ καλλωπίσαντος τῶν ἄνων (lege ἄνω) τὴν φύσιν;

set penitus omnique ex parte inculpata, si quum primum exstitit, originalis culpae maculam eiusque sordes contraxisset. Qua igitur maiorum consensione Deipara παναμώμητος *penitus inculpata* dicitur, eadem a quavis culpa originali non minus quam actuali immunis demonstratur. Cuius consequutionis veritas eo emicabit splendidior, quo animo diligentius reputetur sive I. Deiparam [1]) absolute παναμώμητον *penitus inculpatam* appellari, atque hoc titulo veluti proprio nomine distingui: sive II. Deiparam non appellari modo παναμώμητον *penitus inculpatam*, sed etiam ὄντως παναμώμητον, idest, aut *vere omni ex parte inculpatam*, aut natura ipsa ipsoque conceptu inculpatam: sive III. cumulari [2]) apposita τῆς ἁγνῆς *innocentis*, τῆς καθαρᾶς *purae*, τῆς πανάγνης *innocentissimae*, et τῆς παναμωμήτου *undequaque inculpatae*, ut quanta sit Deiparae integritas et quantopere ab omni naevo seiuncta luculentius innotescat: sive tandem IV. propterea παναμώμητον *penitus inculpatam* nuncupari Deiparam, quod ea [3]) sit καθαρά *pura*, et eiusmodi puritate insignis qua ipsemet Unigenitus caro factus καθαρός *purus* vocatur atque creditur.

ARTICULUS III.

De apposito τῆς παναχράντου penitus intaminatae, quo maioribus nostris solemne fuit Deiparae innocentiam significare.

159. Quum illud proprie dicatur ἄχραντον quod est *intactum*, *inaccessum* atque *intaminatum;* profecto πανάχραντον idem valebit ac *penitus intactum*, *undequaque inaccessum*, *omnique ex parte inta-*

1) Haec autem *absoluta* appellatio non sinit ut propterea Virgo dicta παναμώμητος censeatur, quod detersa semel originis noxa, nullas deinde culpas contraxerit. Eiusmodi namque interpretatione constituta, neque Virgo foret *absolute* παναμώμητος, neque hoc titulo veluti proprio a reliquo hominum genere secerneretur, quum innumeri fuerint ac porro sint qui originali praevaricatione soluti supremum antea obierint diem, quam ullo culpae vinculo obligarentur.

2) Simili appositorum congerie utitur antiquus auctor commentariorum in Lucam, qui Tito bostrensi tribuuntur, quum ad evangelistae verba Luc. 1. 26. *missus est angelus Gabriel ad Virginem desponsatam* etc., scribit in Max. PP. Biblioth. T. IV. p. 416. col. 2. F-G., et apud Combefisium in Biblioth. concionat. T. VI. pag. 371. col. 2. A-B: « Sacratissimam Deiparam dominam nostram viro de familia Davidis desponsatam asserit evangelista, per hoc utique indicare volens ex eodem illo Davidis genere unde Ioseph qui illam duxerat, ortum trahebat, ipsam quoque inculpatissimam Virginem fluxisse. Nam secundum legis praescriptum alienae tribus mulierem matrimonio sibi iungere fas non erat. » Inculpatissima igitur appellatur Virgo, quod numquam violatae legis rea exstiterit. Fuisset autem rea violatae primae legis, si et ipsa in Adamo peccasset et in Adamo vetitum fructum degustasset. Nemo enim nostrum est qui ex vulgatissima patrum doctrina conqueri lamentabiliter non debeat: *et ego ad vetitam arborem manum extendi, vetitumque fructum comedi.*

3) Utrumque appositum tum etiam Psellus

minatum. Atque hac omnino significatione in liturgia Chrysostomo inscripta [a]) legimus : « Me indemnatum custodi ut sumam pretiosum et *penitus intaminatum corpus* tuum ad medelam animi et corporis. » Quapropter si eiusmodi appositum ad aperiendam significandamque moralem innocentiam vitaeque integritatem transferatur ; eam exhibebit innocentiam quae omni ex parte impervia fuerit culpae atque malitiae, eamque exhibebit integritatem quae numquam fuerit laesa et numquam contaminata. Iamvero plurimis iisque disertissimis veterum testificationibus comprobatur, hoc ipsum appositum publico solemnique usu fuisse receptum, ut Deiparae innocentia semper illaesa, eiusque integritas numquam decerpta exprimeretur.

160. Atque de hoc sane usu, quem publicum solemnemque vocavimus, ex iis initio constat quae habet Iacobus monachus idemque apud Graecos illustris [b]) inquiens : « Laudaverunt te, Domine, intellectuales universae Virtutes quum solem atque lunam una cum stellis produxisses ; nunc autem longe potius, quum ad terrificum mysterium explendum *penitus intaminatam* matrem tuam ex nostro genere elegisti, ac talem nobis thesaurum reposuisti, nosque eiusmodi spe confirmasti. » Tum ex hisce constat, quae [c]) Sophronius hierosolymitanus ad nomen patris Iosepho factum respiciens, ait : « Sicut et Iosephum nuncupare cernitur (Christi patrem) ipsa purissima et *penitus intaminata* Virgo mater Dei. » Et [d]) alibi : « Me condemnationi addictum et mea propter opera abiectum, o Domina

a) Inter opp. Chrysostomi T. XII. pag. 796. C. Ἀκατάκριτόν με διατήρησον δέξασθαι τὸ τίμιον καὶ πανάχραντον σῶμά σου εἰς ἴασιν ψυχῆς καὶ σώματος.

b) Orat. in nativit. s. Mariae, apud Combefis. Auctar. T. I. pag. 1283. B-C. Ἤνεσάν σε, δέσποτα, πᾶσαι νοεραὶ δυνάμεις, ἡνίκα ἥλιον καὶ σελήνην, σὺν τοῖς ἄστροις παρήγαγες· πολλῷ δὲ μᾶλλον νῦν, ὁπότε τοῦ ἡμετέρου γένους εἰς τὴν τοῦ φοβεροῦ μυστηρίου ἐκπλήρωσιν τὴν σὴν πανάχραντον παρείληφας μητέρα, καὶ τοιοῦτον ἡμῖν ἐναπέθου τὸν θησαυρὸν, τοιαύτην ὑπεστήριξας τὴν ἐλπίδα.

c) In fragmento apud Gallandium T. III. pag. 253. A. Κατὰ τὸν Ἰωσὴφ καὶ πάναγνος αὕτη καὶ πανάχραντος παρθένος Θεομήτωρ προσαγορεύουσα φαίνεται.

d) Triod. apud Mai, Spicileg. rom. T. IV. pag. 163. Ἐμὲ τὸν κατάκριτον ἐν καταδίκῃ, πανάχραντε δέσποινα, ἐῤῥιμμένον ἔργων μου σῶσον οἰκτείρησον, τὸν πανοικτίρμονα Θεὸν ἀποκυήσασα.

coniungit, quum in eo quem citavimus commentario apud Gallandium T. VI. pag. 694. B. scribit :

Ἐκεῖνος κατελήλυθε, φησὶν, ἀῤῥητοτρόπως,
Ὡς ἐπὶ πόκον ὑετὸς, ὡς ἐπὶ χλόην δρόσος,
Ἐν τῇ γαστρὶ τῆς καθαρᾶς καὶ παναμώμου κόρης.
Καὶ εἰς φιάλην καθαρὰν τῶν θείων ἀρωμάτων.

« Arcana, inquit, ratione ille descendit, sicut imber super lanam, sicut ros in vellus, in uterum *purae atque penitus immaculatae* puellae, et in aromatum divinorum phialam mundam. »

penitus intaminata, serva, meique tu miserere quae misericordiarum Deum genuisti. »

161. Iacobo et Sophronio succedit Anastasius praesul antiochenus, cuius adhuc reliquus est sermo [a]) inscriptus: « In annuntiationem *penitus intaminatae* Dei genitricis Mariae. » Succedit Germanus constantinopolitanus Episcopus, qui [b]) directas ad Virginem preces his verbis absolvit: « Habes enim, novi, concurrentem cum voluntate potentiam, tamquam Altissimi parens: quam etiam ob rem animum non deiicio. Ne ergo mea frauder expectatione, o Domina *penitus intaminata*, sed eius compos efficiar, o Dei sponsa *etc.* » Succedit [c]) Metrophanes smyrnensis inquiens: « Unum ex Trinitate, *o penitus intaminata,* genuisti, propter nos ex te corpore indutum et terrigenas illuminantem luce inoccidua et divinitatis splendoribus. » Et [d]) alibi: « Ex alto throno descendit Christus, ut hominem, quippe hominum amator, per te, *o penitus intaminata,* eveheret, et fulgentissimum lumen omnibus illuxit. »

162. Neque aliter loquuutur sive Theodorus studites, sive Theophanes, e quibus [e]) Theodorus scribit: « Deprecare, *o penitus intaminata,* pro iis qui te celebrant, ut ex tentationibus periculisque omnigenis eripiantur. » Et [f]) rursum: « Te virgam ex radice Iesse et David progenitoris obortam, *o penitus intaminata* atque innocens, magnificamus, quod salvas animas nostras. » Theophanes vero [g]) sic

a) Penes Gallandium T. XII. pag. 258. Εἰς τὸν εὐαγγελισμὸν τῆς παναχράντου καὶ Θεοτόκου Μαρίας.

b) Orat. in praesentat. s. Mariae, apud Combefis. Auctar. T. I. pag. 1422. E. Ἔχεις γάρ, οἶδα, σύνδρομον τῇ θελήσει τὸ δύνασθαι, ὡς τοῦ ὑψίστου μήτηρ· καὶ διὰ τοῦτο τολμῶ· μὴ οὖν ἀποστερηθείην, παναχραντε κυρία, τῆς ἐμῆς προσδοκίας, ἀλλὰ τύχοιμι ταύτης κ. τ. λ.

c) Paraclit. pag. 6. col. 2. A. Τέτοκας τῆς τριάδος ἕνα, παναχραντε, σωματωθέντα δι' ἡμᾶς ἐκ σοῦ, καταυγάζοντα τοὺς γηγενεῖς τῆς τρισηλίου Θεότητος τῷ ἀνεσπέρῳ φωτὶ καὶ ταῖς λάμψεσιν.

d) Paraclit. pag. 113. col. 1. B. Ἀπὸ τοῦ θρόνου κατῆλθε τοῦ ὑψηλοῦ ὁ Χριστὸς τὸν ἄνθρωπον ἀνυψῶν, ὡς φιλάνθρωπος, διὰ σοῦ, παναχραντε, καὶ τὸ τρισήλιον φῶς ἔλαμψε πᾶσι.

e) Triod. pag. 184. col. 1. D. Ἱκετηρίαν ποίησον ὑπὲρ τῶν ὑμνούντων σε, παναχραντε, ῥυσθῆναι παντοίων πειρασμῶν καὶ κινδύνων.

f) Ibid. pag. 190. col. 1. C. Σὲ τὴν ἐκ ῥίζης Ἰεσσαὶ καὶ Δαυὶδ τοῦ προπάτορος ἐκβλαστήσασαν ῥάβδον, παναχραντε ἁγνή, μεγαλύνομεν, ὅτι σώζεις τὰς ψυχὰς ἡμῶν.

g) Men. die XXIII. Maii Ode γ'. pag. 90. col. 2. C. Μαρίαν τὴν παναχραντον Θεοτόκον ὑμνήσωμεν, ὡς πρόξενον σωτηρίας φανεῖσαν οἱ θεόφρονες, ᾗ βοῶμεν· οὐκ ἔστιν ἄλλη τις ἐλπὶς καὶ στήριγμα τῶν πιστῶν, πανύμνητε θεοδόξαστε.

habet : « Quotquot divinae mentis sumus Mariam *penitus intaminatam* Deiparam extollamus, ut quae velut salutis conciliatrix apparuit, et ad eam clamemus : nulla spes est alia, nullumque credentium firmamentum, o celebratissima atque divinitus glorificata. » Accedunt Euthymius et Tarasius, quorum alter de Anna [a]) scribit : « Peperit Virginem prorsus intaminatam, Deique genitricem Mariam, salutis mortalium conciliatricem. » Prior autem [b]) in canone supplici ad sanctissimam Deiparam in peccatoris confessione, principio [c]) ait : « Horam mortis indesinenter mente verso, o penitus intaminata, et horrendum tribunal prae oculis habere videor ; totus tamen malorum consuetudine detentus graviter expavesco, sed tu mihi opem ferto. » Tum [d]) subdit : « Carnis meae caecitatem horrendus et inextinctus ignis fluvius, o penitus intaminata, vermisque aeternus vere exspectat ; sed his me tuis precibus libera. » Mox [e]) pergit : « Mortis adventum perhorresco, o penitus intaminata, iudiciumque illud extremum nullatenus timeo nec mala agere desisto. Priusquam mors instet, miserere et tuis precibus serva. » Quibus haec [f]) addit : « Interventus tui virtutem expertus, affectu simul atque timore ductus ad te, o penitus intaminata, accedo. Plurimum, o undequaque benedicta, apud Filium matris deprecatio valet, clementia namque facile movetur. » Et [g]) rursum : « Et nunc et tunc

a) Orat. in Deiparae praesentat. Ἔτεκε τὴν πανάχραντον παρθένον καὶ Θεοτόκον Μαρίαν, τὴν τοῦ κόσμου πρόξενον σωτηρίας.

b) Thesaur. hymnolog. T. III. pag. 17. et Euchol. pag. 871. Κανὼν παρακλητικὸς εἰς τὴν ὑπεραγίαν Θεοτόκον, ἐν ἐξομολογήσει ἁμαρτωλοῦ.

c) Ibid. pag. 17. et pag. 872. Ode α′. Τοῦ μὲν θανάτου τὴν ὥραν διηνεκῶς ἐννοῶ, πανάχραντε, καὶ τὸ βῆμα τὸ φρικτὸν, συνηθείᾳ ὅλος καὶ κακῶν δελεάζομαι δεινῶς· ἀλλὰ βοήθει μοι.

d) Ibid. pag. 18. et pag. 873. Ode ς′. Σαρκός μου τὴν πήρωσιν ποταμὸς ὁ τοῦ πυρὸς ὁ φοβερὸς καὶ ἄσβεστος ἀναμένει, πανάχραντε, ἀληθῶς καὶ σκώληξ ἀκοίμητος· ἀλλὰ ῥῦσαί με τούτων ταῖς πρεσβείαις σου.

e) Ibid. pag. 19. et pag. 874. Ode η′. Παρουσίαν θανάτου φρίττω, πανάχραντε, καὶ τὴν κρίσιν ἐκείνην ὅλως οὐ δέδοικα, πράττειν τὰ κακὰ οὐδὲ ὅλως ἀφίσταμαι· οἴκτειρον καὶ σῶσον πρεσβείαις σου πρὸ τέλους.

f) Ibid. pag. 19. et pag. 874. Ode η′. Ἰδοὺ προσέρχομαί σοι, πανάχραντε, φόβῳ πολλῷ καὶ πόθῳ τὴν ἰσχὺν ἐπιστάμενος τῆς πολλῆς πρεσβείας ὁ δοῦλός σου· μέγιστα γὰρ ἰσχύει, ὦ παντευλόγητε, δέησις μητρὸς πρὸς τὸν υἱὸν, σπλάγχνοις γὰρ κάμπτεται.

g) Ibid. pag. 20. et pag. 874. Ode θ′. Καὶ νῦν καὶ τότε τὴν σὴν βοήθειαν εὕρω, ἁγνὴ, ἐν ᾗ ὅταν ἐκλείπῃ τὸ πνεῦμά μου, τῶν δαιμόνων θᾶττον λυτρουμένη με, ῥῦσαι τῆς τυραννίδος τούτων, πανάχραντε, καὶ μή με ἐάσῃς, ἀγαθὴ, παραδοθῆναι αὐτοῖς.

opem tuam experiar, o innocens, quum defecerit spiritus meus, a daemonibus me quantocius eripe, ab eorum me tyrannide, o penitus intaminata, libera, neque me permittas, o bona, ipsis tradi. »

163. Neque alio pertinent quae Iohannes Euchaitarum Metropolita et nicomediensis Georgius testantur. Ille namque Deiparam ita [a]) compellat: « Qui temperat elementa in te virgine inhabitavit, teque post partum virginem reliquit, o Dei genitrix Maria *penitus intaminata*. Ad illum, *o prorsus inculpata*, una tecum clamamus: benedictus Deus patrum nostrorum. » At [b]) Georgius sic eam alloquitur: « Qui ex te supra rationem natus est, ob tuas preces, *o penitus intaminata,* serenitate implet praesens tempus, illosque dirigit qui te, o undequaque immaculata glorificant. » Quibus ad simillimam expressa normam occurrunt in veteri quadragesimali Officio, in Anthologio et in Euchologio. Sane in veteri quadragesimali Officio [c]) legimus: « Vita in socordia absumpta, peccati somnus animam meam gravavit, ad tuam vero intercessionem perpetuo vigilem confugio ne me obrui somno mortis sinas, o puella omnino intaminata. » Consonant quae his concepta verbis in Anthologio [d]) habentur: « Pro nobis, o puella omni ex parte intaminata, Christum deprecare qui ex puris tuis sanguinibus materialem carnem sibi circumdedit, mortalesque refinxit. » Atque haec pariter [e]) ex Euchologio: « Natum tuum celebramus, o Deipara, et clamamus, o penitus intaminata Domina, tuos famulos eripe. Regum, prophetarum, apostolorum et martyrum tu es gloria, et mundi protectio, o penitus immaculata. » Tum [f])

a) Men. die XXX. Ianuarii Ode ζ'. pag. 253. col. 2. C. Παρθένον οἰκήσας σὲ, καὶ μετὰ τόκον παρθένον ἔλιπεν ὁ ἀμείβων στοιχεῖα, Θεοκυῆτορ Μαρία παναχραντε· πρὸς ὃν βοῶμεν σὺν σοὶ, παναμώμητε, εὐλογητὸς ὁ Θεὸς πατέρων ἡμῶν.

b) Men. die XVI. Martii Ode α'. pag. 69. col. 1. A. Γαλήνης, παναχραντε, ὁ ἐκ σοῦ τεχθεὶς ὑπὲρ λόγον ταῖς πρεσβείαις σου ἐκπληροῖ τὸν παρόντα χρόνον, καὶ ἰθύνει τοὺς σὲ δοξάζοντας, πανάμωμε.

c) Sabbato Tyroph. Ode ς'. pag. 71. A. et Fer. VI. Hebd. I. Ieiun. Ode η'. pag. 131. B-C. Ἐν ἀμελείᾳ τὴν ζωὴν δαπανήσας, νυσταγμῷ τῆς ἁμαρτίας τὴν ψυχὴν ἐβαρύνθην, τῇ ἀκοιμήτῳ δὲ σοῦ πρεσβείᾳ προστρέχω, μὴ δώῃς με εἰς θάνατον, κόρη παναχραντε, ὑπνῶσαι.

d) Antholog. pag. 37. col. 1. B. Ὑπὲρ ἡμῶν δυσώπησον Χριστὸν, τὸν ἐκ τῶν σῶν ἁγνῶν αἱμάτων, παναχραντε κόρη, σάρκα ὑλικὴν ἠμφιεσμένον, καὶ βροτοὺς ἀναπλάσαντα.

e) Euchоlog. pag. 442. B-C. Ἀνυμνοῦμεν τὸν υἱόν σου, Θεοτόκε, καὶ βοῶμεν, παναχραντε δέσποινα, παντὸς κινδύνου ῥῦσαι τοὺς οἰκέτας σου· βασιλέων, προφητῶν καὶ ἀποστόλων καὶ μαρτύρων ὑπάρχεις τὸ καύχημα, καὶ προστασία τοῦ κόσμου, πανάμωμε.

f) Ibid. in Officio animam agentis, Ode α'. pag. 738 A. Λοιπὸν πρὸς τίνα βοήσω; τίς

haec: « Ceterum ad quem clamabo? Quis doloris mei planctum et suspiria cordis excipiet, nisi tu o penitus intaminata, innocens, Christianorum et peccatorum omnium spes? »

164. Iis concludo quae leguntur in publicis Graecorum Officiis, quaeque in liturgia Chrysostomi nomen praeseferente occurrunt. Graeci itaque suis in Officiis [a]) canunt: « Dolose me serpens decepit captivumque reddidit, quum mihi cupidinem inseruit ut Deus essem. Per te autem revocatus, *o penitus intaminata*, consors verissime factus sum divinae naturae citra omnem mutationem. » Atque iterum [b]) canunt: « Agna quae agnum peperit immaculatum, qui venit ut mundi totius peccatum sanaret, *o penitus intaminata*, in proprio sanguine qui pro nobis occisus est et omnia vivificavit, tu me divina incorruptione nudatum ex lana tui partus veste divinae gratiae induito. » In liturgia vero quae Chrysostomi nomine insignis est, ista totidem verbis [c]) habentur: « Omnia mihi indulge ut bonus et clemens, intercessionibus *intaminatae prorsus* atque semper Virginis matris tuae. »

165. Huc ergo redit explorata christianae antiquitatis sententia, eam credi oportere Deiparae innocentiam propter quam merito *πανάχραντος penitus intaminata* nuncupetur et sit. Sed neque nuncupari merito posset, neque vere ipsa esset *πανάχραντος penitus intaminata*, si a suis primordiis originali contaminationi fuisset obnoxia. Eo igitur pertinet *τῆς παναχράντου penitus intaminatae* appositum toties Deiparae adscriptum, deque ea toties ingeminatum, ut ipsa funditus exsors originalis contaminationis significetur. De qua significatione eo minus dubitabimus, quo producta in medium testimonia accuratius expendentes animadverterimus: I. Deiparam proprio veluti nomine *πανάχραντον penitus intaminatam dici*, eoque ab universa Adae

μου κλαυθμὸν ἐξ ὀδύνης δέξεται καὶ καρδίας στεναγμὸν, εἰ μὴ σὺ πανάχραντε ἁγνὴ, ἡ ἐλπὶς χριστιανῶν, καὶ πάντων ἁμαρτωλῶν;

a) Men. die XXIX. Maii Ode α'. pag. 109. col. 1. A. Δολίως ἐξαπατήσας ὄφις με, εἷλεν αἰχμάλωτον τοῦ θεωθῆναι πόθον μοι ἐνθείς· διὰ σοῦ δὲ, πανάχραντε, ἀνακληθεὶς τεθέωμαι ἀναλλοιώτως ἀληθέστατα.

b) Men. die V. Octobris ad Vesper. pag. 25 col. 2. D. Ἡ ἀμνὰς ἡ κυήσασα τὸ ἀρνίον τὸ ἄμωμον, τὸ τὴν ἁμαρτίαν ἐλθὸν ἰάσασθαι παντὸς τοῦ κόσμου, πανάχραντε, οἰκείῳ ἐν αἵματι, τὸ σφαγὲν ὑπὲρ ἡμῶν, καὶ ζωῶσαν τὰ σύμπαντα, σὺ μὲ ἔνδυσον γυμνωθέντα τῆς θείας ἀφθαρσίας ἐξ ἐρίου τοῦ σοῦ τόκου περιβολὴν θείας χάριτος.

c) Inter opp. Chrysostomi T. XII. pag. 796. C. Πάντα μοι συγχώρησον, ὡς ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος, ταῖς πρεσβείαις τῆς παναχράντου σου καὶ ἀειπαρθένου μητρός.

posteritate secerni: II. ad explicandam vim significationemque appositi, quo Deipara πανάχραντος *penitus intaminata* dicitur, ita iungi cumularique epitheta τῆς ἁγνῆς, πανάγνου, παναμώμου, παναμωμήτου, *purae, purissimae, undequaque immaculatae et inculpatae*, ut illud pro tota sua amplitudine sumendum esse innotescat: III. Deiparam, utpote πανάχραντον *penitus intaminatam*, ab eorum omnium ordine dividi numeroque separari, quos serpens decepit, in perduellionem impulit atque captivitati subiecit: IV. eamdem, utpote *Dominam penitus intaminatam*, opponi hominibus propter originalem culpam κατακρίτοις ἐν καταδίκῃ *condemnationi devotis*, et propter actuales noxas ἐῤῥιμμένοις longius abiectis: hinc V. Deiparae, ut quae sola ex omnibus generationibus fuerit πανάχραντος *omni ex parte intaminata*, perspicue deferri quod sit *salutis conciliatrix*, quodque *captivos in libertatem asserat et ad divinum consortium e quo misere exciderant, pari benignitate ac potentia revocet.*

ARTICULUS IV.

De tribus appositis τῆς πανακηράτου, πανασπίλου καὶ πανα φθόρου *penitus intactae, inviolatae atque incorruptae, quae ad significandam Deiparae innocentiam nullo umquam naevo laesam in christianis monimentis adhibentur.*

166. Si nobis mens sit innocentiam exprimere, quae nullum umquam detrimentum ceperit, nitoremque suum constanter integrum impollutumque servaverit; vix aliud opportunius suppetit vocabulum quam quo illa πανακήρατος *penitus omnique ex parte intacta* nominatur. Hoc autem est illud ipsum vocabulum quo [a]) graeca Ecclesia utitur dum Theophanis verba repetens solemniter canit: « Apparuisti Dei sponsa mater et *penitus intacta* virgo; tu enim, o Domina intaminata, virginitatem partumque in unum copulasti, quum creatorem et Dominum universae creaturae pepereris. » Et multo etiam [b]) alibi praeclarius: « Nunc nobis in spiritale convi-

a) Men. die VI. Octobris Ode θ'. pag. 37. col. 1. A. Ὤφθης θεονύμφευτος μήτηρ καὶ πανακήρατος παρθένος· σὺ γὰρ παρθενίαν καὶ τόκον εἰς ἓν συνῆψας, ἄχραντε δέσποινα, τὸν ποιητὴν καὶ κύριον πάσης τῆς κτίσεως γεννήσασα.

b) Men. die IX. Septembris Ode δ'. pag. 68. col. 2. C-D. Ὁ προπάτωρ τοῦ Χριστοῦ

vium proponitur beatissimus Christi avus Ioachim, qui Dei matrem et intactam penitus puellam [1]) genuit. » Hinc Iosephus hymnographus Deiparam [a]) compellans ait: « Quod pura et penitus intacta apparueris, recepisti, o Virgo, in sinu [2]) tuo Deum Verbum, qui naturam nostram peccatis corruptam [3]) purgavit. »

167. Expositae puritatis notio, quae apposito τῆς πανακηράτου *penitus intactae* effertur, eadem evidentiae perspicuitate apposito τῆς πανασπίλου *penitus illaesae* nullaque ex parte violatae continetur. En vero quae [b]) Georgius nicomediensis de Deipara loquens in Templo praesentata scribit: « Sic in Templo dicata fuit [4]) sacratissima perlitatio: sic agna *penitus illibata* quavis potior victima holocaustum offertur Creatori, non per sanguinis effusionem, sed per excellentem puritatem. » Quare sibi ipsis significatione respondent, atque sese mutuo illustrant formulae, quibus Deipara *penitus illibata*, et quibus *sanctissima perlitatio* ac *quavis victima potior puriorque* nuncupatur.

168. Neque alio ea pertinent, quibus Theodorus studites vulgatusque Athanasius Deiparam appellatione τῆς παναφθόρου *penitus incorruptae* et undequaque intemeratae exornant. Theodorus [c]) namque scribit: « Venit igitur [5]) aliquando chori ductor Gabriel, Deo

Ἰωακεὶμ νῦν πρόκειται ἡμῖν εἰς ἑστίασιν πνευματικὴν ὁ πανόλβιος, ὃς τὴν Θεομήτορα καὶ πανακήρατον κόρην ἀπεγέννησε.

a) Men. die XXII. Novembris Ode γ'. pag. 163. col. 2. C-D. Φανεῖσα καθαρὰ καὶ πανακήρατος ἐδέξω ἐν μήτρᾳ σου τὸν Θεὸν λόγον, τὸν καθάραντα τὴν φύσιν ἡμῶν ῥυπωθεῖσαν, παρθένε, ἀτοπήμασιν.

b) Orat. in s. Mariae praesent. apud Combefis. Auctar. T. I. col. 1090. D. Οὕτως τῷ ναῷ τὸ ἱερώτατον ἀνετέθη καλλιέρημα· οὕτως ἡ πανάσπιλος ἀμνὰς παρεπέκεινα πάσης θυσίας ὁλοκαυτωθῆναι τῷ κτίστῃ προσάγεται, οὐ δι' αἵματος χύσεως, ἀλλὰ δι' ὑπερβάλλουσαν καθαρότητα.

c) Apud Mai in Nova PP. Biblioth. T. V. part. III. pag. 11. Ἧκει μὲν οὖν ποτὲ χοραρχὴς Γαβριὴλ ὁ θεοείκελος λάτρις, φερέχαιρος, χαροποιὸς πρὸς τὴν βροτείαν φύσιν, καὶ πρὸς πανάφθορον κόρην.

1) Quotquot originali culpa obstricti gignuntur, hi non intacti, sed corrupti vitiatique primum exsistunt. De Virgine autem apertissime edicitur, quod illam Ioachimus ἀπεγέννησε πανακήρατον κόρην, *genuit puellam penitus intactam*.

2) Si ergo petas quo tandem gradu censeri Virgo *intacta et penitus intacta* debeat, hoc tibi ex maiorum sententia respondebitur: eo gradu intactam existimari oportere, qui divinam deceat maternitatem, quique ipsam divinam maternitatem certo quodam modo promeruerit.

3) Hoc itaque distat natura Virginis a ceterorum mortalium natura, quod illa fuerit *penitus intacta*, haec sit *peccatis offensa*; ac proinde quod illa non indiguerit purgatione, haec autem ab eo debeat expiari qui in mundum idcirco venit ut *purgationem peccatorum faceret*.

4) Quae Combefisius ita reddit: « Sic Templo sacratissima fuit devota hostia. Sic prorsus illibata offertur agna, ut victima omni acceptior creatori sacrificetur, non sanguinis litatione, sed excellenti puritate. »

5) Quae doctissimus editor his verbis latine

similis famulus, gaudii nuntius laetitiaeque caussa ad mortalem naturam, puellamque *penitus incorruptam.* » De qua multo etiam splendidius auctor, qui [a]) Athanasii nomine laudari consuevit, subdit: « O plane *intemerata* atque labis prorsus expers, quam David [1]) arcam vocat sanctificationis, Salomon [2]) autem lectum aureum ac thronum, convallemque liliorum, virtutum scilicet divinarum et paradisum a Deo plantatum. » Quibus operae pretium arbitror haec [b]) ex Triodio subiungere: » Quum mortem tuam, o Christe, mater tua penitus incorrupta contemplaretur, ad te amare exclamavit: ne tu qui vita es inter vita functos moreris. » Atque haec item [3]) ex Anastasio patriarcha antiocheno, quibus sacramentum divinae oeconomiae paucis complectitur inquiens: « Verbum enim quod in principio erat Deus, quum vellet fieri homo, quia non posset homo aliter salvus fieri, ingressum est in uterum virginalem *et omnis corruptionis expertem*, erat enim virgo casta [4]) spiritu et corpore. Quamobrem necessario, ut decebat, ad tantum mysterii ministerium eam [5]) elegit, unitumque est sine confusione et mixtione totum toti carni, anima rationis participe animatae, et per adventum Spiritus sancti ex carne Virginis matris conflatae et constitutae. »

169. Ceteris igitur laudum titulis, qui praeclaro maiorum consensu Deiparae tribuuntur, hi etiam accenseri debent, quibus ipsa *πανακήρατος, πανάσπιλος, καὶ πανάφθορος*, *undequaque intacta, inviolata atque incorrupta* nuncupatur. Verum quo pertinent eiusmodi tituli, et quousque Deiparam a quavis culpae macula divisam secretamque demonstrant? Scilicet illam demonstrant a quavis culpae labe seiun-

a) Serm. in descriptionem Deiparae n. 2. inter opp. Athanasii T. II. Append. *Ὦ πανάφθορε καὶ πανάμωμε, ἣν Δαυῒδ μὲν κιβωτὸν καλεῖ ἁγιάσματος· Σολομὼν δὲ κλίνην χρυσῆν, καὶ θρόνον, καὶ κοιλάδα κρίνων, ἀρετῶν, οἶμαι, τῶν θείων, καὶ παράδεισον θεοφύτευτον.* Ubi me fugit cur editor in Latina versione verbis, *labis prorsus expers*, adiecerit *Virgo*.

b) Triod. pag. 451. col. 2. B-C. *Νέκρωσιν τὴν σὴν ἡ πανάφθορος, Χριστὲ, σοῦ μήτηρ βλέπουσα, πικρῶς σοι ἐφθέγγετο· μὴ βραδύνῃς ἡ ζωὴ ἐν τοῖς νεκροῖς.*

interpretatur: « Venit igitur aliquando chori ductor Gabriel, Deo similis famulus, gaudii et laetitiae nuntius mortalium naturae ad integerrimam puellam. »

1) Ps. CXXXI. 8.

2) Cant. II. 1. coll. III. 9.

3) Orat. III. de Incarnat. pag. 451. E-F. apud Henricum Canisium Lectt. antiq. T. I. p. I.

4) Sicuti ergo nullus umquam naevus virgineum corpus maculavit, ita nullum quoque vitium, nullumque peccatum Virginis animam corrupit, quae propterea *πανάφθορος* *omnis corruptionis expers* salutatur.

5) Tanta igitur incorruptio Virginis credi debet, quanta illi deferenda est quae cum Christo naturali coniunctione sociatur.

ctam *penitus* et *undequaque:* eoque gradu seiunctam demonstrant, qui illi convenit *quae non animo minus quam corpore incorrupta semper fuerit, quam Ioachimus penitus incorruptam genuerit, quae purgatione a peccatis non indiguerit, quae incorruptionem praesetulerit divina maternitate non indignam, quaeque sit omniumque ore praedicetur sanctissima litatio, potior et purior quavis victima propter eximiam puritatem, paradisus a Deo plantatus, liliorum divinarumque virtutum convallis, et utpote* πανάφθορος *penitus illaesa, supra mortalem corruptamque hominum naturam evecta.* Haec autem, nisi sensu vacua forte existimentur, certissime ostendunt, nullum umquam inter Deiparam penitus incorruptam et peccati corruptelam exstitisse commercium: nullam umquam inter Deiparam penitus illibatam et peccati sordes exstitisse societatem: proindeque non posse Deiparam ambitu originalis praevaricationis comprehendi, quin solemnissimae loquendi formulae maiorum consensione frequentatae manifesti erroris explorataeque falsitatis arguantur.

CAPUT III.

Referuntur atque illustrantur insigniora apposita affirmantia eademque gradu positivo expressa, quibus eximia Deiparae innocentia eiusque singularis puritas nullo umquam infuscata naevo in patrum libris, christianisque monimentis celebrantur.

170. Si qui mente recoluerint eam appositorum *negantium* copiam, quam in medium hucusque protulimus et pro facultate expolivimus; hi facile assequentur quam vere quamque etiam exquisite non solum [1]) Pseudo-Dionysius sed [2]) Maximus quoque, Iohannes damascenus [3]), Theodorus abucara [4]) et Iohannes cyparissiotus [5]) docuerint, plus semel contingere ut *epitheta negantia* tum privationem eius significent quod excludunt, tum abundantiam excessumque oppositae perfectionis *oblique* exprimant, et ut grammaticis loqui mos est, *adsignificando* demonstrent. Profecto neminem puto fore, qui non ultro adquiescat [6]) Mario Victorino scribenti: « Vocari

1) De divinis nominibus cap. IV.
2) In scholiis ad c. IV. de divinis nominibus.
3) Orthod. Fidei lib. I. cap. IV.
4) Opusc. III. pag. 422.
5) Decad. II. cap. IX.
6) Con. Arium lib. IV.

Deum et ἀνύπαρκτον et ἀνούσιον et ἄνουν et ἄζωον, *sine exsistentia, sine substantia, sine intelligentia, sine vita*, non quidem per στέρησιν, idest non *per privationem*, sed *per supralationem*. Omnia enim quae voces nominant, post ipsum sunt. Unde nec ὄν, sed magis προόν. » Etenim, quae est subtilis [1]) Maximi observatio: « Privationes in Deo efficaces sunt positiones affirmantium. Quae etsi eius quod non est, notionem habere videntur, in Deo tamen qui substantiam omnem et essentiam superat, ac nihil est eorum quae sunt, excellentiam significant. »

171. Eadem vel certe simillima prorsus ratione, quum toties in christianis monimentis Deiparam compellatam legimus non modo ἄχραντον *intaminatam*, verum etiam παναχραντον *undequaque intaminatam:* non modo ἄμωμον *maculae expertem*, verum etiam παναμωμον *undequaque insciam maculae:* non modo ἀκήρατον *illaesam*, verum etiam πανακήρατον *omni ex parte illaesam:* et ne singula enumerem, non modo ἄσπιλον *intemeratam*, verum etiam πανάσπιλον *penitus intemeratam;* non possumus quin eiusdem eximiam innocentiam singularemque puritatem *adsignificatam* arbitremur. Idcirco enim repetitis toties negationibus quidquid usquam est sordis, quidquid macularum et inquinamenti a Deipara longissime arcetur, ut eiusdem nitens undique puritas et splendens omni ex parte innocentia patefiat. Opportunissimum tamen erit, si quemadmodum potiora expendimus *negantia* apposita quae maiorum consuetudo de Virgine usurpavit, ita insigniora quoque consideremus apposita *affirmantia* quae maiores nostri eadem solemnitate frequentarunt.

172. Cuius quidem opportunitatis non una sed multiplex ratio sua se sponte manifestat. Atque illa inprimis, quae ex auctoritate ducitur exemploque maiorum, qui ut insitam animo Deiparae imaginem exterius promerent, *affirmantia* apposita cum *negantibus* copulanda esse censuerunt. Illa deinde quae ex ipsis rerum naturis dimanans ostendit, *negantia* et *affirmantia* apposita comparata sic esse, ut se mutuo iuvent, mutuamque sibi lucem affundant. Postquam enim ex negantibus appositis innotuit, nulla ex parte Deiparam fuisse culpa infectam, nullaque ex parte peccati vinculis obstrictam, affirmantia quae sequuntur apposita ex sese eo pertinent, ut non quamvis innocentiam illi vindicent, sed innocentiam

1) Loco cit. Ὅρα πῶς αἱ στερήσεις ἐπὶ Θεοῦ ὑπερβολαί εἰσι θέσεων δραστήριοι, καὶ ὡς ἀνείδεος, ἀνούσιος, ἄζωος, ἄνους· ταῦτα γὰρ ἔννοιαν ἔχοντα τοῦ μὴ ὄντος, ὅμως ἐν τῷ Θεῷ τῷ ὑπερουσίως ὄντι κατὰ τὴν ἀφαίρεσιν ἁπάντων· οὐδὲν γάρ ἐστι τῶν ὄντων· ὑπεροχικῶς νοοῦνται.

asserant prorsus originalem, cum eiusdem primordiis consertam, quaeque fructus exstiterit non misericordiae a casu erigentis neque gratiae a labe mundantis, sed benevolentiae quae lapsum praevenerit et gratiae quae ipsam peccati maculam praepediverit. Illa postremo commemoranda est ratio, quam [1]) Iohannes cyparissiotus innuit, quaeque huc redit: propterea utriusque generis apposita copulari, quod tanta sit rei praestantia, ut ad illam, prouti decet, adumbrandam neque negantia neque affirmantia seorsum ac divisim accepta sufficiant. Nimirum tantopere Mariae puritas atque innocentia a quovis culpae naevo abhorruit, et tantopere virtutum caelestiumque donorum ornamentis resplenduit; ut eiusdem species atque imago neque apte exprimi neque excitari utcumque ad vivum possit, nisi colores ex appositis negantibus iuxta ac affirmantibus sumpti adhibeantur. Quod [a]) Andreas cretensis praeclare significavit Deiparam his verbis compellans: « O sola quae tuarum excessu gratiarum, post sacrum principatum quovis nomine celsiorem, ultra omnem propriam appellationem provecta es, adeo ut sanctitas tua nequeat condigno nomine nuncupari. »

173. Ne vero quod iam aggredimur opus referendi atque expoliendi insigniora affirmantia apposita, eaque positivo gradu expressa, inane sit, suoque fructu destituatur, hanc nobis praefiniemus tractationis legem, ut illa primum recenseamus, tum e vestigio explanemus quaenam sit ratio argumenti, et quodnam ingenium probationis quae ex iisdem efflorescit. Itaque certo definitoque articulorum numero complectemur apposita τῆς ἁγίας *sanctae*, τῆς ἁγνῆς *illibatae*, τῆς καθαρᾶς *purae*, τῆς καλῆς *pulchrae*, τῆς ὡραίας *speciosae*, τῆς εὐλογημένης *benedictae*, τῆς σεμνῆς *venerandae*, τῆς ἱερᾶς *sacrae*, τῆς μακαρίας *beatae*, τῆς κεχαριτωμένης *gratia plenae*, τῆς θεομακαρίστου *divinitus benedictae*, *et* τῆς θεοχαριτώτου *Deo gratissimae*, quibus maiorum consensione honestatam fuisse Deiparam in christianis monimentis ad omnem ferme paginam reperimus.

174. Ad rationem vero quod spectat naturamque argumenti,

a) Encom. in deposit. Zonae s. Deiparae, apud Combefisium Tom. II. pag. 801. C. Ὦ μόνη τῶν σῶν ὑπερβολαῖς χαρίτων μετὰ τὴν ὑπερώνυμον ἁγιαρχίαν ἐπέκεινα πάσης κυρίας προσηγορίας γενομένη· ὥστε μηδενὶ σχ..... τῆς σῆς ἁγιότητος ἔχειν ἀξιωνύμῳ ὀνόματι προσαγορεύεσθαι.

1) Decad. II. cap. IX.

quod ex eiusmodi appositis colligitur, velim ex ordine consideretur: I. vix alia, praeter ea quae innuimus, epitheta suppetere, quibus *affirmando* puritas, inocentia et sanctitas efferri queant: II. si divinas exceperis Trinitatis hypostases, neminem esse beatorum sive angelorum sive hominum, ad cuius puritatem sanctitatemque manifestandam patres scriptoresque ecclesiastici tot numero epitheta tantaque frequentia usurparint: III. haec affirmantia epitheta spectanda esse non ut a negantibus seiuncta, sed potius ut intime cum illis conserta, et ad unam eamdemque Deiparae speciem explendam, formamque repraesentandam directa: propterea IV. appositis affirmantibus designari non posse vel sanctitatem quae culpae successerit, vel puritatem quam corruptela praeverterit, vel pulchritudinem quae sit deformitatem consequnta. Eiusmodi namque significatio cum ea pugnat, quam negantia apposita praeseferunt, quaque postulant ut quodvis Deiparae consortium cum peccati labe funditus denegetur. Reliquum idcirco esse V. ut appositis affirmantibus originalis puritas significetur, eaque exprimatur innocentia quae ab ipsis primordiis Deiparam decorarit. Ceterum VI. hanc ipsam significationem non modo cum ea convenire Deiparae praestantia, quam supremis descriptam lineis initio tractationis exhibuimus; sed iis praeterea testimoniis postulari, quibus receptus apud maiores nostros appositorum affirmantium usus comprobatur.

175. His enim, quemadmodum par est consideratis, eiusmodi argumentum ad tuendam originalem Deiparae innocentiam prodit, in quo neque vim et pondus, neque perspicuitatem et evidentiam iure quispiam desideret. Etenim haud facile reperiri arbitror qui non intelligat, originalem Deiparae sanctimoniam atque innocentiam ea maiorum testificatione graviter luculenterque stabiliri, qua I. illi deferatur puritas secundum divinam praestantissima, et eo quoque nomine II. secundum divinam praestantissima, quod non successerit culpae, neque ullas peccati maculas sua veluti accessione atque praesentia detcrserit. Eiusmodi vero maiorum testificationem de sanctimonia atque innocentia Deiparae usu ipso appositorum affirmantium contineri liquido innotescet, dummodo ea non aliter sumantur ac sumi oportere praemonuimus. Eo igitur pertinent affirmantia apposita de innocentia Deiparae usurpata, ut illi sanctitatem non quamvis sed eximiam prorsus atque originalem tribuendam esse demonstrent.

ARTICULUS I.

De apposito τῆς ἁγίας sanctae, quo originalis Mariae innocentia ostenditur.

176. Praeclara sunt verba [a]) Cyrilli hierosolymitani scribentis: « Vere unus dumtaxat *sanctus*, natura sanctus; nos vero etiam *sancti*, sed non natura, at participatione, exercitatione et voto. » Neque minus praeclara sunt quae [b]) alter Cyrillus idemque alexandrinus tradit: « Deo hoc convenit (nempe quod sit *sanctus*), et quidem soli, proprie atque singulariter. Etsi enim multi sint *sancti*, Virtutes etiam rationales, in ipsa etiam terra homines, verum participatione eius qui natura sanctus est, quique id solus et vere est, *sancti* vocantur. » Ex his enim liquet, τοῦ ἁγίου *sancti* epitheto, pro subiecti ad quod refertur discrimine, non unam semper eamdemque subesse potestatem. Et aliter profecto illud sumitur ubi [c]) de Deo legimus, *configurati secundum eum qui vocavit vos, sanctum: et ipsi in omni conversatione sancti sitis, quoniam scriptum est: sancti eritis quoniam ego sanctus sum.* Aliter ubi [d]) legimus, *sed vos unctionem habetis a sancto, et nostis omnia.* Atque aliter ubi [e]) de Praecursore dicitur: *Herodes enim metuebat Iohannem sciens eum virum iustum et sanctum.*

177. Quemadmodum vero nullum est appositum, quo crebrius Deipara celebretur; ita dum ipsa dicitur ἁγία *sancta*, eiusmodi epitheto non quaevis eiusdem sanctitas, sed sanctitas summa, originalis et cum ipsis copulata primordiis expressa censeri debet. Et de frequentissimo quidem ac solemni huiusce appositi usu testis est

a) Catech. mystag. V. n. 12. pag. 329. Ἀληθῶς εἷς ἅγιος, φύσει ἅγιος· ἡμεῖς δὲ καὶ ἅγιοι, ἀλλ' οὐ φύσει, ἀλλὰ μετοχῇ, καὶ ἀσκήσει, καὶ εὐχῇ.

b) In Is. XLIX. 7. pag. 666. Θεῷ δ' ἂν πρέποι τοῦτο, καὶ μόνῳ κυρίως τε καὶ ἰδικῶς· εἰ γὰρ καὶ εἰσὶν ἅγιοι πολλοὶ, δυνάμεις τε λογικαὶ, καὶ μὴν καὶ ἐπὶ γῆς ἄνθρωποι, ἀλλ' οὖν ἐκ μετοχῆς τοῦ κατὰ φύσιν ἁγίου καὶ μόνου τοῦτο ὑπάρχοντος ἀληθῶς ἅγιοι χρηματίζουσιν.

c) I. Petr. I. 14-17. Σχηματιζόμενοι κατὰ τὸν καλέσαντα ὑμᾶς ἅγιον, καὶ αὐτοὶ ἅγιοι ἐν πάσῃ ἀναστροφῇ γενήθητε· διότι γέγραπται· ἅγιοι γίνεσθε, ὅτι ἐγὼ ἅγιός εἰμί.

d) I. Ioh. II. 20. Καὶ ὑμεῖς χρῖσμα ἔχετε ἀπὸ τοῦ ἁγίου, καὶ οἴδατε πάντα.

e) Marc. VI. 20. Ὁ γὰρ Ἡρώδης ἐφοβεῖτο τὸν Ἰωάννην, εἰδὼς αὐτὸν ἄνδρα δίκαιον καὶ ἅγιον.

locuples [a]) Proclus constantinopolitanus auctor *Encomii in sanctam Virginem et Dei genitricem Mariam*. Testis est [b]) Athanasius inquiens: « Quanti aestimanda est gloria *sanctae* Virginis ac divinae Mariae, quae Verbi mater secundum carnis ortum est et vocatur? » Testes sunt [1]) vulgatus Chrysostomus, antiqnus auctor [2]) homiliarum quae Gregorio neocaesariensi tribui solent, Petrus alexandrinus [3]), Hippolytus portuensis [4]), et [c]) Methodius qui scribit: « Vincit enim ac longe superat omnem sermonem *sanctae* huius Virginis memoria. » Quam his verbis [d]) Tarasius alloquitur: « Ave aura sancta, quae vitiorum ventos e terra dissipasti; ave sanctorum summum ornamentum. »

178. Consonat [5]) auctor epistolarum de virginitate, quae nomine romani Clementis insigniuntur, et in quibus legimus: « Uterus virginitatis sanctae gestavit Dominum nostrum Iesum Christum; et corpus quod gestavit Dominus noster, et in eo agonem in hoc mundo fecit, ex Virgine *sancta* induit, hinc ergo intellige maiestatem et gloriam Virginis. » Consonat [e]) Basilius seleuciensis, quem

a) Orat. V. apud Gallandinm T. IX., cui titulus est: *Ἐγκώμιον εἰς τὴν ἁγίαν παρθένον καὶ Θεοτόκον Μαρίαν.*

b) Comm. in Lucam, apud Gallaudium T. V. pag. 187. D. *Πόσον ἂν τις εἴποι τὸ καύχημα τῆς ἁγίας παρθένου καὶ θεοειδοῦς Μαρίας, ὅτι μήτηρ τοῦ λόγου κατὰ τὴν γένεσιν τῆς σαρκὸς γέγονέ τε καὶ χρηματίζει.*

c) De Symeone et Anua §. I. pag. 805. apud Gallandium T. III. *Φέρει γὰρ ἀεὶ τῆς ἁγίας παρθένου ἡ μνήμη κατὰ παντὸς λόγου τὰ νικτήρια.*

d) Orat. in Deiparae praesent. *Χαῖρε ἔμπνευσις ἁγία, ἡ τὰ πνεύματα τῆς κακίας ἐκ γῆς ἐξαφανίσασα· χαῖρε τῶν ὁσίων ὁ ὑπέρτατος κόσμος.*

e) Orat. in s. Virginem Mariam, apud Combefis. Auctar. T. I. pag. 570. D-E. *Μεγάλας τῶν ἐγκωμίων εὑρήσει τὰς ἀφορμὰς ὁ τὴν ἁγίαν παρθένον καὶ Θεοτόκον ἀνυμνῶν.*

1) Orat. in Annunciat. Deiparae, inter Chrysostomi opp. T. XI. pag. 841. E. Ἡ ἁγία Μαρία, ἡ παρθένος τῷ σώματι καὶ τῇ ψυχῇ, ἡ φιλοτιμία τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, ἡ πύλη τῆς ἡμετέρας ζωῆς. *Sancta Maria, virgo corpore et anima, honor humanae naturae, porta vitae nostrae.*

2) Orat. II. in Annunciat. Mariae pag. 16. A. Porro quartum ex duodecim de fide capitibus quae eidem tribuuntur, sic habet pag. 29. A. apud Henricum Canisium Lectt. Antiq. T. I. P. I. Εἴ τις λέγει, ἐκ σπέρματος ἀνδρός γεγεννῆσθαι τὸν Χριστὸν ἐκ παρθένου, ὡς πάντες οἱ ἄνθρωποι, καὶ μὴ ὁμολογεῖ αὐτὸν ἐκ πνεύματος ἁγίου, καὶ ἐκ Μαρίας τῆς ἁγίας παρθένου σαρκωθέντα, καὶ ἐνανθρωπήσαντα ἐκ σπέρματος Δαβίδ, καθὼς γέγραπται, ἀνάθεμα ἔστω. *Si quis dixerit ex viri semine natum esse Christum de Virgine ad eum modum quo ceteri homines nascuntur, et non confessus fuerit illum ex Spiritu sancto et ex Maria sancta virgine incarnatum, hominemque factum ex semine David, sicut scriptum est, anathema esto.* Ubi illud insigne est, Spiritum et Virginem eadem *sancti* appellatione decorari.

3) De tempore Paschatis celebrandi §. VII. pag. 112. apud Gallandium T. IV. Ὁ κύριος ἡμῶν καὶ θεὸς Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς κατὰ σάρκα τεχθεὶς ἐκ τῆς ἁγίας ἐνδόξου δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου καὶ κατὰ ἀλήθειαν θεοτόκου Μαρίας. *Dominus noster et Deus Iesus Christus secundum carnem natus ex sancta et gloriosa domina nostra Dei genitrice et semper virgine ac revera Dei genitrice Maria.*

4) Demonstrat. de Christo et Antichristo §. IV. pag. 419. apud Gallandium T. II.

5) De virginit. Epist. I. §. VIII. pag. VI. apud Gallandium T. I.

si audimus : « Qui *sanctam* Virginem Deique matrem collaudaverit, plurimam laudum materiem inveniet. » Consonat semel atque iterum Ambrosius, qui tum [1]) alia, tum [2]) ista quoque habet : « Nam si primo ingressu tantus processus exstitit, ut ad salutationem Mariae exsultaret infans in utero, repleretur Spiritu sancto mater infantis; quantum putamus usu tanti temporis *sanctae* Mariae addidisse praesentiam ? »

179. Eodem epitheto de Virgine utuntur [3]) Tarasius et [a]) Christophorus, cuius hanc legimus ad Virginem precem : « *Sancta* domina, quae fidelibus omnibus paradisi portas aperuisti, quas Adam per transgressionem olim clausit, misericordiae portas fac mihi reseres. » Eodem spectant quae habet [b]) Iosephus hymnographus inquiens: « *Sancta* Virgo, Christi mater, gloria martyrum, angelorumque laetitia, cum hisce deprecare Filium tuum, ut servorum tuorum misereatur, illosque servet. » Eodem quae [4]) Ambrosius et [5]) Anselmus in hymnis canunt vel in orationibus frequentant: eodem quae [6]) in sacramentario gallicano recitantur : eodem quae [7]) euchologium complectitur: et eodem quae in Armeniorum monimentis occurrunt, quaeque habentur sive [8]) in officio baptismi, sive [9]) in ordine confirmationis, sive [10]) in confessione fidei, ubi inter cetera [11]) legimus: « Angelicis alis circumtecta es sancta Deipara, virgo et mater, habitaculum divinitatis, benedicta ex omnibus apostolicis

a) Triod. pag. 69. col. 1. C. Ἁγία δέσποινα, ἡ διανοίξασα παραδείσου τὰς πύλας πᾶσι πιστοῖς, ἃς Ἀδὰμ ἀπέκλεισε διὰ παράβασιν ποτὲ, πύλας ἐλέους μοι διάνοιξον.

b) Men. die XXXI. Maii Ode α'. pag. 113. col. 2. C. Ἁγία παρθένε, μήτηρ Χριστοῦ, μαρτύρων ἡ δόξα, καὶ ἀγγέλων ἡ χαρμονὴ, σὺν τούτοις δυσώπει τὸν υἱόν σου, τοῦ οἰκτειρῆσαι καὶ σῶσαι τοὺς δούλους σου.

1) Comm. in Luc. lib. II. n. 1. col. 1281. E.

2) Ibid. n. 29. col. 1291. A.

3) Men. die XXV. Maii Ode η'. pag. 99. col. 2. D. Cui addi potest similis loquendi ratio a Germano adhibita *in narratione ad Anthimum diaconum de sacris synodis*, apud Henricum Canisium pag. 27. Lectt. antiq. T. I. p. 1.

4) Thesaur. hymnolog. pag. 21. T. 1.

5) Orat. LIX. pag. 285. Hymn. ad nocturnum pag. 303. col. 1. et Psalter. P. III. Antiph. pag. 307. col. 2.

» Gaude Dei genitrix Virgo immaculata,
» Gaude quae gaudium ab angelo suscepisti,
» Gaude quae genuisti aeterni luminis claritatem,
» Gaude mater pietatis et misericordiae,
» Gaude sancta Dei genitrix Virgo,
» Tu sola mater innupta,
» Te laudat omnis factura
» Genitricem lucis;
» Sis pro nobis, quaesumus, pia interventrix.

6) Sacrament. gallic. pag. 810. apud Muratorium in Liturg. rom. T. II. et ibid. pag. 847.

7) Euchołog. Orat. εἰς τεκνοποίησιν *ad adoptionem ineundam*, pag. 708. E.

8) Cod. liturg. Eccles. univ. apud Asemanum T. II. pag. 206.

9) Ibid. T. III. pag. 130.

10) Confess. eccles. arm. pagg. 19-23-37-47.

11) Ibid. pag. 45.

praedictionibus. Quae ab omnibus nationibus beata dicta es, sancta et virgo Maria, ora ex te incarnatum Deum ut ex gehennae minis nos salvet. Sancta et incomparabilis in mulieribus intercede pro nobis. » Sive demum [1]) in breviario, in quo ex hymno Iacobi elaiensis de Virginis nativitate haec etiam referuntur: « Hodie expleta est facta patriarchis promissio, fore ut in ipsorum semine gentes omnes benedicerentur. Ex illorum namque radice sancta germinavit virgo quae Verbum peperit tollens protoparentis peccata. Eum ergo glorificemus, qui nobis benedictam in mulieribus impertiit. » Et ne nimius sim in re minime necessaria, iis dumtaxat indicatis quae continetur [2]) ordine baptismi ecclesiae alexandrinae coptitarum et aethiopum, nec non anaphoris tum [3]) sancti Gregori theologi, tum [4]) Basilii magni, eodem spectant quae his concepta verbis unanimi Graecorum consensu [a]) frequentantur: « *Sancta* Dei genitrix sanctifica nostras cogitationes, et mentem confirma, et a telis maligni illaesos nos serva, qui tuam misericordiam, o innocens, glorificamus. »

180. Nihil ergo evidentius quam inter Deiparae titulos illum eminere, usuque frequentissimo excellere, quo ipsa *ἁγία sancta* nuncupatur. Verum cuiusmodi videri sanctitas debet, quae tam constanti tamque universali huiusce tituli usu Deiparae asseritur? Accurate inspectis quae adduximus testimoniis respondendum est, eiusmodi esse sanctitatem quae I. appositis *gloriosae incomparabilis* atque *divinae* declaratur: quae II. ita *plurimam praebet laudum materiem*, ut *sermonem omnem vincat, omnemque facundiam excedat:* quae III. illi convenit cuius proprium est, ut gloria *martyrum, angelorum laetitia, summum sanctorum decus, omnium domina* et *verissima Dei genitrix* appelletur et sit: quae IV. quum ex omnibus hisce ornamentis aestimanda sit, *ex illo tamen aestimari in primis debeat, quo Verbi parens secundum carnem depraedicatur:* quae V. illi tribuenda est *quae sancta ex patriarcharum radice germinavit*, et cui in acceptis

a) Paraclit. pag. 105. col. 1. A. et pag. 107. col. 2. B. Ἁγία Θεοτόκε, ἁγίασον ἡμῶν τοὺς λογισμούς, καὶ τὸ φρόνημα στήριξον, καὶ σῶσον ἐκ τῶν βελῶν τοῦ πονηροῦ ἀτρώτους ἡμᾶς δοξάζοντάς σου τὸ ἔλεος, ἁγνή.

1) Breviar. arm. pag. 761. T. III.
2) Cod. liturg. Eccles. univ. T. II. p. 168.
3) Ibid. T. IV. P. IV. pag. 188.
4) Ibid. in altera parte Missalis ecclesiae alex. pag. 82. Conferri quoque potest anaphora Marci praedicatoris et evangelistae pag. 100.

referimus, quod *obstructas Adami transgressione vitae portas reseravit et peccata disiecerit*, quamque propterea colimus et veremur tamquam *decus humanae naturae, vitae portam* et *caussam refusae in omnes benedictionis ac sanctitatis:* et quae tandem VI. denegari illi non potest quae *sancta* dicitur sicuti *sanctus* dicitur Spiritus, et *sanctum* audit Christi corpus ex ea sumptum; neque aliter ἁγία *sancta* vocatur ac absolute et proprio veluti nomine ἁγνὴ *innocens* compelletur.

181. Atqui distincta hisce characteribus sanctitas neque est, neque intelligi alia potest quam summa, quam proxime ad divinam accedens, quam nullius umquam consors labis, quam uno verbo originalis, et iugiter ad extremum usque vitae novis iisque maximis incrementis ditescens. Talis igitur est sanctitas, quam Deiparae christianum nomen adscripsit: et talis est sanctitas quam expressam significatamque voluit, quum illam uno ore τὴν ἁγίαν *sanctam* celebravit. De qua christiani nominis mente rataque sententia iudicium neque obscurum neque leve hisce etiam continetur, quae in publicis [a]) graecae ecclesiae monimentis occurrunt: « O *sancta* Dei sponsa, o innocens, sancte genuisti quiescentem in sanctis Filium et Verbum Patri coaeternum, qui in sancto Spiritu eos sanctificat qui ipsum pie [1]) celebrant et venerantur.

ARTICULUS II.

De appositis τῆς ἱερᾶς καὶ σεμνῆς sacrae et venerandae, quibus Deipara maiorum consensione ita decoratur, ut cuiusvis inscia labis non obscure significetur.

182. Quod [b]) Suidas notat, ἱερὸν *sacrum* id esse dicique quod consecratum est, a profanis omnibus divisum et Numini devotum, cum recepto loquendi usu praeclarissime consentit. Graecis enim

a) Paraclit. pag. 18. col. 1. D. Ἁγία θεόνυμφε, ἁγνὴ, ἁγίως ἀπεκύησας τὸν ἐν ἁγίοις ἀναπαυόμενον υἱὸν καὶ λόγον πατρὶ συνάναρχον, τὸν καθαγιάζοντα ἐν ἁγίῳ πνεύματι τοὺς αὐτὸν εὐσεβῶς ἁγιάζοντας.

b) Ἱερόν· ἅγιον, τῷ θεῷ ἀνατιθέμενον· ἱερὸν γὰρ λέγουσι πᾶν τὸ ἀνατιθέμενον τοῖς θεοῖς.

1) Ubi in postremo inciso ἁγιάζειν eodem sensu accipitur quo Matth. VI. 9. ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου, idest Chrysostomo interprete, δοξασθήτω τὸ ὄνομά σου, *glorificetur nomen tuum;* et quo קָדֵשׁ Is. V. 16. VIII. 13.

Latinisque solemne fuit, ut si quando de rebus consecratis, religiosis et ad Deum eiusque cultum pertinentibus sermonem haberent, illas *sacras* nuncuparent. Hinc vulgatissimae phrases ἱερὴ δόσις *sacrum donum*, ἱερὰ δώματα *sacrae aedes*, *signa sacra et religiosa*, *sacrum silentium* et *sacra profanaque omnia polluere*. Atque hinc adhibitae [1]) in Scripturis loquutiones, τὰ ἱερά *victimae*, τὰ ἱερὰ σκεύη *vasa consecrata*, ἡ ἱερὰ βίβλος *liber sacer*, et τὰ ἱερὰ γράμματα *litterae sacrae* ac divinitus inspiratae.

183. Quod si eiusmodi appositum ad homines referatur, non alios designat quam augustos, eximios, sublimes et supra reliquorum turbam evectos. Quo sensu celebrantur ἱερὴ ἲς Τηλεμάχοιο *sacra vis Telemachi*, ἱερὸν μένος Ἀλκινόοιο *sacrum Alcinoi robur*, et apud Pindarum ἱεροὶ βασιλεῖς *reges sacri*, utpote a Numine electi, eidem propinquiores et a promiscuo vulgo secreti. Iamvero neque testimonia desunt quibus Maria eiusmodi epitheto ornetur, neque dubium esse potest eiusmodi epithetum Mariae propterea deferri, ut sublimis, augusta, Deo penitissime addicta et ab universali hominum contaminatione alienissima demonstretur.

184. Sane [a]) Iohannes monachus de Maria loquens infantem Iesum offerente scribit: « Sacrum *sacra* Virgo sacerdoti in Templo obtulit; protensis autem ulnis eum Simeon exsultans recepit atque [2]) exclamavit: *nunc dimittis*.... » Ubi Maria dicitur ἱερά *sacra*, neque aliter *sacra* audit ac oblatus ab ipsa divinus infans ἱερός *sacer* nuncupetur. Nihil autem potest hac comparatione excogitari sublimius, nihilque ea accommodatius quo Maria plenissimo quodam perfectissimoque sensu ἱερά *sacra* comprobetur. Quem sensum non obscure confirmant quae [b]) in Graecorum Menaeis his concepta verbis repetuntur: « Quum tu, o Dei genitrix, templum *sacrumque* Verbi habitaculum exstiteris, delictorum esto mihi piaculum, o sanctissima Dei sponsa. » Fuit igitur *sacra* Maria, eoque gradu fuit sacra qui

a) Men. die II. Februarii ad Vesp. pag. 14. col. 1. C. Τὸν ἱερὸν ἡ ἱερὰ παρθένος προσεκόμισεν ἐν ἱερῷ τῷ ἱερεῖ· ἁπλώσας δὲ ἀγκάλας ὁ Συμεὼν ἐδέξατο τοῦτον ἀγαλλόμενος, καὶ ἐβόησε· νῦν ἀπολύεις κ. λ.

b) Men. die XIII. Martii Ode γ'. pag. 59. col. 1. B. Ναὸς καὶ ἱερὸν κατοικητήριον τοῦ λόγου ὑπάρχουσα, Θεοτόκε, τῶν πταισμάτων ἱλαστήριον, παναγία γενοῦ μοι θεονύμφευτε.

1) II. Mach. VIII. 23, IX. 16, I. Cor. IX. 13, et II. Tim. III. 15.

2) Luc. II. 29. seqq.

templum deceret, qui deceret *Verbi habitaculum*, quique illi tribuendus est quae παναγία *sanctissima* et θεονύμφη *Dei sponsa* suo merito praedicatur. Mirum vero si quid subire mentem possit excelsius, divinius et a quavis corruptelae umbra longius seiunctum.

185. Quo ista similiter pertinent quae canit [a]) Iosephus: « Te, o puella Virgo mater, oracula praenunciarunt fore sacram tui factoris supra naturam alumnam, et partum iuxta habituram ineffabilem ac miram conceptionem. Te idcirco in omne aevum laudamus. » Tum haec quae in Heortodromio ex Theophane Kerameo [b]) referuntur: « Sapiens vero Theophanes Kerameus sermone in Annunciationem scribit, Virginem [1]) dixisse, *quia virum non cognosco,* non modo quod virum antea non noverit, sed etiam quod virum deinde numquam esset cognitura, ut quae consecrata Deo foret, suamque virginitatem Domino devovisset. Sic enim loquitur: quum Virgo credidisset quoniam Deo sacra erat et virginitatis florem numquam amissura, convenienter de modo partus exquirit, et quomodo, ait, hoc mihi erit, quum virum experiri, ad me quod attinet, iis accenseri debeat quae fieri non possunt? » Spectari igitur Deipara debet veluti ἀνάθημα, sacrumque donarium ita Deo dicatum, ut nihil in ea fuerit quod Dei non esset, quodque ad Deum non plenissime pertineret.

186. Cui quidem veritati ea sententiarum perspicuitate suffragatur Ambrosius, ut quaecumque praemisimus omnia uberrimo quodam novae lucis splendore perfundantur. Sic enim [2]) ait: « Si typum [3]) Christi illa pariendo a viro meretur audiri, quantum proficit sexus qui Christum, salva tamen virginitate, generavit? Veni ergo Eva iam Maria, quae nobis non solum virginitatis incentivum

a) Men. die XI. Februarii Ode η'. pag. 75. col. 1. A-B. Ἱεράν σε προήγγειλαν, παρθενομῆτορ, φωναὶ ἐσομένην, κόρη, τοῦ ποιητοῦ σου ὑπὲρ φύσιν τροφὸν, γέννησιν ἄῤῥητον ὡς καὶ σύλληψιν ξένην κεκτημένην· ὅθεν σε ὑμνοῦμεν εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας.

b) Ἑορτοδρόμ. pag. 214. Ὁ δὲ σοφὸς Θεοφάνης ὁ Κεραμεὺς λόγῳ εἰς τὸν εὐαγγελισμὸν λέγει, ὅτι ἡ παρθένος εἶπε τὸ ἐπεὶ ἄνδρα οὐ γινώσκω, ὄχι μόνον διότι προτοῦ ἄνδρα δὲν ἐγνώρισεν, ἀλλὰ διότι καὶ μετὰ ταῦτα ἄνδρα οὐ γνωρίσει πώποτε, ὡς ἀφιερωμένη οὖσα Θεῷ καὶ τὴν παρθενίαν αὐτῆς ἀναθήσασα τῷ κυρίῳ· οὕτω γάρ φησιν· „ ἐπειδὴ ἐπίπειστο ἡ παρθένος, ὡς τῷ Θεῷ ἦν ἀφιερωθεῖσα καὶ οὐδέ ποτε τὸ τῆς παρθενίας ἄνθος ἀφαιρεθήσεται, εἰκότως τοῦ τόκου τὸν τρόπον διαπορεῖ, καὶ πῶς, φησὶν, ἔσται μοι τοῦτο; ἐπεὶ τῶν ἀμηχάνων ἐστὶν ἀνδρὸς πειραθῆναί με;

1) Luc. I. 34.

2) De institut. Virginis cap. V. n. 33. col. 257. A-B. opp. T. II.

3) Etenim in Isaac ad sacrificium paterna voluntate destinato figuram Christi praecessisse, notius est quam ut probatione indigeat.

attulit, sed etiam Deum intulit. Unde laetus et exsultans tanto munere dicit [1]) Esaias: *ecce Virgo in utero accipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel*, quod est interpretatum [2]), *nobiscum Deus*. Unde hoc munus? Non de terra utique, sed de caelo vas sibi hoc, per quod descenderet, Christus elegit, et *sacravit* templum pudoris. Per unam descendit, sed multas vocavit. Unde et speciale Maria Domini hoc nomen invenit, quod significat [3]), Deus ex genere meo. » Si quam igitur Ambrosio fidem adiungimus, censeri Maria debet *altera Eva* eademque felicior, *sacratum Deo templum et in vas electum per quod Unigenitus descenderet;* in eiusmodi autem vas electum quod non esset *de terra sed de caelo*, quodque *indito* sibi *nomine* suam prae universis hominibus excellentiam, specialemque cum Deo cognationem demonstraret. Sed quid ista probant, quidve ostendunt, nisi Mariam fuisse omni ex parte *ἱερὰν sacram* et eo usque Deo addictam ac devotam, ut nihil ipsa terrestris coeni contraxerit, nihil originalis depravationis subierit, et nihil quod sacrum Emmanuelis templum dedecuerit?

187. Quod insigniter confirmat incisum, *per unam descendit, sed multas vocavit*. Hoc enim incisum ad illius amussim exactum prorsus est quo Paulus [a]) scribit: *per unius obeditionem iusti constituentur multi*. Atqui eiusmodi similitudine non inepte, si quid video, efficitur, Mariam utpote novam Evam omnique ex parte *sacram* uno eodemque ordine cum Christo novo Adamo et verissimo Emmanuele comprehendi, neque aliter illam dici ab universali contaminatione alienam, ac Christus fuerit a peccatoribus segregatus. Ceterum eodem in libro [4]) subdit Ambrosius: « Amplius nobis [5]) pro-

a) Rom. V. 19. *Διὰ τῆς ὑπακοῆς τοῦ ἑνὸς δίκαιοι κατασταθήσονται οἱ πολλοί.*

1) Is. VII. 14.

2) Matth. I. 23.

3) His verbis hanc adnotationem Maurini subiiciunt: « Non admodum felix vocabuli *Maria* interpretatio; sed cum moris esset, ut saepe vidimus, Ambrosio nostro sermonis hebraici peritos in re simili consulere, illi a sciolo aliquo quem falso doctum existimarat, impositum esse credendum est. Quae vero eiusdem dictionis etymologia proxime sequitur, potior est. » Haec autem n. 34. sic habet: « Dictae sunt et ante Mariae multae; nam et Maria soror Aaron dicta fuit; sed illa Maria *amaritudo maris* vocabatur. » Videlicet מִרְיָם, Μαρίαμ, Μαρία, idem ac מְרִי, addita syllaba formativa ם ָ, a radice מָרָה, מָרָא, proprie est *contumacia*. Neque tamen eos velim omnino praetermissos, qui *Mariae* nomen aut ducunt a מָרַר et reddunt *amaram*, aut ducunt a רוּם, littera ו in י mobile transeunte, praemissoque מ heemantico, et interpretantur *excelsam*, *sublimem*.

4) De institut. Virginis cap. XVII. nn. 104-105. col. 272. E-F. opp. T. II.

5) Eadem mente in libro de Iacob et vita beata cap. VI. n. 21. scribit Ambrosius: *Facta est mihi culpa mea merces redemptionis, per quam mihi Christus advenit*. Et in Ps. XXXIX. n. 20. *Felix ruina*, inquit, *quae reparatur in melius*.

fuit culpa, quam nocuit: in quo redemptio quidem nostra divinum munus invenit. Sed ipse quoque unigenitus Filius tuus venturus in terras suscipere quod amissum est, puriorem carnis suae generationem reperire non potuit, quam ut habitationi propriae caelestis aulam Virginis dedicaret, in qua esset et immaculatae castitatis *sacrarium* et Dei templum. » Ubi et Virgo [1]) dicitur *sacra*, et huius denominationis potestas explanatur. Dicitur *sacra*, quoniam *sacrarium* appellatur; huius autem denominationis explanatur potestas, quoniam Virgo dicitur *caelestis*, et eo usque pura ut puram carnem praebere Unigenito posset, tum *aula* quae splendore *a propria Verbi habitatione* non dissideret, ac tum demum simpliciter *templum Dei*. At vero cum hac explanatione aptum nexumque est, Deiparam fuisse *omnino sacram*, et Deo tam intime devotam, ut ipsa nec *profani* quidquam admiserit, nec divina societate divinoque commercio umquam caruerit.

188. Atque hanc Deiparae eximiam singularemque praestantiam aliud pariter ostendit appositum in ecclesiasticis monimentis frequentatum, et qua ipsa σεμνή *venerabilis* salutatur. Quum enim σεμνόν sit a σέβομαι *veneror*, penes graecos scriptores nonnisi de diis proprie adhibetur, idemque notat ac *veneratione cultuque dignum*, atque idcirco *supra communem sortem conditionemque provectum*. Hinc illud Hesychii, σεμνά· τίμια *honore prosequenda*. Hinc illud Suidae, σεμνά· τὰ τίμια καὶ σεβάσμια *reverentia atque honore digna*. Hinc illud Etymologici magni, σεμνός· παρὰ τοῦ σέβω, ὁ σεβασμοῦ ἄξιος, ὁ θαυμαστὸς, καὶ ἄξιος ἐντροπῆς, *dignus obsequio et reverentia, admirabilis*. Atque hinc illud [2]) Euripidis, σεμνὸν πῦρ *colendus ignis*, tum [3]) alterum, πῶς οὖν σὺ σεμνὴν δαίμον' οὐ προσεννέπεις; *quo igitur pacto venerandam Deam non salutas?* Itaque quando inter ecclesiasticos Deiparae titulos celeber ille est, quo σεμνή *venerabilis* dicitur; pronum est animadvertere, hoc ipso titulo ab ea arceri et repelli quidquid venerationi refraga-

1) Quo pariter titulo insignitur in Sacramentario gallicano apud Muratorium *Liturg. rom.* T. II. pag. 793, in veteri Missali romano apud Assemanum *Cod. Liturg. Eccl. Univ.* T. 1. pag. 192., atque in ecclesiasticis hymnis frequentissime. Exempla prostant in Thesaur. hymnolog. T. 1. pagg. 18-142-299, ubi et haec leguntur.

» Sacrae parentes Virginis
» Steriles naturaliter
» Hanc dono summi Numinis
» Susceperunt feliciter.

Accedunt Venantius Fortunatus opp. P. 1. lib. VIII. cap. VI. pag. 280. et Anselmus, qui in hymno ad laudes scribit pag. 303. col. 1.

» Praefulgens sol Iustitiae
» Ortus de sacra Virgine,
» Splendore tuo noxias
» Nostras illustra tenebras.

2) Phoen. v. 1192.

3) Hippolyt. v. 99.

tur, talemque ipsius praestantiam sanctitatemque ostendi, quae ad Deum divinosque honores proxime accesserit.

189. Et in promptu sane auctores habeo numero plures, eosdemque nominis spectatissimi, a quibus et Deiparae hunc titulum factum, et non alia ipsi significatione tributum confirmem. In promptu habeo Iohannem damascenum qui [a]) Deiparae parentes his verbis exsultans alloquitur: « O par beatum Ioachim et Anna, vobis omnis creatura obstricta est. Per vos enim donum omnium donorum pretiosissimum creatori obtulit, nempe *venerandam* matrem eamque solam creatore dignam. » In promptu habeo [b]) Georgium qui in Deiparae laudes effusus scribit: « Te, *o veneranda,* novimus Iacobi pulchritudinem divinamque scalam, quam olim ab imo ad caelum usque protensam ipse vidit, quae e supernis sedibus Deum incarnatum deducis, et mortales vicissim in altum evehis. » Et in promptu habeo [c]) Sophronium qui Deiparam compellans ait: « Quum sis lucis porta datorem lucis genuisti, quem e sepulchro coruscantem videns gaudio replebaris. Sed iam ab ipso, *veneranda* puella, impetra ut mihi dolorem largiatur gratum superni auxilii conciliatorem. » Quibus Deipara dicitur [1]) nunc quidem *venerabilis mater* et *puella veneranda,* nunc autem absolute simpliciterque *venerabi-*

a) Orat. in diem natal. Dei genitricis Mariae, pag. 844. C. opp. T. II. *Ὦ μακαρία συνωρὶς Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννα· ὑποχρέως ἡμῖν* (lege *ὑμῖν*) *ἐστι πᾶσα ἡ κτίσις· δι' ὑμῶν γὰρ προσήγαγε δῶρον τῷ κτίστῃ δώρων πάντων ὑπερφερέστερον, μητέρα σεμνὴν, μόνην ἀξίαν τοῦ κτίσαντος.* De hac ratione in adiecta nota scribit Lequienius: « Habent illam plerique ecclesiastici codices ceu monumentum in Mariam luculentissimum, ac usu frequenti in ecclesiis Orientis lectitari solitum. »

b) Triod. pag. 8. col. 1. D. *Ἰακὼβ σὲ καλλονὴν καὶ θείαν κλίμακα, κάτωθεν ἣν ἑώρακε πρὶν ἐκτεταμένην πρὸς ὕψος γινώσκομεν, σεμνὴ, κατάγουσαν ἄνωθεν θεὸν σεσαρκωμένον, καὶ βροτοὺς αὖθις ἀνάγουσαν.*

c) Triod. apud Mai, Spicileg. rom. T. IV. pag. 204. *Φωτοδότην ἐκύησας κύριον πύλη οὖσα τοῦ φωτὸς, ἐκ τάφου ἀστράψαντα βλέψασα ἐκπληρώθης χαρμονῆς· ἀλλ' αὐτὸν ἐκδυσώπει πένθος μοι δωρήσασθαι, κόρη, χαρμόσυνον πρόξενον, σεμνὴ, τῆς ἐκεῖ παρακλήσεως.*

1) Alia quae huc faciunt, non infrequenter occurrunt in Sacramentario gallicano apud Muratorium Liturg. rom. T. II. pagg. 809-810. « Omnipotens sempiterne Deus, qui terrenis corporibus Verbi tui veritatem per venerabilem Mariam coniungi voluisti; petimus immensam clementiam tuam, ut quod in eius veneratione deposcimus, te propitiante mereamur consequi. » In veteri Missali romano apud Assemanum, Cod. Liturg. Eccl. Univ. T. IV: P. 1. pagg. 125-128. In orationibus atque hymnis Anselmi, in quibus nunc Orat. LI. pag. 281. 1. col. A-C. legimus: « Tu aula universalis propitiationis, caussa generalis reconciliationis, vas et templum vitae et salutis universorum, nimium contraho merita tua, quum in me homunculo vili singulariter recenseo beneficia tua, quae mundus amans gaudet, gaudens clamat esse sua. Tu namque Domina admirabilis singulari virginitate, amabilis salutari fecunditate, ve-

lis. Sed quae potestas eiusmodi appellationi subiicitur? Illa dubio procul, quam ipsum ex sese nomen postulat, quamque praeconia exigunt, quibus Deipara idcirco *σεμνὴ venerabilis* nuncupata perhibetur, quod fuerit *donum donorum omnium pretiosissimum, sola creatore digna, porta lucis, Iacobi pulchritudo atque scala divina non minus supra terram evecta quam cum caelo penitissime iuncta et mortales ad caelum adducens*. Horum autem nihil est quod non perspicue ostendat, Deiparam illustri plenissimoque sensu *venerabilem* appellari.

190. Eadem evidentia idipsum ostendunt insignissima Theodori studitae et Anatolii testimonia. Theodorus enim Deiparam celebrans [a]) ait: « Qui ex te natus est, temet angelis sublimiorem effecit, *o veneranda;* quem enim illi ut Deum verentur contueri, tu, o innocens, ulnis complecteris ut tuum filium. » Anatolius [b]) vero sic illi gratulatur: « Ave *veneranda*, Adami revocatio et Evae redemptio et mundi gaudium, generisque nostri exaltatio. » Accedunt quae in Ecclesiae graecae [f]) monimentis obvia sunt, et saepissime repetuntur. Ad quorum censum ista [c]) pertinent: « Ave damnationis redemptio et Adami revocatio: ave innocens Deipara, mundi spes atque praesidium: ave *veneranda* Dei mater: ave divinus currus: ave scala et porta: ave nubes levis: ave solutio Evae. » Tum [d]) ista: « Ad assumendam carnem praeordinatus Angelus magni consilii

a) Triod. pag. 218. col. 1. D. Τῶν ἀγγέλων ἀνωτέραν ὁ ἐκ σοῦ τεχθεὶς σὲ ἔδειξε, σεμνή· ὃν γὰρ ἐκεῖνοι τρέμουσιν ὡς Θεῷ ἀτενίσαι, σὺ ἀγκαλίζῃ ὡς υἱόν σου, ἁγνή.

b) Men. die XXV. Martii ad Vesper. pag. 112. col. 2. C. Χαῖρε σεμνὴ, τοῦ Ἀδὰμ ἡ ἀνάκλησις, καὶ τῆς Εὔας ἡ λύτρωσις, καὶ χαρὰ τοῦ κόσμου, καὶ ἀγαλλίασις τοῦ γένους ἡμῶν.

c) Men. die IX. Martii Ode θ'. pag. 42. col. 1. D. Χαῖρε κατάρας λύτρωσις, καὶ τοῦ Ἀδὰμ ἀνάκλησις· χαῖρε ἁγνὴ θεοτόκε, ἐλπὶς καὶ σκέπη τοῦ κόσμου· χαῖρε σεμνὴ μητρόθεε· χαῖρε τὸ θεῖον ὄχημα· χαῖρε ἡ κλίμαξ καὶ πύλη· χαῖρε κούφη νεφέλη· χαῖρε τῆς Εὔας ἡ λύσις.

d) Men. die XVI. Augusti Ode η'. pag. 96. col. 1. D. Σάρκα φορέσαι προελόμενος τῆς τοῦ πατρὸς μεγάλης βουλῆς ὁ ἄγγελος, ἐν νηδύϊ σου, πανάχραντε, ἐτελεσιουργήθη· καὶ σὲ

nerabilis inaestimabili sanctitate. » Et nunc in hymno ad primam pag. 303. col. 1. D. legimus.

» O mundo venerabilis,
» Virgo mater mirabilis,
» Maria plena gratia,
» Ora pro nobis Domina.

Denique in ecclesiasticis sequentiis, in quibus insignis est ista Notkeri, Thesaur. hymnolog. T. III. p. 10.

» Concentu parili hic te, Maria, veneratur populus teque piis colit cordibus.
» Generosi Abrahae tu filia veneranda, regia de Davidis stirpe genita.
» Sanctissima corpore, castissima moribus, omnium pulcherrima, Virgo virginum.

f) Paraclit. pag. 75. col. 2. D., et Offic. Quadragesim. in Dominica carnis privii Ode δ'. pag. 27.

Patris in utero tuo, o undequaque intaminata, perficiebatur, et te, *o veneranda,* heic matrem selegit, corruptamque mortalem substantiam renovavit: illum omnes ut creatorem benedicimus, et in aevum omne superexaltamus. »

191. Quo pariter referuntur tum [a]) haec: « Me pridem inveteratum et callidi serpentis suasione perditum adspicere non ferens Deus, me in te *veneranda* habitans refinxit. » Tum haec [b]) quae subdimus: « Quo pacto tuam efferam bonitatem, vereque multiplicem gubernationem? Tu igitur et nunc et semper mihi adesto, meque viventem morientemque ab omni malo, *o veneranda,* redime. » Atque [c]) haec demum copticae Ecclesiae usu frequentata: « Ave Maria gaudium Abel iusti, ave Maria Virgo vera. Ave Maria salus Noe, ave Maria immaculata veneranda. Ave Maria gratia Abrahae, ave Maria corona immarcescibilis. Ave Maria salus Isaac sancti, ave Maria mater *sancti.* Ave Maria gaudium Iacob, ave mille millies

μητέρα κάτω ἀπεγράψατο σεμνή· καὶ φθαρεῖσαν ἐκαίνισε τὴν βροτείαν οὐσίαν· ὃν πάντες εὐλογοῦμεν, ὡς κτίστην, καὶ ὑπερυψοῦμεν εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας.

a) Men. die XIII. Octobris Ode α'. pag. 79. col. 1. D. *Παλαιωθέντα τὸ πρὶν με τῇ συμβουλῇ τοῦ δολίου ὄφεως ὀλωλότα ὁ Θεὸς καθορᾷν μὴ φέρων μὲ ἐν σοὶ κατοικήσας τῇ σεμνῇ ἐκαινοποίησεν.*

b) Men. die XXIX. Octobris ad Vesper. pag. 175. col. 1. C. *Πῶς δέ σου φράσω τὴν ἀγαθότητα καὶ τὴν ποικίλην ὄντως κυβέρνησιν; σὺ οὖν καὶ ἔτι νῦν εἰς ἀεί μου πρόστηθι, παντὸς κακοῦ ζῶντα καὶ θανόντα με ἐκλυτρουμένη σεμνή.*

c) Theotoch. pag. 65. A-B.

Ⲭⲉⲣⲉ ⲛⲉ Ⲙⲁⲣⲓⲁ ⲫⲣⲁϣⲓ ⲛ̀ Ⲁⲃⲉⲗ ⲡⲓⲑⲙⲏⲓ :
Ⲭⲉⲣⲉ ⲛⲉ Ⲙⲁⲣⲓⲁ : ϯⲡⲁⲣⲑⲉⲛⲟⲥ ⲛ̀ⲧⲁⲫⲙⲏⲓ ⳾
Ⲭⲉⲣⲉ ⲛⲉ Ⲙⲁⲣⲓⲁ ⲫⲛⲟϩⲉⲙ ⲛ̀ Ⲛⲱⲉ :
Ⲭⲉⲣⲉ ⲛⲉ Ⲙⲁⲣⲓⲁ ϯⲁⲧⲑⲱⲗⲉ̀ⲃ ⲛ̀ⲥⲉⲙⲛⲉ ⳾
Ⲭⲉⲣⲉ ⲛⲉ Ⲙⲁⲣⲓⲁ : ⲡⲓϩⲙⲟⲧ ⲛ̀ Ⲁⲃⲣⲁⲁⲙ :
Ⲭⲉⲣⲉ ⲛⲉ Ⲙⲁⲣⲓⲁ : ⲡⲓⲭⲗⲟⲙ ⲛ̀ⲁⲧⲗⲱⲙ ⳾
Ⲭⲉⲣⲉ ⲛⲉ Ⲙⲁⲣⲓⲁ ⲡⲥⲱϯ ⲛ̀ Ⲓⲥⲁⲁⲕ ⲡⲉⲑⲟⲩⲁⲃ :
Ⲭⲉⲣⲉ ⲑⲙⲁⲩ ⲙ̀ⲡⲓⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ⳾
Ⲭⲉⲣⲉ ⲛⲉ Ⲙⲁⲣⲓⲁ ⲡⲑⲉⲗⲏⲗ ⲛ̀ⲓⲁⲕⲱⲃ :
Ⲭⲉⲣⲉ ⲛⲉ Ⲙⲁⲣⲓⲁ ϩⲁⲛ ⲑⲃⲁ ⲛ̀ⲕⲱⲃ ⳾
Ⲭⲉⲣⲉ ⲛⲉ Ⲙⲁⲣⲓⲁ : ⲡϣⲟⲩϣⲟⲩ ⲛ̀ Ⲓⲟⲩⲇⲁ :
Ⲭⲉⲣⲉ ⲛⲉ Ⲙⲁⲣⲓⲁ ⲑⲙⲁⲩ ⲙ̀ ⲡⲓ ⲇⲉⲥⲡⲟⲧⲧⲁ ⳾

et Ode ϛ'. pag. 29., in Fer. IV. Heb. II. Ieiun. p. 181, in Fer. V. eiusdem Heb. Ode δ'. pag. 189, et in Fer. IV. Heb. III. Ode γ'. pag. 244. Hinc Gregorius nazianzenus in Carminibus, sect. II. Carm. I. de virginitate v. 147. pag. 307. de Unigenito scribit:

Σεμνοῖς ἐν σπλάγχνοισιν ἀπειρογάμοιο γυναικὸς
Σαρκωθείς

Venerandis in visceribus virginis mulieris incarnatus.

Maria. Ave Maria gloria Iudae, ave Maria mater Domini. » Honestatur igitur Virgo appellatione τῆς σεμνῆς *venerabilis*, eoque sensu honestatur qui eius praerogativis respondeat quae augustior est angelis, quae est Adami revocatio, Evae redemptio, mundi gaudium, damnationis solutio, a suasione serpentis libera, innocens atque prorsus intaminata. Nulla autem significatio his praerogativis respondet, nisi qua Virgo propterea σεμνὴ *veneranda* dicatur, quod humanae corruptionis exsors fuerit et omnibus virtutum donorumque ornamentis emicarit.

ARTICULUS III.

De apposito τῆς ἁγνῆς integrae atque innocentis, quo Deipara cuiusvis culpae expers ostenditur.

192. Quamquam τὸ ἁγνὸν *innocens* de eo plus semel adhibitum reperiatur, quod est ab omni impudicitiae specie alienum, quod est castum, purum et corpore impollutum; multo tamen ex sese usuque loquendi patet amplius, latiusque porrigitur. De iis namque omnibus usurpatur, quae quum *integra* sint, *pura, a scelere libera, nullaque labe infecta, vitioque taminata*, idcirco ἁγνὰ *innocentia* [1]) nominantur. Quare ἁγνὰ *innocentia* nominantur sacrificia diis litata, ἁγνὰ *innocentia* dona quae iisdem offeruntur, et ἁγνὸς *innocens* nominatur tum Deus [a]) his verbis, *et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus* (ἁγνὸς *innocens*) *est*; tum penes Iacobum [b]) caelestis sapientia, de qua dicitur: *quae autem desursum est sapientia, primum quidem pudica* (ἁγνὴ *innocens*) *est*. Hinc Suidas, ἁγνεία· καθαρότης· ἐπίτασις σωφροσύνης, *puritas, apex honestatis*. Hinc alexandrinus [2]) Clemens: *revera non alia est innocentia* ἁγνεία, *quam abstinere a peccato*. Atque hinc in [c]) Graecorum hymnis: « Quando virgo et *innocens* et mater tua te ab iniustis-

a) I. Ioh. III. 3. Καὶ πᾶς ὁ ἔχων τὴν ἐλπίδα ταύτην ἐπ' αὐτῷ, ἁγνίζει ἑαυτὸν, καθὼς ἐκεῖνος ἁγνός ἐστι.

b) Iacob. III. 17. Ἡ δὲ ἄνωθεν σοφία πρῶτον μὲν ἁγνή ἐστιν.

c) Men. die X. Decembris ad Vesper. pag. 80. col. 1. C. Λαὸν τὸν ἀνομώτατον ἀδι-

1) Quo pertinet illud Euripidis in Orest. v. 1642. ἁγνὸς γάρ εἰμι χεῖρας, ἀλλ' οὐ τὰς φρένας.

2) Stromat. lib. VII.

simo populo vidit ligno inique affixum, tum eius viscera, quemadmodum [1]) Simeon praedixerat, transfixa sunt. » Ubi ἀγνία *innocentia* perspicue *a virginitate* secernitur. Eademque perspicuitate secernitur apud Gregorium nazianzenum qui de Christo [a]) scribit: « Sin autem quia et mihi Deus prodiit ex *innocenti* matre, virgine, innupta, nova et inaudita lege generationis. »

193. Haec porro significatio plenissimae integritatis, quae naevum omnem excludit, nullamque patitur flagitii maculam, ea ipsa est, qua Deipara in christianis monimentis titulo atque appellatione τῆς ἀγνῆς *innocentis* decoratur. Hanc profecto significationem referunt quae [b]) Theodorus raithuensis de Nestorio loquens ait: « Idcirco bellum implacabile suscepit cum Virgine venerabili, nullam reverentiam adhibens matri Dei et *innocenti* Mariae utpote matri Domini. » Huic significationi patrocinatur [c]) Georgius nicomediensis inquiens: « Contritam mortalium naturam propter antiquam praevaricationem, tu, *o innocens,* supra naturam renovasti et Deo per tuum partum coniunxisti. » Eidemque [d]) patrocinatur subdens: « Misericordia sibi propria et ineffabili adversus homines caritate inflexus omnium creator ex te, *o innocens,* genitus est, hominesque corruptos refinxit atque innovavit. » Est igitur Deipara ἀγνὴ *innocens,* sed ideo innocens, quod universali praevaricatione non corrupta, quod renovatione non indiga, quodque suam integritatem supernis ditatam muneribus conservarit.

194. Missa facio quae eadem mente [2]) scribit Germanus con-

κως κατηλοῦντα σε ἐπὶ ξύλου ἡ παρθένος, καὶ ἀγνὴ, καὶ μήτηρ σου ὁρῶσα, ὡς Συμεὼν προέφησε, τὰ σπλάγχνια διετέτρωτο.

a) Carm. VII. ad Nemesium vv. 173-174. pag. 1078.

Εἰ δ' ὅτι καὶ διὰ μητρὸς ἐμοὶ Θεὸς ἤλυθεν ἀγνῆς,
Παρθενικῆς, ἀδίτοιο, νόμοις καινοῖσι γενέθλης.

b) Praeparat. et Exercit. de modo divinae Incarnationis apud Gallandium, T. XIII. pag. 23. D. Διὰ τοῦτο πρὸς τὴν σεμνὴν παρθένον ἄσπονδον ἤρατο πόλεμον, μὴ δυσωπηθεὶς τὴν Θεομήτερα καὶ ἀγνὴν Μαρίαν, ὡς δεσπότου μητέρα.

c) Men. die XXIX. Martii Ode η'. pag. 135. col. 1. A. Συντριβεῖσαν φύσιν τῶν βροτῶν τῇ πάλαι παραβάσει ἀνέπλασας ὑπὲρ φύσιν, καὶ ἐθέωσας, ἀγνὴ, τῷ τόκῳ σου.

d) Men. die XXIX. Ode θ'. pag. 135. col. 1. B. Ὑπὸ οἰκτιρμῶν οἰκείων καὶ φιλανθρωπίας ἀῤῥήτου καμφθεὶς ὁ πάντων κτίστης, ἐκ σοῦ, ἀγνὴ, ἐτέχθη· καὶ φθαρέντας ἀνθρώπους ἀνέπλασε καὶ ἐκαινούργησε.

1) Luc. II. 35.

2) Men. die VII. Septembris Ode δ'. pag. 16. col. 2. D. Cum quibus conferri utiliter possunt quae leguntur penes vulgatum neocaesariensem Gregorium

stantinopolitanus, illaque addo quae Clemens, quaeque Sophronius et Gorgias litteris consignarunt. Sic itaque [a]) Clemens habet: « Cecinit olim Propheta te, incolumi virginitate, parituram in tempore aeternum ac supra mentem et sermonem unum de Trinitate Christum Deum nostrum: quem, *o innocens*, nobis te celebrantibus redde placabilem. » Neque aliter [b]) Sophronius, cuius istae sunt ad Virginem preces: « Illuminatio obcaecatae animae meae, salus meae infirmitatis, me, *o innocens*, salva, salva perditum, o puella, horrendisque peccatis corruptum tunica incorruptionis induito. » Cum utroque autem Gorgias [c]) consentiens exclamat: « In partu tuo, *o innocens*, natura hominum primum debilitata induit fortitudinem, et tyrannica inimici vis ad extremum infirmata est. » Consentiunt et alii, quos inter [1]) Cosmas hierosolymitanus et Euthymius monachus, e quo pauca quaedam depromo. Sic igitur [d]) ille: « Superbo animi sensu hei mihi, o innocens, Dei imaginem in me miser inquinavi; et quo in posterum proficiscar? Sed festina, o Virgo, et mihi succurrito. » Et [e]) paullo inferius: « Instat vitae terminus, o bona, nec ferre va-

a) Men. die XXX. Martii Ode γ'. pag. 136. col. 2. B. Ἦισε παρθενίᾳ τίκτειν σε ὁ προφήτης πάλαι ἄχρονον ἐν χρόνῳ, καὶ ὑπὲρ νοῦν καὶ λόγον τὸν ἕνα τῆς τριάδος, Χριστὸν τὸν Θεὸν ἡμῶν· ὃν ἐξιλέωσαι, ἁγνὴ, ὑπὲρ ἡμῶν τῶν εὐφημούντων σε.

b) Triod. apud Mai, Spicileg. rom. T. IV. pag. 130. Ὁ φωτισμὸς τῆς ἐμῆς ἀσθενείας, ἡ σωτηρία τῆς ἀμαυρωθείσης, ἁγνὴ, ψυχῆς μου, σῶσον με, σῶσον ἀπολλύμενον, κόρη, καὶ χιτῶνα τῆς ἀφθαρσίας με ἔνδυσον φθαρέντα δεινοῖς παραπτώμασι.

c) Men. die XXV. Februarii Ode δ'. pag. 139. col. 1. B. Ῥώμην περιβέβληται ἡ τῶν βροτῶν φύσις ἀσθενήσασα πρότερον τῇ παραβάσει, ἐν τῷ τόκῳ σου, ἁγνὴ, καὶ τοῦ ἐχθροῦ ἡ τύραννος δύναμις εἰς τέλος ἠσθένησεν.

d) Can. suppl. ad Deiparam Ode γ'. in Euchologi. pag. 872. et in Thesaur. hymnolog. III. pag. 17. Τὸ κατ' εἰκόνα σου, ἁγνὴ, κατεσπίλωσα, οἴ μοι, ὑψηλόφρονι γνώμῃ ὁ ταλαίπωρος ἐγὼ, καὶ ποῦ λοιπὸν πορευθῶ; ἀλλὰ σπεῦσον, παρθένε, βοήθει μοι.

e) Ibid. Ode ς'. pag. 873. vel 18. Τὸ τέλος ἐφέστηκε καὶ οὐ φέρω, ἀγαθὴ, τὸ συ-

Orat. 1. de Annuntiat. Mariae pag. 10. A., itemque in Officio quadragesimali ubi in sabbato carnis privii Ode ς'. pag. 11, et Fer. IV. Tyroph. Ode θ'. pag. 48. haec habentur: Ἐκ τῆς ῥίζης ἀνέτειλέ σου ἄνθος ζωῆς, Ἰεσσαὶ προπάτορ, ἀνασκίρτησον ὁ σώζων κόσμον, ἐκ τῆς ἁγνῆς νεανίδος, κύριε ὁ θεός. Τῇ ὀξυτάτῃ πρεσβείᾳ, τῇ ἀγρύπνῳ σου σκέπῃ, τῇ κραταιᾷ σου, δέσποινα ἁγνὴ, νῦν βοηθείᾳ συντήρησον τοὺς πιστούς σου οἰκέτας ἐκ πάσης ἐναντίας προσβολῆς, καὶ παθῶν, καὶ πταισμάτων, καὶ πειρασμῶν διάσωσον. *Exortus est e radice tua flos vitae, Iesse progenitor, exulta salvaturus mundum ex innocenti puella, Domine Deus. Celerrima deprecatione, impigra defensione tua, valido auxilio tuo, o innocens Domina, serva nunc fideles famulos tuos ex omni adversa offensione, et a pravis affectibus, a delictis ac tentationibus incolumes praesta.* Est itaque Virgo ac dicitur ἁγνὴ *innocens* et *pura*, quod neque ad mundum universali praevaricatione laesum et a ruina liberandum umquam spectarit, neque cum peccatis et tentationibus commune quidquam habuerit.

1) Thesaur. hymnolog. T. III. pag. 78. et apud Gallandium T. XIII. pag. 259. Ode η'.

leo: arguit me conscientia, et nefandos actus meos vitaeque intemperantiam mihi obiicit: et tribunal Filii tui, o pura, expavesco. » Ac [a]) rursum: « Assumptis tecum archangelorum choris, supernarum etiam acierum turbis, praecursore et apostolorum coetu, prophetis, martyribus, monachis sanctis, pontificibusque martyribus simul adductis, legatione, o innocens, pro me apud Deum fungere. » Quod ergo Deipara neque obcaecata fuerit tenebris, neque corrupta peccatis, neque perditioni subiecta, neque in universalem omnium ruinam offenderit, neque nitorem divinae imaginis umquam amiserit, propterea *ἁγνὴ innocens* salutatur.

195. Eademque de caussa *innocens* [b]) ab Andrea cretensi salutatur, ubi ipse Deiparam exorans ait: « Deipara spes et praesidium te collaudantium, aufer a me grave peccati vinculum, et ut Domina *innocens* me poenitentem suscipe. » Salutatur [c]) ab Iohanne Euchaitarum metropolita qui fusas ad Deiparam preces his verbis complectitur: « O puella divinitus beata, spem meam omnem in te libens colloco. Salva me, o mater verae vitae, et mihi impetra, *o innocens,* ut qui fide et affectu te hymnis efferunt, indeficientibus deliciis cumulate perfruantur. » Itemque salutatur [d]) a Theodoro studita, cui ista debemus: « Ex lucido tuo sinu progrediens veluti sponsus e thalamo, refulsit Christus, lux magna iis qui in tenebris versabantur. Enimvero resplendens sol iustitiae, *o innocens,* mundum illuminavit. » Quo igitur pertinet appellatio *τῆς ἁγνῆς innocentis,* quae Deiparae tribuitur? Eo liquido pertinet, ut ipsa a reliquis secreta posteris Adae nonnisi integra, nulloque tenebrarum infuscata commercio significetur.

νειδὸς ἐλέγχει με, παριστᾷ γάρ μοι πράξεις τὰς πονηρὰς καὶ βίου τὸ ἄστατον· καὶ τὸ βῆμα πτοοῦμαι τοῦ υἱοῦ σου, ἁγνή.

a) Ibid. Ode θ'. pag. 874. vel 19. Χοροὺς παράλαβε ἀρχαγγέλων τε καὶ τὴν πληθὺν τῶν ἄνω στρατευμάτων καὶ πρόδρομον, ἀποστόλων δήμους καὶ προφήτας τε μάρτυρας καὶ ὁσίους, ἱερομάρτυρας, καὶ πρεσβείαν ποίησον, ἁγνή, ὑπὲρ ἐμοῦ πρὸς Θεόν.

b) Triod. pag. 290. col. 1. B. Θεοτόκε ἡ ἐλπὶς καὶ προστασία τῶν σὲ ὑμνούντων, ἆρον τὸν κλοιὸν ἀπ' ἐμοῦ τὸν βαρὸν τὸν τῆς ἁμαρτίας, καὶ ὡς δέσποινα ἁγνὴ μετανοοῦντα δέξαι με.

c) Men. die XXX. Ianuarii Ode θ'. pag. 254. col. 2. C. Θεομακάριστε κόρη, τὴν ἐλπίδα μου πᾶσαν προθύμως ἀνατίθημι ἐν σοί· σῶσόν με, μήτηρ τῆς ὄντως ζωῆς· καὶ τρυφῆς ἀενάου πλησθῆναι καθικέτευε, ἁγνή, τοὺς ἐν πίστει καὶ πόθῳ σε ὕμνοις μεγαλύνοντας.

d) Triod. pag. 165. col. 2. D. Ἐκ φωτεινῆς προελθὼν νηδύος σου, ὡς νυμφίος ἐκ παστοῦ, ἔλαμψε Χριστὸς φῶς τοῖς ἐν σκότει μέγα· καὶ γὰρ δικαιοσύνης ἥλιος ἀστράψας, ἐφώτισεν, ἁγνή, τὸν κόσμον.

196. Cui significationi confirmandae non minimum conferunt quae [a]) apud Cosmam his concepta verbis leguntur: « Tu, o nuptiarum expers, gloriatio es fidelium, tu et perfugium et murus et portus christianorum. Defers enim, o immunis ab omni labe, preces ad Filium tuum, eosque a periculis servas qui fide et affectu te Deiparam *innocentem* cognoscunt. » Cum his consentiunt quae [b]) Metrophanes smyrnensis habet: « Qui secundum naturam es invisibile Verbum, omniumque conditor, visibilis homo apparuisti hominibus ex *innocente* Dei genitrice, ut hominem ad divinitatis consortium revocares. » Consentiunt quae [c]) Ignatius scribit: « Te nacti, *o innocens,* uti validum tutamen, uti spem et murum et anchoram, securumque praesidium et inexpugnabile firmamentum, et tranquillissimum unicumque perfugium, omnes salvi evadimus, o laude omni dignissima. » Atque ista tandem consentiunt, quibus suam promens fidem [d]) Iohannes damascenus ait: « Olim quidem me serpens decepit, perque primam mei parentem Evam occidit; nunc autem, *o innocens*, per te creator me ex corruptione revocavit. » Mira igitur consensione titulus *τῆς ἁγνῆς innocentis* [1]) asseritur Deiparae, eademque consensione eiusmodi titulus ita explicatur, ut Deiparam ostendat integram, primaevae deceptionis nesciam, a divino consortio numquam divisam et caelitus selectam, ut per eam hominum genus ex morte ad vitam, ex culpa ad gratiam, atque ex conditione filiorum irae ad conditionem filiorum Dei adduceretur.

a) Triod. pag. 366. col. 2. B. Σὺ τῶν πιστῶν καύχημα πέλεις, ἀνύμφευτε, σὺ προστάτις, σὺ καὶ καταφύγιον Χριστιανῶν, τεῖχος καὶ λιμήν· πρὸς γὰρ τὸν υἱόν σου ἐντεύξεις φέρεις, πανάμωμε, καὶ σώζεις ἐκ κινδύνων τοὺς ἐν πίστει καὶ πόθῳ Θεοτόκον ἁγνήν σε γινώσκοντας.

b) Paraclit. pag. 166. col. 1. C. Ὁ κατ' οὐσίαν ἀθεώρητος λόγος καὶ παντουργὸς ὤφθης τοῖς ἀνθρώποις ἄνθρωπος ἐξ ἁγνῆς θεομήτορος, τὸν ἄνθρωπον ἀνακαλούμενος πρὸς μετουσίαν τῆς θεότητος.

c) Men. die XIV. Martii Ode θ'. pag. 61. col. 2. B. Ὡς κραταιὰν προστασίαν, ὡς ἐλπίδα καὶ τεῖχος, καὶ ἄγκυραν καὶ σκέπην ἀσφαλῆ, καὶ ἀπροσμάχητον ἔρεισμα, καὶ ἀχείμαστον καὶ μόνον καταφύγιον, ἁγνή, κεκτημένοι σε σωζόμεθα, πανύμνητε.

d) Paraclit. pag. 170. col. 1. D. Πάλαι μὲν ἠπάτησεν ὁ ὄφις καὶ ἐθανάτωσέ με διὰ τῆς προμήτορός μου Εὔας· νῦν δέ, ἁγνή, διὰ σοῦ ὁ πλάσας με, ἐκ φθορᾶς ἀνεκαλέσατο.

1) De quo titulo Deiparae asserto praeclara quoque habentur testimonia in Men. die X. Februarii Ode ς'. pag. 59. col. 2. A., et die 1. Octobris Ode ς'. pag. 6. col. 1. A. et apud Iohannem euchaitam in canone Deiparae T. III. Thesaur. hymnolog. pagg. 218-219.

ARTICULUS IV.

De apposito τῆς καθαρᾶς *mundae et ab omni culpae naevo immunis, quod Deiparae tribuitur.*

197. Obvius aeque ac perspicuus est habitus, quo physica significatio τοῦ καθαροῦ *puri* et *mundi* ad eiusdem ethicam moralemque significationem refertur. Sicut enim significatione physica idem est τὸ καθαρόν ac *purum*, *mundum* et *inquinamentis sordibusque carens:* unde notissimae [1]) loquutiones, λινὸν καὶ καθαρόν καὶ λαμπρόν *linum et mundum et candidum*, χρυσίον καθαρόν *aurum mundum*, et θυσία καθαρά *hostia pura;* ita significatione morali prorsus idem valet ac *nullo culpae naevo infectum*, *a vitio quovis solutum*, *integrum vitae scelerisque purum* et *ad honesti legisque normam perfecte exactum.* Quo sensu adhibentur [2]) formulae, ἀθῷος χερσὶ, καὶ καθαρὸς τῇ καρδίᾳ *innocens manibus et corde mundus;* καθαρός εἰμι, οὐχ ἁμαρτῶν *purus sum, non peccans*, καθαρὸς τοῖς ἔργοις *operibus mundus;* καθαρὸς ὀφθαλμὸς τοῦ μὴ ὁρᾷν πονηρά, *purus oculus ne iniqua videat;* καθαρά καρδιά cor mundum; et [3]) ἔργα καθαρά *opera pura*, recte facta et in quibus nihil vitii aut reprehensionis invenitur. Hinc Phavorini descriptio, καθαρὸς τῇ καρδίᾳ ἐστὶν ὁ μὴ λαμβανόμενος ἑαυτοῦ ἐπὶ ἐντολῆς θεοῦ ἀθετήσει ἢ ἐλλείψει: atque hinc verba non minus perspicua [4]) Chrysostomi, qui Christi [5]) effatum, *beati mundi corde*, de iis interpretatur qui καθολικὴν ἀρετὴν *omnem virtutem* possident, καὶ μηδὲν ἑαυτοῖς συνειδότες πονηρόν, *quique nullius mali sibi conscii sunt.*

198. Atque haec est nobilissima acceptio, qua patres scriptoresque ecclesiastici appellatione τῆς καθαρᾶς *mundae* Deiparam insigniunt. Hac Deiparam insignit [a]) Proclus constantinopolitanus inquiens: « Ecquaenam est [6]) Evilat et terra et aurum? Nonne sancta virgo, et

a) Orat. VI. quae est Encom. in Deiparam Mariam, §. I. pag. 632. B. apud Gallandium T. IX. Καὶ τίς ἐστιν Εὐίλατ, καὶ ἡ γῆ, καὶ τὸ χρυσίον; οὐχὶ ἡ ἁγία παρθένος, καὶ ἡ ταύτης καθαρὰ καὶ ἄσπιλος ψυχή.

1) Apoc. XV. 6, XIX. 8-14, XXI. 18, Malach. I. 11.
2) Ps. XXIII. 4, Iob. XI. 4, XXXIII. 9, Habac. I. 13, Prov. XXII. 11.
3) Apud Xenoph. Cyrop. lib. VIII. c. VII. n. 8.
4) In Matth. Hom. XV.
5) Matth. V. 8. Μακάριοι οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ
6) Gen. II. 11.

pura [1]) et naevo carens ipsius anima ? » Hac [a]) Ioseph hymnographus scribit : « O receptaculum lucis ut Deum decet [2]) effulgentis ex te quae *munda* es, o labis omnis inscia, illumina oculos animae meae, tenebris ignorantiae depulsis et peccati caligine dissipata. » Eadem usus qui nominari vulgo solet neocaesariensis Gregorius [b]) haec Deo Gabrielem alloquenti verba commodat : « Vade ad *purum* meae secundum carnem nativitatis thalamum. » Quae non minimum hisce illustrantur quae [c]) Metrophanes smyrnensis habet : « Te, o Virgo, effectam thalamum Dei luciferum et *mundum* cupide laudamus et beatam efferimus : ex te enim ortus est Christus in duabus naturis et voluntatibus, unus ex Trinitate quique est Dominus gloriae. » Neque alio sensu accipi possunt quae tradit [d]) Origenes, ubi Isaiae [3]) vaticinium explanans, illosque refutans qui ore impuro ex muliere nasciturum Emmanuelem blasphemabant, inquit : « Ecquod autem signum est parere puellam non virginem ? et cui magis convenit genuisse Emmanuelem, idest, nobiscum Deum, num mulieri quae virum experta solito feminarum more conceperit, an *mundae* adhuc et intactae virgini ? » Eodem vero pertinent quae [4]) in ecclesiasticis Latinorum hymnis habentur : eodem quae [5]) scribit Anselmus : eodem quae [6]) in Ordine confirmationis penes Aethiopes his verbis continentur : « Custodi eos in fide tua absque macula precibus Dominae om-

a) Men. die X. Octobris Ode θ'. pag. 61. col. 1. D. Φωτὸς δοχεῖον τοῦ ἀναλάμψαντος θεοπρεπῶς ἐκ σοῦ τῆς καθαρᾶς, παναμώμητε, τῆς ψυχῆς μου τὰ ὄμματα φώτισον, σκότος τῆς ἀγνωσίας ἀποδιώκουσα, καὶ τῆς ἁμαρτίας τὴν ἀχλὺν ἐξαφανίζουσα.

b) Orat. III. in annuntiat. Deiparae pag. 27. Ἄπελθε πρὸς τὸν καθαρὸν νυμφῶνα τῆς κατὰ σάρκα μου γεννήσεως.

c) Paraclit. pag. 113. col. 2. B. Νυμφῶνα φωτοφόρον καὶ καθαρὸν, παρθένε, γεγονυῖαν θεοῦ σὲ ὑμνοῦμεν πόθῳ καὶ μακαρίζομεν· ἐκ σοῦ γὰρ ἐτέχθη Χριστὸς ἐν οὐσίαις καὶ θελήσεσι διτταῖς, ὁ εἷς τῆς τριάδος καὶ τῆς δόξης ὢν κύριος.

d) Cont. Celsum lib. I. n. 3. pag. 353. C. opp. T. I. Ποῖον οὖν σημεῖον, τὸ, νεάνιδα μὴ παρθένον τεκεῖν ; καὶ τίνι μᾶλλον ἁρμόζει γεννῆσαι Ἐμμανουὴλ, τουτέστι, μεθ' ἡμῶν ὁ θεὸς, ἆρα γυναικὶ συνουσιασθείσῃ καὶ διὰ πάθους γυναικεῖα συλλαβούσῃ, ἢ ἔτι καθαρᾷ καὶ ἁγνῇ παρθένῳ ; Ubi ne duo apposita καθαρά καὶ ἁγνή ad subiectum παρθένον relata vacare sensu existimentur, necesse prorsus est ut de omnimoda Deiparae munditie, expletoque undequaque nitore intelligantur.

1) Ubi καθαρὰ καὶ ἄσπιλος tam aperte ad animae nitorem integritatemque referuntur, ut ad virginalem corporis puritatem detorqueri nequeant.

2) Quibus Deiparae ea defertur munditics quae nitori solis divini respondeat, quaeque neque ignorantiae tenebris neque peccati caligini fuerit obnoxia.

3) Is. IX.

4) Thesaur. hymnolog. T. I. pagg. 303-347.

5) Par. III. Psalterii b.Virginis pag. 806. col. 3

6) Apud Assemanum in Cod. Liturg. Eccles. Univers. T. III. pag. 115.

nium nostrum genitricis Dei sanctae et *purae* Mariae, et sancti Iohannis praecursoris, et beati sancti et [1]) *puri* Michaelis archangeli, et omnium ordinum caelestium. » Eodem quae [a]) in canticis infra canonem apud syros: « Virginis purae Mariae memoriam agamus apud nos in oblatione nostra, prophetarum, apostolorum, martyrum, piorum et iustorum. » Eodem quae [2]) in usitato apud armenios precum libro, auctore Gregorio narecensi: « Obsecro te, sancta Dei genitrix, angelus inter homines, cherubus in specie carnis, caelestis regina, immixta veluti ether, pura tamquam lux, et intemerata instar luciferi. » Et eodem quae [3]) inter alia Gregorius nazianzenus tum docet, quum hoc veluti principio [b]) constituto, *si ex impura alvo in lucem prodiisti, purus utique non es. Purum enim capi non potest ab impuro;* mox [c]) pergit: « Sic Deus per puram matrem prodiens neque ipse visceribus eius foedatus est, sed etiam ipsa [4]) expurgavit. »

199. Commemoratis testibus de apposito τῆς καθαρᾶς *mundae*, quod tribui Deiparae consuevit, suffragatur nicomediensis Georgius, qui de cibo agens quo Deipara caelitus [5]) in Templo nutrita ferebatur, illumque cum Eucharistia [d]) comparans, inquit: « Et quidem intemerata Virgo escam illam tenens, divinorum munerum cumulo

a) Thesaur. Hymnolog. T. III. pag. 177.
ܠܥܘܗܕܢܐ ܕܒܬܘܠܬܐ ܕܟܝܬܐ ܡܪܝܡ : ܢܥܒܕ ܥܡܢ ܒܩܘܪܒܢܢ : ܘܕܢܒܝܐ ܫܠܝܚܐ ܘܣܗܕܐ : ܘܕܟܐܢܐ
ܘܙܕܝܩܐ :

b) Carm. VII. ad Nemesium vv. 220-221. pag. 1082.

Εἴ τοι μὴ καθαρῆς διὰ νηδύος ἐς φάος ἦλθες,
Οὐ καθαρός· καθαρὸν γὰρ ἀλώσιμον οὔποτ᾽ ἀνάγνῳ.

c) Ibid. vv. 227-228. pag. 1682.

.... Ὥς ῥα θεὸς καθαρῆς διὰ μητρὸς ὁδεύσας,
Οὔτ᾽ αὐτὸς σπλάγχνοισι φορύξατο, καὶ τὰ κάθηρεν.

d) Orat. VI. de Deiparae ingressu in Templum, apud Combefis. Auctar. T. I. col. 1123. C. Κἀκείνην μὲν ἡ ἀμίαντος κατέχουσα παρθένος, τῶν θείων χαρίτων κατεπλουτίζετο· καὶ ταύτης δὲ οἱ μετέξει γενόμενοι, τῶν δωρεῶν κατεμφοροῦνται τοῦ πνεύματος· ἀλλ᾽ ἐκείνη μὲν ἁμαρτημάτων κάθαρσιν οὐκ ἐνήργησεν ἡ τροφή· οὐδὲ γὰρ τούτοις ἡ μεταλαμβάνουσα ὑπέκειτο,

1) Est sane animadversione dignissimum, eodem *puri* apposito Mariam et archangelum Michaelem decorari. Inde enim efficitur puritatem spectari *moralem* et *cum ipsis consertam originibus.*

2) Lib. prec. pag. 80.

3) Carmin. sect. II. Carm. I. in laudem virginitatis, ubi pag. 316. vv. 334-335. legimus.
Καὶ Χριστὸς καθαρεὶς μὲν, ἀτὰρ σπλάγχνοισιν ἐμίχθη
Ἀνδρομέοις, μνήστης δὲ διωλίσθησε γυναικός.
Christus ipse puris quidem, sed tamen visceribus mixtus est humanis, atque ex desponsata prodiit muliere. Matthaeus quoque cantacuzenus in Cantic. cant. pag. 26. *puros Virginis sanguines* commemorat.

4) Sed quomodo purgavit viscera iam pura? Non detersis sordibus sed cumulato nitore.

5) De hac traditione Hippolytus Maraccius in

augebatur; sed et qui huius (Eucharistiae) efficiuntur participes, sancti Spiritus donis replentur. Ceterum esca illa a peccatorum labe minime emundavit: neque enim eam percipiens subiecta illis erat, quum *munda* esset nullaque purgatione egeret: heic autem gratiae impertitione peccatorum quoque abstersio accedit. » Ab his autem seiungi non debent quae alibi [a]) idem Georgius scribit: « Quum te, innocens, creator Dominus noster veluti *mundam* convallium rosam et veluti lilium suaveolens cognoverit, tuae pulchritudinis amore captus est, et modo ex sanguine tuo carnem induere cupit, ut erroris foeditatem benevolentia expellat. » Neque ista seiungi debent quae in Triodio [b]) ex Iohanne Euchaitarum metropolita referuntur: « Patris beneplacito et sancti Spiritus obumbratione habitaculum lucis et *mundum* Verbi receptaculum effecta es; propterea me illumina. » Hinc [c]) Andreas cretensis, descripta primum hominis creatione, tum eiusdem ruina, divinoque illius reparandae consilio obiter perstrictis, continuo subdit: « Quo igitur modo par erat, ut

καθαρά τε οὖσα, καὶ ῥύψεως ἁπάσης ἀνενδεής· ἐνταῦθα δὲ τῇ τῶν χαρίτων ἐπιδόσει καὶ ἀφαίρεσις τούτων προσγίνεται.

a) Men. die XXIV. Martii Ode η'. pag. 104. col. 1. B. Ὡς ῥόδον κοιλάδων καθαρὸν, ὡς κρίνον εὔοσμον κατανοήσας σὲ ὁ πλαστουργὸς ἡμῶν κύριος, νῦν ἠράσθη σου τὸ κάλλος, ἁγνὴ, καὶ σαρκωθῆναι ἐκ τῶν σῶν αἱμάτων βούλεται, τὸ δυσῶδες ὅπως διώξῃ τῆς πλάνης χρηστότητι.

b) Triod. pag. 135. col. 1. B. Φωτὸς οἰκητήριον καὶ δοχεῖον καθαρὸν τοῦ λόγου ἐχρημάτισας, πατρὸς τῇ εὐδοκίᾳ, καὶ τῇ ἐν σοὶ ἐπισκήψει πνεύματος τοῦ ἁγίου· διὸ μὲ φωταγώγησον.

c) Orat. in nativit. Deiparae pagg. 95-96. A. apud Gallandium T. XIII. Πῶς οὖν ἔδει ταύτην εἰς ἡμᾶς προελθεῖν τὴν εὐεργεσίαν μεγάλην τε οὖσαν καὶ παραδοξοτάτην, καὶ νόμοις θείοις ἐμπρέπουσαν; ἢ οὐχὶ θεοῦ διὰ σάρκα ἡμῖν ἐπιφανέντος; τίνα δὲ τρόπον τοῦτο εἰς πέρας ἄγοιτο ἂν, ἢ παρθένου καθαρᾶς καὶ ἀνεπάφου διακονουμένης τῷ μυστηρίῳ πρότερον, εἶτα κυοφορούσης τὸν ὑπερούσιον, νόμῳ τοὺς νόμους ὑπερνικῶντι τῆς φύσεως;

Mariale s. Germani adnotatione decima ad primam Germani orationem de praesentatione beatissimae Dei Matris pagg. 193-194. scribit: « Mariam virginem trimulam in Templum ductam, per Angelos inibi fuisse enutritam, prodit heic diserte s. Germanus, et plenius confirmat oratione sequenti. Cui favent Andreas cretensis orat. de dormit. Deiparae, Georgius nicomediensis in orat. de Praesentatione, Cedrenus in compendio Historiae, Isidorus thessalonicensis in orat. de Praesentatione, Pantheleon Diaconus in orat. de s. Michaele archangelo, Matthaeus cantacuzenus in Cantic. cantic. VIII. 1, Glycas III. parte Annalium, Bonaventura in Meditat. vitae Christi cap. IV., Bartholomaeus pisanus de laudibus Virginis lib. II. fructu II., Suarez T. II. in III. p. disput. VII., Canisius lib. I. de Deipara cap. XIII., Benzonius in Ps. LXXXVI. cap. XL. tradit. IX., Morales lib. I. in Matth. Tract. X. n. 20, Novatus de eminentia Deiparae T. I. cap. V., Castro in histor. Deiparae cap. III., Coluenerius in kalendario Mariae die XXII Novembris n. 9, Lancillottus in Viticula Mariana, Pampino VI., Zamorrus de eminentissima Deiparae perfectione lib. III. cap. VI., aliique plures. De hac tamen alimonia Deiparae per Angelos ministrata dubitat Raynaudus in Dyptichis Marianis Par. I. puncto III. n. 8, nec non Combefisius in nota in s. Andream cretensem ad canonem in Mariae diem natalem. »

magnum illud et maxime novum ac mirabile Deique legibus congruentissimum beneficium in nos procederet, nisi Deo nobis per carnem apparente? qui vero ea res ad finem deduceretur, nisi prius *munda* intactaque [1]) Virgo ministraret mysterio, tumque lege supra naturae leges eum, qui substantia superior est, in utero gestaret? »

200. Itaque productis in medium testimoniis duo perfecimus: atque initio perfecimus, reliquis Deiparae appositis illud etiam connumerandum esse, quo ipsa utroque sensu tam *physico* quam *morali* καθαρά *munda* puraque nuncupatur. Tum perfecimus eodem excellentiae gradu pro utraque significatione physica et morali titulum τῆς καθαρᾶς *mundae* Deiparae adscribi. Sicut enim significatione physica dicitur καθαρά *munda*, quod corporis munditiem ne levissima quidem sorde umquam contaminarit; ita significatione morali dicitur καθαρά *munda*, quod animo fuerit ἁγνή *innocens*, παναμώμητος *omni ex parte immaculata*, ἀμίαντος *inviolata*, ἀνέπαφος *intacta*, ῥύψεως ἁπάσης ἀνενδεής, *nullius prorsus indiga purgationis*, a norma honestatis et iustitiae numquam devia et eo usque pura *ut amores sibi divinos conciliarit*, seque idoneam reddiderit quae purissimae lucis purissimum habitaculum eligeretur.

ARTICULUS V.

De appositis τῆς καλῆς καὶ τῆς ὡραίας *pulchrae et speciosae*, *quibus Deipara ad formam honesti atque decori perfectissime exacta declaratur.*

201. Satis non fuit pietati maiorum omnia propemodum collegisse negantia epitheta, quibus ab innocentia Deiparae naevus omnis omnisque labecula depelleretur: neque satis eidem fuit magno numero usurpasse epitheta affirmantia, quibus Deiparae caelestis innocentiae splendor virtutesque omnigenae assererentur; nisi horum copia quo impensius possent amplificata, Deiparam novis τῆς καλῆς καὶ τῆς ὡραίας *pulchrae speciosaeque* laudibus prosequerentur. « Haec, inquit [a]) Proclus de Deipara loquens, *pulchra* Canticorum sponsa. »

a) Orat. VI. quae est encomium in Deiparam Mariam, §. XVII. pag. 645. C. apud Gallandium T. IX. Αὕτη ἡ καλὴ τῶν ᾀσμάτων νύμφη.

1) Ubi e re fuerit non negligere novum epithetum ἀφαιρετικόν, quo Deipara ἀνέπαφος *intacta* nominatur.

De qua [a]) Psellus addit: « *Te pulchram* inter mulieres et penitus immaculatam Dei matrem fideles exoramus. » Ut enim in hymno pervigilii Annuntiationis [b]) Georgius nicomediensis canit: « E Patris dextera non secedens qui omnem vincit substantiam, in te, o inviolata, sibi habitationem eliget, ut te quae [1]) illi propinqua es ac *pulchra*, a dextera suimetipsius veluti reginam collocet, manumque lapsis omnibus protendat, nosque servet. »

202. His vero etsi praeclarissimis non minus praeclara sunt quae penes Iosephum hymnographum repetita leguntur, sive ubi [c]) ait: « Te Dei matrem et *pulchram* inter mulieres vehementer obsecro, ne me, o innocens, despicias, sed mei miserere, meque ab omni noxa incolumem custdi. » Sive [d]) ubi subdit: « *O pulchra* et intaminata, o innocens inter mulieres, miseram animam meam nunc e vitioso probro libera, mihique secundum praebe iter, ut tuis intercessionibus innocenter vivam. » Quae cum his coniungi debent [e]) in Graecorum Menaeis frequentata: « Caelestium puellarum chorus divino percitus afflatu, te inter mulieres *pulchram* et deitatis splendoribus venustam canticis effert. Verbum enim omnis venustatis effectorem ineffabiliter genuisti. »

203. De altero autem *τῆς ὡραίας speciosae* epitheto insignia sunt quae [f]) in eisdem Menaeis occurrunt: « Iesus pulchrorum effector

a) In Offic. Metaphrastis apud Allatium de Simeonum scriptis pag. 243. Τὴν καλὴν ἐν γυναιξὶ σὲ, καὶ πανάμωμον μητέρα τοῦ Θεοῦ, οἱ πιστοὶ ἱκετεύομεν.

b) Men. die XXIV. Martii Ode η'. pag. 104. col. 1. C. Πατρὸς δεξιόθεν οὐκ ἐκστὰς ἐν σοὶ τὴν οἴκησιν μέλλει ποιήσασθαι ὁ ὑπερούσιος, ἄχραντε, ὅπως στήσῃ δεξιᾷ αὐτοῦ σε τὴν πλησίον καὶ καλὴν, οἷα βασίλισσαν, δεξιάν τε πᾶσι προτείνῃ πεσοῦσι, καὶ σώσῃ ἡμᾶς.

c) Paraclit. pag. 27. col. 2. A. Τὴν μητέρα τοῦ Θεοῦ, καὶ καλὴν ἐν γυναιξὶ δυσωπῶ σε ἐκτενῶς, μὴ παρίδῃς με, ἁγνὴ, ἀλλ' οἴκτειρον, καὶ πάσης βλάβης σῶον συντήρησον.

d) Paraclit. pag. 191. col. 2. D. Ἡ καλὴ καὶ ἄμωμος, ἁγνὴ ἐν γυναιξὶ, τὴν ταλαίπωρόν μου ψυχὴν ἐμπαθοῦς μωμήσεως νῦν ἐλευθέρωσον, καὶ ἁγνῶς βιῶσαί με, μεσιτείαις σου, εὐόδωσον.

e) Men. die XI. Ianuarii Ode α'. pag. 111. col. 2. A. Νεανίδων θείων ὁ χορὸς ἐκθεαστικώτατα ἐν γυναιξί σε καλὴν ᾀσματίζουσι, Θεοτόκε δέσποινα, καλλοναῖς ὡραϊζομένην θεότητος· τὸν καλλοποιὸν γὰρ λόγον ὑπὲρ λόγον ἀπεκύησας.

f) Men. die XXIX. Februarii Ode ς'. pag. 158. col. 1. A. Ὡς καλὴν, ὡς ὡραίαν ποθήσας σὲ ὁ καλλοποιὸς Ἰησοῦς, παναμώμητε, ἐκ σοῦ σαρκὶ γεγέννηται, καὶ θεοῖ με δι' οἶκτον ἀμέτρητον.

1) Deipara igitur est diciturque *pulchra* eiusmodi pulchritudine, quae Deo *propinquam* cognatamque decet, quae decet omnium *Reginam*, quaeque nullam ex lapsu deformitatem contraxerit.

te, o penitus immaculata, uti pulchram atque uti *speciosam* amore prosequens, ex te secundum carnem natus est, meque per immensam misericordiam divinae reddit naturae consortem. » Insignia quae leguntur penes auctorem sermonis Maximo adscripti, qui pluribus Scripturarum effatis ad Deiparam relatis, mox [1]) pergit: « Videamus itaque, quae sit haec Virgo tam *sancta*, ad quam Spiritus sanctus venire dignatus est: quae tam *speciosa*, quam Dominus elegit sponsam: quae tam casta, ut possit virgo esse post partum, hoc est, Domini templum, fons ille signatus, et porta in domo Domini clausa. » Et insignia sunt quae [a]) Sophronius hierosolymitanus Christum alloquens ait: « Pulchritudine speciosum te peperit *speciosa* puella, quem ut in passione vidit pulchritudinem immo ne speciem quidem habentem, voce [2]) lamentabili dixit: tuam, Salvator et fili mi, obstupeo abiectionem mente maiorem, per quam abiectam humanitatis naturam servas. »

204. Ex his autem mutuo comparatis pronum est intelligere, Deiparam tum καλὴν *pulchram*, tum ὡραίαν *speciosam* morali significatione celebrari. Sed τὸ καλὸν καὶ τὸ ὡραῖον *pulchrum et speciosum* eiusmodi sunt epitheta, quae ad moralem traducta sensum idem prorsus notant ac *honestum*, *conveniens* et *cum lege divinaque voluntate adamussim consonum*. Sicut enim *physice* significant quod ad pulchri speciem formamque expressum est, ita acceptione morali [3]) τὰ καλὰ ἔργα sunt *recta et honeste facta*, τῷ καλῷ *pulchro* opponitur τὸ κακόν *malum* et ab honestate atque lege devium, et τό καλὸν *pulchrum* de-

a) Triod. apud Mai, Spicileg. rom. T. IV. pag. 151. Ὡραῖον κάλλει τέτοκεν ὡραία σε κόρη, ὃν καθορῶσα κάλλος ἐν τῷ πάσχειν οὐδὲ εἶδος κεκτημένον, σῶτερ θρηνῳδοῦσα ἔλεγεν· ἐκπλήττομαί σου τὴν ὑπὲρ νοῦν υἱέ μου ταπείνωσιν, δι' ἧς σώζεις ταπεινωθεῖσαν τὴν φύσιν τῆς ἀνθρωπότητος.

1) Serm. XII. col. 45. B-C. In App. ad opp. s. Maximi taurinensis. Huc etiam faciunt quae habentur in Missali mozarabico ad offertorium in Missa de Virginis nativitate, in Thesaur. hymnolog. T. II. pag. 342, et penes beatum Hildephonsum qui de assumpta Virgine verba faciens in Biblioth. Concionat. Combefis. T. VII. pag. 680. col. 1. D-E. scribit: « In hac die competenter beata virgo Maria sponso illi caelesti libere (Ps. LXXII. 24.) proclemat: *tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria assumpsisti me*. Hodie, inquam, et ipsa congrue ab sponso (Cant. II. 11-13.) audit: *veni proxima mea, speciosa mea, columba mea, quoniam ecce hiems transiit, pluvia abiit*. Ipsaque beata respondit: *flores visi sunt in terra nostra, tempus sectionis advenit*. *Anima mea* (Ps. XXXIV. 9.) *exsultabit in Domino, et delectabitur super salutari suo*. Et (Ps. XXXIII. 3.) *in Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti et laetentur*. Et (Ps. XXVI. 13.) *credo videre bona Domini in terra viventium*. Videamus itaque, fratres, quae sit haec Virgo tam sancta, ad quem Spiritus sanctus venire dignatus est: quae tam *speciosa*, quam Deus elegit sponsam. »

2) Quae item leguntur in vulgato Graecorum Triodio pag. 248. col. 2. B., ubi rectius non θρηνοδοῦσα sed θρηνῳδοῦσα scribitur.

3) Matth. V. 16, Rom. VII. 18-21, XIV. 21.

notat τὸ πρέπον *officium*. Veterum ergo testimoniis quibus Deipara uti καλὴ καὶ ὡραία *pulchra et speciosa* celebratur, iisdem ostenditur spectari eam aliter non posse ac veluti *rectitudinis exemplar* formamque honestatis. Ita ne vero ut nihil in ea fuerit umquam obliqui, et nihil quod ab aequo rectoque discesserit? auctore namque [a]) nazianzeno Gregorio, *una animae pulchritudo est divinam imaginem vel tueri, vel pro viribus repurgare.* In promptu erit responsio dummodo consideretur, Deiparam ita pulchram speciosamque dici, ut simul ipsa praedicetur *pulchra inter mulieres, speciosa inter mulieres, innocens inter mulieres* idest pulcherrima, speciosissima, innocentissima, proindeque *a communi deformitate immunis, nitens divinitatis splendoribus*, et pulchra atque speciosa ea specie eaque pulchritudine quae *Unigeniti amorem promeruerit, quae Reginam, quae Domini sponsam, quae Deo maxime propinquam deceret*, quaeque tandem effecerit ut *ipsa speciosa inter mulieres prae Filio specioso inter filios hominum* suo merito diceretur. Haec autem talia sunt quae ipsum pulchritudinis apicem, ipsamque speciositatis creatam perfectionem tribuendam Deiparae esse commonstrant.

ARTICULUS VI.

De apposito τῆς κεχαριτωμένης καὶ θεοχαριτώτου gratia plenae et gratia divinitus refertae, quibus summa Deiparae perfectio et praestantissima sanctitas cuiusvis semper inscia labis effertur.

205. Eorum verborum numero, quae propria haberi debent Scripturarum monimentorumque christianorum, accensendum est verbum χαριτόω, in profanis operibus [1]) vix occurrens, at in Bibliis non omnino [2]) infrequens, et ab auctoribus ecclesiasticis [3]) multo crebrius usurpatum. Hoc autem verbum ex sua ipsa forma alterutram potestatem necessario praefert: aut enim significat efficere ut

a) Orat. XIX. pag. 291. Ἓν κάλλος, τὸ τὴν θείαν εἰκόνα ἢ συντηρεῖν, ἢ ἀνακαθαίρειν εἰς δύναμιν.

1) Unum namque dumtaxat novi ex iisdem a Schneidero prolatum Libanii locum.

2) Sirac. IX. 8, XVIII. 17, Ps. XVIII. 26. in Symmachi reliquiis, Luc. 1. 28, Ephes. 1. 6.

3) Cf. Suiceri Thesaurum ecclesiast. ad v. χαριτόω.

res illud sit quod nomen innuit ex quo verbum flectitur : atque ita *δουλόω* est *servum facio*, et *δηλόω* *manifestum facio ;* aut significat efficere ut eo quod nomine exprimitur, res cumuletur, instruatur ac veluti circumfusa repleatur : atque ita *στεφανόω* est *coronam circumdo, χρυσόω aurum indo* atque induco, *μελιτόω melle inspergo* atque imbuo, et *πυρόω ignitum facio*, ignemque propemodum reddo. Quum igitur *χαριτόω* ducatur *ἀπὸ τῆς χάριτος* *a gratia* et *a favore*, idem plane valebit ac gratia plene exorno, instruo, atque eo usque augeo et perfundo, ut res tota gratiosa sit, nihilque nisi favorem gratiamque spiret.

206. Hinc discrimen significationis innotescit, qua *χαρίζομαι* a *χαριτόω* dirimitur : illud enim notat gratum aliquid alicui facere, hoc vero aliquem gratum facere : illud de collatis singulis quibusque gratiis, tributisque peculiaribus beneficiis adhibetur, hoc vero de summa deque plenitudine tam concessae gratiae quam erogati boni usurpatur. Scite [1]) Chrysostomus, qui Pauli [2]) verbis, *ἐν ᾗ* (*χάριτι*) *ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἠγαπημένῳ*, *in qua* (gratia) *gratificavit nos in dilecto*, hunc subiicit [a]) commentarium : « Qua gratiosos nos reddidit, inquit. Non dixit, *ἧς ἐχαρίσατο*, quam gratis donavit, sed *ἐχαρίτωσεν*, idest, gratiosos nos reddidit. Scilicet non solum liberavit a peccatis, sed etiam fecit amabiles. » Tum mentem suam illustrare pergens [b]) subdit : « Quemadmodum enim si quis acceptum quempiam scabiosum, et peste ac morbo senioque et paupertate ac fame confectum et perditum, statim formosum fecerit iuvenem, omnes homines pulchritudine vincentem, e genis quidem splendorem valde emittentem, et micantium oculorum eiaculationibus fulgores occul-

a) Ibid. Ἧς ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς, φησίν· οὐκ εἶπεν, ἧς ἐχαρίσατο, ἀλλ' ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς· τουτέστιν, οὐ μόνον ἁμαρτημάτων ἀπήλλαξεν, ἀλλὰ καὶ ἐπεράστους ἐποίησε.

b) Ibid. Καθάπερ ἂν εἴ τις λαβὼν ψωραλεόν τινα, καὶ λοιμῷ καὶ νόσῳ διεφθαρμένον, καὶ γήρᾳ, καὶ πενίᾳ, καὶ λιμῷ, εὐθέως εὔμορφον νεώτερον ἐργάσαιτο, πάντας ἀνθρώπους νικῶντα τῷ κάλλει, σφόδρα μὲν τὴν αὐγὴν ἀφιέντα ἀπὸ τῶν παρειῶν, καὶ τὰς μαρμαρυγὰς τοῦ ἡλίου ἀποκρύπτοντα ταῖς τῶν ὀφθαλμῶν βολαῖς, εἶτα ἐν αὐτῷ καταστήσειε τῷ τῆς ἡλικίας ἄνθει, καὶ μετὰ τοῦτο ἁλουργίδα περιβάλοι καὶ διάδημα καὶ πάντα τὸν κόσμον τὸν βασιλικόν· οὕτως ἐξήσκησε τὴν ψυχὴν ἡμῶν, καὶ καλὴν, καὶ ποθεινὴν, καὶ ἐπέραστον ἐποίησεν· ἐπιθυμοῦσι γὰρ ἄγγελοι παρακύψαι πρὸς τὴν τοιαύτην ψυχὴν, ἀρχάγγελοι, πᾶσαι αἱ ἄλλαι δυνάμεις· οὕτως ἡμᾶς καὶ ἐπιχάριτας ἐποίησε, καὶ ἑαυτῷ ποθεινούς.

1) In epist. ad Ephes. Hom. I   2) Ephes. I. 6.

tantem : deinde eum constituerit in ipso flore aetatis, et postea eum purpura induerit, et diadema imposuerit, et omni ornatu ornarit regio ; ita nostram instruxit et ornavit animam, pulchramque fecit, desiderabilem et amabilem. Cupiunt enim Angeli talem aspicere animam, Archangeli et omnes reliquae Virtutes. Ita nos etiam reddidit gratiosissimos et sibi desiderabiles. »

207. Iamvero non frequentia minus quam splendida sunt veterum testimonia, quibus Deipara titulis τῆς κεχαριτωμένης καὶ θεοχαριτώτου *gratia plenae et gratia divinitus refertae* condecoratur. Ut enim a priore epitheto ordiar, huc faciunt quae [a]) in sermone Athanasii nomine insigni leguntur : « Tribue nobis pro exiguis his sermonibus magna dona *ex divitiis gratiarum tuarum, o gratia plena;* pro quibus quasi veris et celebrandis laudibus tibi ad encomium, si qua virtus a nobis nec non ab omni creatura hymnus offertur *gratia plenae*, dominae, Dei matri et arcae sanctificationis. » Huc deinde faciunt verba [b]) Sophronii : « Dei genitrix undequaque innocens animae meae vulnera, cicatricesque peccati undis tergens ex latere filii tui, et fluminibus purgans ex eodem manantibus, dele : ad te enim clamo et ad te me recipio, teque *gratia plenam* invoco. » Atque huc faciunt quae [c]) idem Sophronius addit : « Ave, tibi inclamamus, quae gaudium suscepisti, *o gratia plena,* Virgo Deipara : Deum quem peperisti deprecare, ut a periculis et perditione ii liberentur qui te iugiter celebrant. »

208. Neque aliter [d]) Theophanes ubi ait : « Incarnatum, o *plena gratia,* pariens Deum Verbum, apparuisti divinum eiusdem sanctua-

a) Orat. in annunciat. Deiparae n. 14. pag. 401. opp. Athanasii T. II. Ἀντίδος ἡμῖν ἀντὶ τῶν μικρῶν τούτων λογίων μεγάλας τὰς δωρεὰς ἀπὸ τοῦ πλούτου τῶν χαρισμάτων σου, κεχαριτωμένη· ὑπὲρ ὧν, καὶ ὡς ὑποκειμένων καὶ συστατικῶν διαφωνῶν, διαφερόντως σοι πρὸς ἐγκώμιον, εἴ τις ἀρετὴ, καὶ εἴ τις ἔπαινος, προσάγεταί σοι παρ᾽ ἡμῶν καὶ πάσης τῆς κτίσεως ὕμνος, τῇ κεχαριτωμένῃ, τῇ κυρίᾳ, τῇ μητρὶ τοῦ Θεοῦ καὶ κιβωτοῦ τοῦ ἁγιάσματος.

b) Triod. apud Mai, Spicileg. rom. T. IV. pag. 158. Θεογεννῆτορ πάναγνε τῆς ψυχῆς μου τὰ τραύματα, καὶ τῆς ἁμαρτίας τὰς οὐλὰς ἐξάλειψον πηγαῖς ἀποσμήχουσα ταῖς ἐκ πλευρᾶς τοῦ τόκου σου, καὶ τοῖς ἐξ αὐτῆς ἀποκαθαίρουσα ῥείθροις· πρὸς σὲ γὰρ ἀνακράζω, καὶ πρὸς σὲ καταφεύγω, καὶ σὲ ἐπικαλοῦμαι τὴν κεχαριτωμένην.

c) Ibid. pag. 164. Χαῖρέ σοι βοῶμεν τῇ δεξαμένῃ τὴν χαρὰν ἡ κεχαριτωμένη, παρθένε θεοτόκε· θεὸν, ὃν ἔτεκες, δυσώπει λυτρωθῆναι κινδύνων καὶ φθορᾶς τοὺς ἀνυμνοῦντάς σε ἀεί.

d) Triod. pag. 143. col. I. B. Σεσαρκωμένον τεκοῦσα τὸν Θεὸν λόγον, θεοπρεπὲς ἁγίασμα, κεχαριτωμένη, τούτου ἀναδέδειξαι· διὸ σοῦ τὸ τέμενος τὸ φωτοειδὲς ἐγκαινίζομεν.

rium; ideo tibi splendidum templum dedicamus. » Neque aliter [a]) Georgius inquiens: « Quae divinitatis ignem incombusta concepisti, et sine semine Dominum vitae fontem peperisti, o Deipara *gratia plena*, eos serva qui te magnificant. » Neque aliter [b]) Cosmas ubi scribit: « Hodie Gabriel annunciat *gratia plenae:* ave Virgo innupta et thori inscia. » Neque aliter Iosephus qui Virginem ita [c]) exorat: « Sanctissima Virgo, *gratia plena*, quae omnium propitiationem genuisti, grave criminum nostrorum pondus tuis precibus alleva. » Eodem titulo ornatur Virgo [d]) *in oratione* Graecis usitata *ad cruce signandum puerum suscipientem nomen octavo die nativitatis suae:* eodem [1]) in Anselmi hymnis et [2]) in canticis ecclesiasticis e quibus ista refero:

» O stella maris, ave,
» Gratia summa plena
» Nobis, quaesumus, fave,
» Ne absorbeat nos gehenna,

Accedunt Iohannes damascenus et Modestus hierosolymitanus, quorum ille [e]) repetita Gabrielis [3]) salutatione, *ave gratia plena*, continuo subdit: « Praeclara sane angeli ad eam quae angelis praestabat alloquutio. » Et angelis enimvero, auctore [f]) Modesto praestabat, siquidem unigenitus Dei filius: « Ex omni rationali et intelligenti creatura illam elegit in sanctissimam matrem suam, eamque sua plenam gratia supra modum omnem sustulit. » Cum his vero iungi testimonia debent, quibus Deipara simul εὐλογημένη καὶ κεχαριτωμένη *bene-*

a) Men. die XXIX. Martii Ode γ'. pag. 131. col. 1. B. Συλλαβοῦσα ἀφλέκτως τὸ πῦρ τῆς θεότητος, καὶ τεκοῦσα ἀσπόρως πηγὴν ζωῆς τὸν Κύριον, κεχαριτωμένη θεοτόκε, περίσωζε τοὺς σὲ μεγαλύνοντας.

b) Men. die XXV. Martii pag. 113. col. 1. A. Εὐαγγελίζεται ὁ Γαβριὴλ τῇ κεχαριτωμένῃ σήμερον· χαῖρε ἀνύμφευτε κόρη καὶ ἀπειρόγαμε.

c) Can. secundae Dominicae ex vetusto Triodio vatic. Ode ϛ'. pag. 214. apud Quirinium in Offic. Quadrag. Παναγία παρθένε, κεχαριτωμένη, ἡ τὸν ἱλασμὸν πάντων τέξασα, τῶν ἡμῶν ἐγκλημάτων τὸ φορτίον σου ταῖς ἱκεσίαις ἐλάφρυνον.

d) Εὐχὴ εἰς τὸ κατασφραγίσαι παιδίον λάμβανον ὄνομα τῇ ὀγδόῃ ἡμέρᾳ τῆς γεννήσεως αὐτοῦ, apud Assemanum in cod. Lit. T. I. pag. 121.

e) Orat. I. in Deiparae dormit. §. VII. pag. 862. C-D. Καλὸν τὸ τοῦ ἀγγέλου, πρὸς τὴν ὑπὲρ ἄγγελον πρόσφθεγμα.

f) Encom. in Deipar. §. II. pag. 11. Ἐκ πάσης λογικῆς καὶ νοερᾶς κτίσεως ἐκλεξάμενον γενέσθαι πανάγιον μητέρα αὐτοῦ, καὶ ὑπερτέραν τοῦ παντὸς χαριτώσαντα αὐτήν.

1) Hymn. ad Horas pag. 303. col. 1.
2) Thesaur. hymnolog. T. II. pag. 200.
3) Luc. I. 28.

dicta gratiaque plena nuncupatur. Ad quem censum ista pertinent [a]) ex Iosepho: « Ecce *benedicta illa et plena gratia,* secundum Scripturae sacrae praedictiones, lectus est Salomonis quem circumdant potentes, et in quo Christus Deus divina incarnatione conquievit. » Atque ista similiter pertinent [b]) ex paracletice: « Soluta est damnatio, desiit tristitia: *illa* enim *benedicta* et *gratia plena* gaudium fidelibus adduxit ex seipsa germinans Christum benedictionem omnium terrae finium. »

209. Manifestis igitur veterum testimoniis, quibus et alia [1]) addi facillime possent, non modo Deiparae asseritur appellatio atque titulus τῆς κεχαριτωμένης *gratia plenae,* verum etiam liquido comprobatur I. Deiparam coniunctim dici πανάγνην, εὐλογημένην, κεχαριτωμένην, *undequaque innocentem, benedictam, gratia plenam:* II. eam absolute simpliciterque dici τὴν κεχαριτωμένην *illam gratia plenam:* III. appositum τῆς κεχαριτωμένης *gratia plenae* tributum Deiparae explicari per πλοῦτον τῶν χαρισμάτων *charismatum* gratiarumque *divitias summamque gratiam:* et IV. ex hac gratiae plenitudine colligi, Deiparam fuisse tum *angelis praestantiorem* et *gratiae plenitudine supra modum omnem sublimatam,* tum θεοπρεπὲς ἁγίασμα *dignum Deo templum,* tum *initium solutae damnationis, depulsae tristitiae et gaudii in universum hominum genus effusi.* Sed intelligi ista nequeunt, nisi de eiusmodi gratiae divinique favoris plenitudine, quae eximia omnino fuerit ac prorsus singularis, quaeque non siverit ut culpa gratiam, et ira atque indignatio divinum favorem praeverterint. Iisdem igitur maiorum testimoniis, quibus virgo κεχαριτωμένη *gratia plena* celebratur, tum summa ipsius sanctitas, tum iugis immunitas a culpa iraque divina luculenter effertur.

210. Quo pariter effata pertinent, quibus Deipara θεοχαρίτωτος *divino favore insignis Deoque carissima* appellatur. Ne enim singula

a) Men. die XXII. Octobris Ode η'. pag. 133. col. 1. A. Ἰδοὺ ἡ κλίνη Σολομῶν, ἣν κυκλοῦσι δυνατοὶ, ὡς αἱ προῤῥήσεις, νῦν γραφῆς τῆς ἁγίας, ἐν ᾗ Χριστὸς ὁ Θεὸς, σαρκώσει θείᾳ ἀνεπαύσατο, ἡ εὐλογημένη καὶ κεχαριτωμένη.

b) Paraclit. pag. 230. col. 1. C. Λέλυται ἡ κατάρα, ἡ λύπη πέπαυται· ἡ γὰρ εὐλογημένη καὶ κεχαριτωμένη πιστοῖς χαρὰν ἐξανέτειλεν, εὐλογίαν πᾶσιν ἀνθηφοροῦσα, Χριστὸν τοῖς πέρασι.

1) Cuiusmodi habentur in Menaeis mense Decembris pag. 6. col. 1. A, pag. 232. col. 2. D. et in Anthologio die VIII. Septembris Ode 3. pag. 28 col. 1. A

memorem, et ne ea nominatim recenseam quae [1]) Theophanes, Theodorus studita [2]) et Iohannes damascenus [3]) litteris consignarunt; huc dubio procul spectant quae Gorgias [a]) habet: « Sua erga homines benevolentia et sola misericordia ac bonitate impulsum Verbum quod una cum Patre regnat, ex te, *o Deo carissima,* incarnatum est ut terrestrem hominum naturam, tamquam unicus benefactor, caelestem redderet. » Huc spectant quae penes Christophorum [b]) leguntur: « Te luciferum tabernaculum incarnationis Dei hymnis efferimus, o Maria *Deo acceptissima.* Me proinde cupiditatibus vehementer obcaecatum illumina, lux misericordiae, spes desperantium. Laudamus, benedicimus, adoramus Dominum. » Atque huc spectant quae [c]) Stephanus Sabbaita canit: « *O Deo carissima,* innocens, benedicta, eum qui propter viscera misericordiae suae ex te natus est, cum supernis Virtutibus et cum Archangelis, cumque omnibus incorporeis naturis incessanter pro nobis deprecare, ut nobis ante vitae finem indulgentiam tribuat, peccatorum veniam, vitaeque emendationem, quo misericordiam inveniamus. »

211. Succedit eiusdem tum loquutionis quum sententiae auctor et vindex Iosephus Melodus, qui Deiparam [d]) alloquens ait: « Partu tuo, *o Deo acceptissima* Virgo, olim dissita copulasti: te proinde uti caussam bonorum omnium beatam praedicamus sincero corde clamantes: laudate Dominum opera eius et superexaltate in omnia

a) Men. die XXV. Februarii Ode η'. pag. 141. col. 1. B. Ὑπὸ τῆς αὐτοῦ φιλανθρωπίας, καὶ μόνης εὐσπλαγχνίας τε καὶ ἀγαθότητος, τοῦ πατρὸς ὁ σύνθρονος λόγος δυσωπούμενος ἐκ σοῦ σαρκὶ γεγέννηται, θεοχαρίτωτε· ἵνα τὴν γεωθεῖσαν ἀνθρώπων φύσιν οὐρανώσῃ, ὡς μόνος εὐεργέτης.

b) Triod. pag. 72. col. 1. C. Φωτοφόρον σκηνὴν σὲ θεοῦ σαρκώσεως ἀνυμνοῦμεν, Μαρία θεοχαρίτωτε· ὅθεν με δεινῶς σκοτισθέντα τοῖς πάθεσι λάμψον, φῶς ἐλέους, ἐλπὶς ἀπηλπισμένων· αἰνοῦμεν, εὐλογοῦμεν, προσκυνοῦμεν τὸν Κύριον.

c) Men. die XX. Martii Ode γ'. pag. 85. col. 1. A. Θεοχαρίτωτε, ἁγνὴ, εὐλογημένη, τὸν διὰ σπλάγχνα οἰκτιρμῶν ἐκ σοῦ τεχθέντα, σὺν ταῖς ἄνω δυνάμεσι καὶ τοῖς ἀρχαγγέλοις, καὶ πᾶσι τοῖς ἀσωμάτοις, ὑπὲρ ἡμῶν δυσώπει ἀκαταπαύστως, δοῦναι ἡμῖν πρὸ τοῦ τέλους συγχώρησιν, καὶ ἱλασμὸν ἁμαρτιῶν, καὶ βίου ἐπανορθῶσιν, ὅπως εὕρωμεν ἔλεος.

d) Men. die XXIX. Maii Ode η'. pag. 108. col. 1. A. Συνῆψας τὰ πάλαι διεστῶτα, παρθένε θεοχαρίτωτε, τῷ τόκῳ σου· ὅθεν ὡς αἰτίαν σὲ πάντων μακαρίζομεν τῶν ἀγαθῶν, κραυγάζοντες ψυχῆς εὐθύτητι· τὸν Κύριον ὑμνεῖτε τὰ ἔργα, καὶ ὑπερυψοῦτε εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας.

1) Men. die I. Decembris Ode γ'. pag. 4. col. 2. A. et die IV. Iunii Ode θ'. pag. 18. col. 2. D.

2) Triod. pag. 174. col. 2. D.

3) Men. die XXIII. Septembris Ode ε'. pag. 144. col. 1. C. Ode θ'. pag. 146. col. 2. B., et Pentecostar. pag. 182. col. 1. C.

secula. » Succedit [a]) nicomediensis Georgius qui Deiparam his laudibus exornat: « Genus hominum per te liberationem a corruptela et honorem immortalitatis vitaeque intaminatae in Christo consequutum, te, *o Deo carissima*, glorificat. » Et succedit non uno in loco hierosolymitanus Sophronius, qui nunc quidem [b]) scribit: « Ex te, Virgo [1]) *summo Dei favore excepta*, malorum nocte obrutis ortus est Christus lucis pacisque ductor, solvens profectum ex incuria peccatum, nosque redemptione manifeste donans. » Nunc vero [c]) pergit: « O virgo atque *inprimis Deo gratiosa*, Deum qui universa nutu sustentat genuisti hominem ex misericordia factum; illum impense roga, ut nostri corda illuminet, qui te vere Dei innocentem matrem beatam praedicamus.

212. Finem iis facio quae in paracletice, et apud Psellum atque Theodotum ancyranum insignissima occurrunt. Sane in paracletice [d]) legimus: « Fructu tuo vitam ferente, *o Deo gratissima*, morti datus est inimicus, et infernus palam conculcatus, et nos qui vinculis obstringebamur in libertatem asserti; ideo exclamo, meum a passionibus pectus solve. » Ac rursum [e]) legimus: « Apostolorum

a) Men. die XXIX. Martii Ode α'. pag. 130. col. 1. C. Γένος ἀνθρώπων διὰ σοῦ τῆς φθορᾶς ἀπαλλαγὴν καὶ ἀφθαρσίας καὶ ζωῆς ἀκηράτου ἐν Χριστῷ κληρωσάμενον τιμὴν, δοξάζει σε, θεοχαρίτωτε.

b) Triod. apud Mai, Spicileg. rom. T. IV. pag. 165. Ἐκ σοῦ, παρθένε θεοχαρίτωτε, τοῖς ἐν νυκτὶ δεινῶν κεκρατημένοις ἀνέτειλεν ὁ φωτὸς καὶ εἰρήνης Χριστὸς χορηγὸς, τὴν ἐξ ἀπροσεξίας λύων παράβασιν, καὶ τὴν ἀπολύτρωσιν ἡμῖν σαφῶς δωρούμενος.

c) Ibid. pag. 213. Νεύματι τὸ πᾶν, παρθένε, τὸν φέροντα θεὸν ἐκύησας, ἄνθρωπον γενόμενον δι' εὐσπλαγχνίαν, θεοχαρίτωτε· ὃν ἐκτενῶς ἱκέτευε φωταγωγῆσαι ἡμῶν τὰς καρδίας τῶν μακαριζόντων σε, ὡς ἁγνὴν ἀληθῶς θεομήτορα.

d) Paraclit. pag. 13. col. 1. B. Νενέκρωται ἐχθρὸς τῷ ζωηφόρῳ σου καρπῷ, θεοχαρίτωτε, καὶ πεπάτηται ὁ ᾅδης προφανῶς, καὶ οἱ ἐν δεσμοῖς ἠλευθερώθημεν· διὸ βοῶ· τὰ πάθη λῦσον τὰ τῆς καρδίας μου.

e) Ibid. pag. 147. col. 2. D. Ἀποστόλων καλλονὴ, καὶ τῶν ἁγίων ἀθλοφόρων χαρμονὴ, θεοχαρίτωτε δέσποινα, ὑπὲρ ἡμῶν δυσώπει τὸν τοῦ παντὸς σωτῆρα καὶ θεὸν, ἐγκλημάτων ὅπως λάβωμεν ἄφεσιν καὶ τῆς θείας ζωῆς πάντες ἐπιτύχωμεν.

1) Videsis etiam quae Sophronius habet pag. 173. quaeque in Anthologii appendice pag. 58. col. 2. B-C. referuntur: Δῶρον, θεονύμφευτε, θείας μοι γνώσεως δίδου, καὶ τὸν νοῦν μου φώτισον, καὶ τὴν γλῶτταν τράνωσον τοῦ δοξάζειν σε καὶ ὑμνεῖν ᾄσμασι τὴν μεγίστην χάριν, καὶ τὴν θείαν προστασίαν σου· ὡς γὰρ φιλάγαθος, προνοητικὴ τε τῆς φύσεως ἡμῶν, θεοχαρίτωτε, θέλεις τὴν ἑκάστου ὠφέλειαν καὶ τὴν σωτηρίαν· ἣν βράβευσον κἀμοὶ τῷ ἐκ ψυχῆς καὶ ἐκ καρδίας προστρέχοντι τῇ σκέπῃ σου, ἄχραντε. *Mihi, o Dei sponsa, donum imperti divinae cognitionis, et mentem mihi illustra et linguam solve ut te glorificem, ut laudibus efferam summam gratiam divinamque tuam tutelam. Tu namque, o Deo gratissima, utpote benevola nostraeque consulens naturae amas uniuscuiusque commodum et salutem, quam et mihi, o inviolata, tribue qui animo et corde ad tuam opem me recipio.*

decus, et sanctorum qui coronas retulerunt gaudium, o Domina *Deo carissima,* pro nobis exora universi Salvatorem et Deum, ut remissionem criminum accipiamus, omnesque vitam divinam nanciscamur. » Porro Deipara [a]) a Psello dicitur: « Sion sancta, *Deo acceptissima,* civitas Dei, et communitum undique palatium. » De eadem vero Theodotus aucyranus [1]) sic habet: « Pro mali auctore dracone, qui mundo tristitiam invexisset, laetum gaudii nuntium ferens Archangelus dominico e caelis praeivit descensui: eiusque loco qui rapinam arbitratus esset esse aequalem Deo, qui natura Deus atque Dominus, praeses auctorque regenerationis eius naturae quam condiderat, exsistit: pro ea quae ad mortem ministra exstiterat virgo Eva, *Deo gratissima* ac Dei plena gratia Virgo in vitae obsequium eligitur. »

213. Concors ergo maiorum doctrina, Ecclesiaeque traditio eo sua sponte pertinent, ut Virgo sit dicaturque θεοχαρίτωτος *Deo carissima,* tantaque divini favoris copia aucta et plenitudine excepta, ut ipsa fuerit *palatium undequaque protectum,* quodque infernae portae frustra oppugnarint, *victrix inimici, ministra vitae, luciferum tabernaculum tenebris numquam obductum, exsors terrestris corruptaeque naturae, a vinculis soluta semper atque libera, numquam irae obnoxia, angelorum decus, sanctorum corona, et cum Christo atque secundum Christum reparati ordinis caussa, conciliataeque pacis origo.* Quae sane omnia perspicue ostendunt ac probant, I. eiusmodi fuisse supernum in Deiparam favorem, ut ipsa Deo inimica numquam exstiterit: II. tantam fuisse gratiam ex divina bonitate in Deiparam profectam, ut nullum ipsa culpae naevum subierit: proindeque III. dignam fuisse Deiparam quam his verbis [b]) Ecclesia precaretur: « Tu quae immaculata agna et Virgo agnum morbum omnem auferentem sinu gestasti, tu o Dei genitrix tuam ovem serva. »

a) Offic. de Simeone Metaphraste apud Allatium pag. 243. *Σιὼν ἁγία, θεοχαρίτωτε, πόλις θεοῦ, καὶ κατωχυρώμενον παλάτιον.*

b) Paraclit. pag. 150. col. 2. A. Ἡ *ἀκηλίδωτος ἀμνὰς καὶ παρθένος τὸν ἀμνὸν αἴροντα πᾶσαν νόσον, θεοτόκε, κυήσασα, σῶζε τὴν ποίμνην σου.* Ubi e re fuerit animum advertere ad novum negans appositum *ἀκηλίδωτον*, quo Deipara *cuiusvis expers maculae* significatur.

1) Orat. in Christi nativit. §. XI. pag. 475 apud Gallandium T. IX. Edidit hanc orationem Combefisius T. I. Biblioth. concionat. pagg. 199-204. ex graeco codice Mazariniano, sed Graecum textum praetermisit.

ARTICULUS VII.

De appositis τῆς εὐλογημένης, θεομακαρίστου καὶ μακαρίας *benedictae, divinitus beatificatae ac beatae, quibus praestantissima Deiparae ornamenta eique collata caelitus dona efferuntur.*

214. Verbum εὐλογεῖν quod proprie est *benedicere, bene precari, fausta atque felicia* [1]) *apprecari:* unde penes Hesychium legimus, εὐλογείτω· ἐπαινείτω, *benedicat, laudet:* et penes Suidam, εὐλογείτωσαν· ἐπαινείτωσαν, *benedicant, laudent;* in monimentis ecclesiasticis idem frequentissime [2]) notat ac *amare, aliquem diligere, suam illi benevolentiam factis comprobare, illumque beneficiis prosequi.* Neque sane mirum, quum talis sit potestas sive qua [3]) interpretes alexandrini et novi Testamenti [4]) auctores hoc verbo passim utuntur, sive qua in Hebraicis bibliis [5]) τὸ בָּרַךְ recurrit. Iamvero innumera propemodum sunt maiorum testimonia, quibus Deipara appellatione τῆς εὐλογημένης *benedictae,* summisque beneficiis locupletatae honestatur.

215. Hoc namque titulo Deiparam honestat [a]) Germanus constantinopolitanus inquiens: « Omnes, agite, simul cum Angelo honoremus *benedictam illam* veluti reginam, Regemque universorum parientem. » Hoc illam honestat [b]) Iohannes damascenus dum scribit: « Tuum, *o benedicta,* partum hymnis celebramus, per quem ab antiqua damnatione redempti sumus; et te, o beatificata a Deo, beatam celebramus, quam *solam* is amavit qui est benedictus et supergloriosus. » Hoc illam honestat [c]) Georgius nicomediensis qui ait: « Hodie creatura omnis laetitia gestit, quia Angelus tibi, o *benedi-*

a) Men. die II. Septembris Ode ϛ'. pag. 17. col. 1. C. Ὡς βασιλίδα πάντες, καὶ βασιλέα τῶν ὅλων κυήσασαν, δεῦτε σὺν τῷ ἀγγέλῳ, τὴν εὐλογημένην τιμήσωμεν.

b) Men. die XV. Ianuarii Ode ζ'. pag. 133. col. 1. D. Ὑμνοῦμεν τὸν τόκον σου, εὐλογημένη, δι' οὗ ἐλυτρώθημεν τῆς πάλαι κατακρίσεως, καὶ σὲ μακαρίζομεν, θεομακάριστε, μόνην ἣν ἠγάπησεν ὁ ὢν εὐλογήμενος καὶ ὑπερένδοξος.

c) Men. die XXIV. Martii Ode γ'. pag. 101. col. 2. A. Σήμερον ἅπασα κτίσις ἀγάλλεται, ὅτι τὸ χαῖρε σοὶ φάσκει ὁ ἄγγελος· εὐλογημένη σὺ ἁγνὴ, τοῦ Χριστοῦ μήτηρ ἄχραντε·

1) Quo sensu legitur Matth. V. 44, Luc. VI. 28, Rom. XIII. 14.

2) Cf. Suiceri Thesaurum ad v. εὐλογέω.

3) Gen. XXVI. 29. Ps. V. 13, XXXVII. 26, Is. LXV. 23, Sirac. I. 13.

4) Luc. I. 42, Actt. III. 26, Gal. III. 8, 9. Ephes. I. 3, Hebr. VI. 14.

5) Gen. XII. 3, XLVIII. 3, Ex. XXIII. 25, Deut. VII. 13, XXX. 16, Ios. XVII. 14.

cta, o innocens, o intemerata Christi mater, illud *ave* annuntiat. Hodie conteritur serpentis fastus, protoparentis namque maledictio soluta est. Propterea et nos tibi acclamamus: *ave o gratia plena.* » Atque hoc illam honestat [a]) Metrophanes smyrnensis ex imo pectore clamans: « O nuptiarum expers, *o benedicta* Maria, tu quae perfugium es hominum desperantium, Deique habitaculum, tu in viam poenitentiae nos adducito, qui ad malorum devia iugiter deflectentes clementissimum Dominum ad iram provocamus. »

216. Eiusdem tituli Deiparae tributi auctor est [b]) Theophanes, cui ista debemus: « Tu es lux mea, o Virgo Deipara, tu es meum gaudium et praesidium et perfugium, *o benedicta*, teque glorifico ut quae Deum patrum nostrorum genueris. » Atque ista rursum [c]) debemus: « O *benedicta*, glorificata mater innupta, animam meam peccatis mortuam et immodicis obrutam passionibus vivifica. » Celebrant [d]) Graeci in menaeis, in quibus legimus: « Te impense glorifico Dei matrem omni ex parte innocentem, tibi acclamans illud Angeli ave, *o benedicta* gratiisque divinitus referta: auditum dictumque terribile, novumque Domini totius creationis habitaculum. » Et celebrant in paracletice, quo in libro [e]) nunc dicitur: « *O benedicta* omnique ex parte immaculata, servans eos qui in te spei anchoram collocant ad portum illos divinae voluntatis materna quae te decet fiducia clementer dirigito. » Nunc [f]) dicitur: « Laudamus te, *o benedicta* illi-

σήμερον τοῦ ὄφεως ἀμαυροῦται τὸ φρύαγμα· ἀρᾶς γὰρ διαλέλυται ὁ δεσμὸς τοῦ προπάτορος· διὸ σοὶ καὶ ἡμεῖς ἐκβοῶμεν· χαῖρε ἡ κεχαριτωμένη.

a) Paraclit. pag. 6. col. 1. C. Ὁδήγησον ἡμᾶς ἐν ὁδῷ μετανοίας, ἐκκλίνοντας ἀεὶ πρὸς κακῶν ἀνοδίας, καὶ τὸν ὑπεράγαθον παροργίζοντας κύριον, ἀπειρόγαμε, εὐλογημένη Μαρία, καταφύγιον ἀπεγνωσμένων ἀνθρώπων, Θεοῦ ἐνδιαίτημα.

b) Men. die IX. Septembris Ode ζ'. pag. 71. col. 1. A. Σὺ εἶ μου φῶς, παρθένε θεοτόκε, σὺ εἶ χαρὰ καὶ σκέπη καὶ λιμήν μου, εὐλογημένη, καὶ σὲ δοξάζω, ὡς τεκοῦσαν θεὸν τὸν τῶν πατέρων ἡμῶν.

c) Men. die XVI. Decembris Ode ε'. pag. 127. col. 2. D. Εὐλογημένη, δεδοξασμένη μῆτερ ἀπείρανδρε τὴν νενεκρωμένην ἁμαρτίαις μου ψυχὴν, καὶ παθῶν κεχωσμένην ταῖς ἀκρασίαις ζωοποίησον.

d) Men. die XXV. Augusti Ode ε'. pag. 137. col. 1. B. Κυρίως δοξάζω σε, Θεοῦ μητέρα πάναγνον, χαῖρε σοὶ κραυγάζων τοῦ ἀγγέλου, εὐλογημένη Θεοχαρίτωτε· ἄκουσμα καὶ λάλημα φρικτὸν, ξένον ἐνδιαίτημα τοῦ δεσπότου τῆς κτίσεως.

e) Paraclit. pag. 55. col. 2. B. Ῥυομένη τοὺς ἐν σοὶ τῆς ἐλπίδος τὴν ἄγκυραν, κατέχοντας πρὸς λιμένα τοῦ Θεοῦ Θελήματος, εὐμενῶς ὁδήγησον, τῇ μητρικῇ σου παῤῥησίᾳ, εὐλογημένη πανάμωμε.

f) Ibid. pag. 56. col. 1. C. Ὑμνοῦμεν σὲ, εὐλογημένη ἄχραντε, δι' ἧς ἡμῖν ἀνε-

bata, per quam inaccessus sol iustitiae ortus nobis est, qui in mortis caligine atque umbra versabamur: tu enim nobis salutis conciliatrix facta es. » Nunc tandem [a]) dicitur: « Miser fractus animo e vitae sanctimonia excidi, sed tu, *benedicta Domina,* memet reducito, et ad Filii tui praecepta exige. » Huc autem merito revocantur tum [b]) haec *ex officio in diversas processiones et vigilias supplicationum:* « Sanctissima, Domina, omni ex parte celebranda, *benedicta,* ut benigna pro nobis exora et miserere nostri. » Tum similia passim sive [1]) in missali romano, sive in Lectionario luxoviensi, sive in sacramentario gallicano, ubi ad Missam in annuntiatione sanctae Mariae haec secreta recitatur: « Deus universalis, qui in sanctis spiritaliter, in matre vero virgine etiam corporaliter habitasti; caritate decens, pace gaudens, pietate praecellens; ab angelo gratia plena, ab Elisabeth *benedicta,* ab gentibus praedicatur beata: cuius nobis fides mysterium, partus gaudium, pacem quam in assumtione matris tunc praebuisti discipulis, nobis miserere supplicibus. »

217. Est itaque Deipara εὐλογημένη *benedicta,* sed benedicta *ut Dei habitaculum:* sed benedicta *uti Regina et genitrix Regis universorum:* sed benedicta *uti eam decebat quam solam is amavit qui est benedictus et supergloriosus:* sed benedicta *uti miserorum perfugium, spei anchora, et lux eorum qui in umbra mortis versantur:* sed benedicta *uti salutis conciliatrix, quaeque numquam a sanctitatis calle deflexerit.* Neminem porro futurum reor qui censeat, vel cum tanta benedictionis praestantia ignominiam maledictionis potuisse componi: vel uno etiam temporis puncto irae atque maledictioni fuisse obnoxiam, quam Deus unice dilexit et in qua non minus *corporaliter* quam *spiritaliter* habitavit, et omnimoda benedictionis ubertate replevit.

218. Hinc mirum accidere nullatenus debet, Deiparam esse appellarique θεομακάριστον καὶ μακαρίαν, idest eiusmodi cui nihil omnino

τειλε, τοῖς ἐν σκότει τοῦ θανατοῦ καὶ σκιᾷ, τῆς δικαιοσύνης ἄδυτος ἥλιος· σὺ γὰρ ἡμῖν τῆς σωτηρίας πρόξενος γέγονας.

a) Ibid. pag. 100. col. 2. A. Ἱερᾶς πολιτείας ἐκπέπτωκα, ἀθυμῶν ὁ δείλαιος· ἀλλ' ἐπανάγαγε, εὐλογημένη δέσποινα, προσταγαῖς τοῦ υἱοῦ σου ῥυθμίζουσα.

b) Euchology. pag. 767. C. 768. B. et 769. C. Παναγία, δέσποινα, πανύμνητε, εὐλογημένη, ὡς φιλάγαθος παρακάλεσον, καὶ ἐλέησον ἡμᾶς.

1) Apud Muratorium in Liturg. rom. pag. 812. A-B.

ad sanctitatem beatitatemque defuerit, quaeque totum possederit quod creaturarum praestantissimam, quod Dei genitricem et omnibus celebrandam laudum praeconiis deceret. Sicut enim auctore [a]) Chrysostomo, *nemo beatus praedicari debet, nisi ille solus qui secundum Deum vivit;* ita testis est locuples [b]) Gregorius nyssenus, *beatitudinem contineri quadam eorum omnium comprehensione, quae boni appellatione intelliguntur, et a qua nihil abest eorum quae pertinent ad bonorum desiderium.* Hinc Hesychii [c]) enarratio, *beatus qui in bonis semper versatur et felix est:* atque hinc non dissimilis interpretatio [d]) Suidae, *beatus qui in bonis perpetuo habitat.* Qua significatione eademque plenissima vocatur [1]) Deus, ὁ μακάριος θεός, *beatus Deus,* et [2]) simpliciter ὁ μακάριος, *beatus.*

219. Quod autem inter cetera Deiparae ornamenta et illud emineat, quo θεομακάριστος *divinitus beatificata* nuncupatur, haud obscure ex iis initio apparet quae tradit [e]) Methodius inquiens: « Tremendum enim revera, o mater virgo et spiritalis sedes glorificata Deoque digna, tuum illud (virginei conceptus) sacramentum, o tu *beata* in mulierum generationibus et *divinitus beatificata.* » Confirmat [f]) Iohannes Euchaitarum metropolita his verbis: « O puella quae *divinitus beata haberis et celebraris,* spem meam omnem in te cupide pono: salva me mater eius qui vere est vita: et deprecare, o innocens, ut sempiternis repleantur deliciis, qui in fide et amore te hymnis efferunt. » Corroborat [g]) Andreas cretensis ubi Annam sic alloquitur: « Vere quidem tu beata es ac ter beata, quae *divinitus*

a) Ad populum antioch. Hom. XVIII. Οὐδένα χρὴ μακαρίζειν, ἀλλ' ἢ τὸν κατὰ θεὸν ζῶντα μόνον.

b) De Beatitudinibus Orat. I. pag. 764. opp. T. I. Μακαριότης τίς ἐστι περίληψις πάντων τῶν κατὰ τὸ ἀγαθὸν νοουμένων, ἧς ἄπεστι τῶν εἰς ἀγαθὸν ἐπιθυμίαν ἡκόντων οὐδέν.

c) Μακάριος· ὁ πάντοτε ἐν ἀγαθῷ ὢν εὐδαίμων.

d) Μακάριος· ὁ ἐν ἀγαθοῖς πάντοτε ὤν.

e) De Symeone et Anna §. V. pag. 809. B-C. apud Gallandium T. III. Φρικτὸν γὰρ ὄντως τὸ περὶ σὲ μυστήριον, μῆτερ παρθένε, καὶ νοητὲ θρόνε δεδοξασμένε καὶ θεοῦ ὑπάξιε, μακαρία συ ἐν γενεαῖς γυναικῶν θεομακάριστε.

f) Men. die XII. Ianuarii Ode θ'. pag. 154. col. 2. C. Θεομακάριστε κόρη, τὴν ἐλπίδα μου πᾶσαν προθύμως ἀνατίθημι ἐν σοί· σῶσον με μήτηρ τῆς ὄντως ζωῆς, καὶ τροφῆς ἀεννάου πλησθῆναι καθικέτευε ἁγνὴ τοὺς ἐν πίστει καὶ πόθῳ σὲ ὕμνοις μεγαλύνοντας.

g) Orat. in Natalem sanctissimae Deiparae pag. 184. C. apud Gallandium T. XIII. Ὄν-

1) I. Tim. I. 11. 2) I. Tim. VI. 15.

beatificatam puellam peperisti, Mariam inquam, magnum illud nomen, omni laude omnique honore prosequendum. » Demonstrat [a]) Theodorus Studita qui ubi in eo est ut Virginis laudes extollat, eam dicit θεοδόξαστον *divinitus glorificatam* scribens: « O innocens *divinitus glorificata;* tu prophetice monstrabaris Dei civitas, e qua ipsemet creator tuus genitus est, qui te post partum ut antea custodivit. » Ostendit [b]) Iosephus ubi canit: « Te, o *beatissima divinitus effecta,* generationes generationum beatam iampridem depraedicant, quemadmodum prophetasti. » Atque ipse tandem probat [c]) Sophronius hierosolymitanus qui in laudes Virginis effusus inquit: « Te, *o beatificata divinitus,* generationes generationem beatam dicunt, quemadmodum olim praenunciarunt: sola namque mortalibus beatum Verbum ex te ineffabiliter incarnatum genuisti. »

220. Quibus postremis verbis admoneor, ut de alio cogitem apposito, et nonnulla promam veterum testimonia, quibus Deipara appellatione τῆς μακαρίας *beatae* insignitur. Ad quem numerum omnino spectant quae paullo superius ex Methodio laudavi, itemque spectant quae [d]) Theodorus Studita his verbis complectitur: « *O beata* Dei sponsa, quomodo genuisti sine viro, et mansisti sicut prius? Deum namque enixa es, portentum stupendum: sed ora ut salventur qui te celebrant. » Neque referri alio possunt quae [e]) his verbis Theophanes scribit: « Beati celebrantur Ioachim et Anna ut qui genuerint insigniter beatam innocentem Dei matrem, quae beatum peperit Verbum quod fideles universos beatos efficit. » Accedit [f]) au-

τως σὺ μακαρία καὶ τρισμακαρία, ἡ θεομακάριστον βρέφος ἐγκυμονήσασα, Μαρίαν τὸ πολυτίμητον ὄνομα.

a) Triod. pag. 150. col. 1. D. Προφητικῶς, ἁγνὴ θεοδόξαστε, πόλις ἐδείχθης τοῦ θεοῦ, ἐξ ἧς ἐγεννήθη αὐτὸς ὁ ποιητής σου μετὰ τόκον σε, ὡς τὸ πρὶν, διαφυλάξας.

b) Offic. Quadrag. Fer. V. Heb. III. Ieiun. Ode η'. pag. 254. Γενεαὶ γενεῶν σε, θεομακάριστε, μακαρίζουσι πάλαι, ὡς προεφήτευσας.

c) Triod. apud Mai, Spicileg. rom. T. IV. pag. 143. Γενεαὶ γενεῶν σε, θεομακάριστε, μακαρίζουσι, πάλαι ὡς προεφήτευσαν· μόνη γὰρ βροτοῖς τὸν μακάριον τέτοκας λόγον ἀπορρήτως ἐκ σοῦ σωματωθέντα.

d) Triod. pag. 265. A. Ὦ μακαρία θεόνυμφε, πῶς γεγέννηκας ἄνευ ἀνδρὸς, καὶ μεμένηκας ὡς τὸ πρότερον; θεὸν γὰρ ἀπεκύησας, τεράστιον φοβερόν· ἀλλ' αἴτησαι σώζεσθαι τοὺς ὑμνοῦντάς σε.

e) Anth°log. die VIII. Septembr. Ode ζ'. pag. 18. col. 1. A. Ἰωακεὶμ τε καὶ Ἄννα μακαρίζονται ἀποκυήσαντες τὴν μακαρίαν σαφῶς ἁγνὴν θεομήτορα, τὴν τὸν μακάριον λόγον τέξασαν, τὸν μακαρίους ἅπαντας τοὺς πιστοὺς ἀποτελοῦντα.

f) Orat. in descript. Deiparae n. 6. pag. 407. opp. Athanasii T. II. Σοῦ αὐτῆς τὴν

ctor sermonis in descriptionem Deiparae Athanasio tributi, qui sic habet: « Tuam ipsius animam, quam Magi [1]) cum stella, stella duce [2]) adorarunt: quam pastores et angeli una cum divino infante *beatam* praedicarunt: quam [3]) Iacob scalam vidit ad caelos attingentem: Moysesque ille qui Deum vidit, rubum [4]) incombustum, lucernam, arcam, tabulamque ac mensam: Aaron [5]) sine humore germinantem virgam conspexit. O plane intemerata atque inculpata! quam David [6]) arcam vocat sanctificationis: Salomon [7]) autem lectum aureum ac thronum convallemque liliorum, virtutum scilicet ut puto divinarum, et Paradisum a Deo plantatum. » Accedunt testimonia quae ab hisce non admodum distant, Tarasii [8]) constantinopolitani, Paschasii Ratberti [9]) et [10]) Fulberti carnotensis episcopi, qui relatis Deiparae verbis, *fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius,* pergit: « Quae tibi magna fecit, Domina, quae, gloriosa virgo, ut dici *beata* merearis? puto enim, imo veraciter credo, ut creatura ederes creatorem, famula Dominum generares, ut per te Deus mundum redimeret, per te illuminaret, per te ad vitam reduceret. » Consentit [11]) Hildephonsus, qui expendens Deiparae vaticinium, *ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes,* scribit: « Quapropter, quaeso, respicite terras quascumque sol suo illustrat lumine, et videte quoniam nulla iam pene est natio nullaque gens quae Christum non credat; et ubicumque Christus colitur et adoratur, venerabilis Dei genitrix Maria *beata* et felix nec non et virgo perpetua praedicatur. Et ideo, fratres, parum est ab uno vel a paucis discere, quod ab omnibus ubique praedicatur et creditur. Hoc itaque est, dilectissimi, quod dico, quia creditur. Et ecce per orbem

ψυχὴν, ἣν Μάγοι μετὰ τοῦ ἄστρου δι' ἀστέρος ὁδηγηθέντες προσεκύνησαν· καὶ ποιμένες μετὰ ἀγγέλων τῷ θείῳ βρέφει συνεμακάρισαν· ἣν Ἰακὼβ φοιτῶσαν ἕως οὐρανοὺς ἑώρακε κλίμακα· καὶ Μωϋσῆς ὁ θεόπτης, βάτον παράφλεκτον, καὶ λυχνίαν καὶ στάμνον καὶ πλάκα καὶ τράπεζαν· καὶ Ἀαρὼν, ῥάβδον ἀνίκμως βλαστήσασαν· ὦ πανάφθορε καὶ πανάμωμε, ἣν Δαβὶδ μὲν κιβωτὸν καλεῖ ἁγιάσματος· Σολομὼν δὲ κλίνην χρυσῆν, καὶ θρόνον, καὶ κοιλάδα κρινῶν· ἀρετῶν, οἶμαι, τῶν θείων, καὶ παράδεισον θεοφύτευτον.

1) Al. *μετὰ τοῦ βρέφους, cum infante.*
2) Matth. II. 2.
3) Gen. XXVIII. 18.
4) Ex. XXVI. 11.
5) Num. XVII. 8.
6) Ps. CXXXI. 8.
7) Cant. II. 1. coll III. 9.
8) Orat. in Deiparae praesent. Cf. etiam Sophronii encom. in Ioh. Baptistam p. 15. apud Mai in Spic. rom. T. IV.
9) De partu Virginis, praefat. pag. 1. apud Lucam Acherium Spicileg. T. XII.
10) Orat. in Deiparae assumpt. p. 661. col. 2. E. apud Combefisium biblioth. concionat. T. VII.
11) Ibid. Orat. in Deiparae assumpt. p. 673. col 1. A-D.

terrarum ubique in omni gente et omni lingua, beata Maria virgo pronuntiatur, et quot sunt homines, tot habet testes. Verum siquidem dixerim, quia creditur dum praedicatur. Praedicatur autem quia *vere beata* creditur esse apud Deum, et nunc fiducialius ubique pronuntiatur, quia vere et fideliter beata creditur. Tamen quod praedictum est, in omnibus adimpletur, quia in terris beata et gloriosa dicitur, in caelis vero ab omnibus sanctis conspicua collaudatur et praeclara. » De hac autem universali praedicatione testantur ecclesiarum omnium Missalia, copticum, syriacum, maroniticum, aethiopicum, romanum, gallicanum et gothicum, e quo [1]) pauca haec speciminis gratia describo : « Vere dignum et iustum est, aequum et salutare est nos tibi gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: quia hodie Dominus noster Iesus Christus dignatus est visitare mundum. Processit de sacrario corporis virginalis, et descendit pietate de caelis. Cecinerunt angeli, *gloria in excelsis*, quum humanitas claruit Salvatoris. Omnis denique turba exsultabat angelorum, quia terra regem suscepit aeternum. *Maria beata,* [2]) facta est templum pretiosum, portans Dominum dominorum : genuit enim pro nostris delictis vitam praeclaram, ut mors pelleretur amara. Illa enim viscera, quae humanam non noverant [3]) maculam, Deum portare meruerunt. »

221. E quibus mutuo, uti par est, comparatis probe assequimur : I. Deiparam praeclaris titulis *τῆς μακαρίας καὶ θεομακαρίστου beatae et divinitus beatificatae* saepissime celebrari : II. hisce eam titulis celebrari non communi quadam vulgataque significatione, sed significatione eximia, nobilissima, eiusque propria quae fuerit *civitas Dei, arca sanctificationis, Paradisus a Deo plantatus, beata in mulierum generationibus, Dei sponsa et sola Verbi genitrix :* III. hac eximia propriaque significatione ostendi, Deiparam fuisse omnigenis auctam virtutibus, et creaturis prorsus omnibus sanctimonia atque beatitate praestitisse : et IV. eo usque praestitisse, ut ipsa sola extiterit *ὄνομα πολυτίμητον nomen nullis laudum encomiis pro suo splendore celebrandum*, ipsa sola *θεομακάριστον βρέφος fetus divinitus beatificatus* ipsa sola

1) Apud Muratorium Lit. rom. pag. 521. D-E. cui adde Monium *Latein. und Griech. Messen.* pag. 126.

2) Non itaque tum primum *beata* fuit Maria quum Unigenitum concepit, sed in Unigeniti matrem selecta idcirco fuit, quod divino munere *beata* iam esset.

3) Sed quae est ac marito dicitur *macula humana?* nimirum macula originalis quae universam inficit humanitatem. Originalia ergo maculae expers fuit Maria, et habita idcirco digna est quae Deum portaret.

insigniter beata ac felix genita fuerit, ipsa sola quae *humanam non noverit* maculam, ipsa sola consors beatitudinis qua eius Filius μακάριος *beatus* audit, ipsa sola *per quam mundus redimeretur, illuminaretur et ad vitam* reduceretur, et ipsa sola digna quam *pastores et angeli una cum divino infante beatam praedicarent.*

CAPUT IV.

Exhibentur apposita affirmantia eademque superlativa, quibus Deiparae ea asseritur innocentia eaque tribuitur sanctitas, propter quam labem nullam contraxerit virtutumque omnium ornamentis enituerit.

222. Quod tum animadvertimus quum de *negantibus* epithetis dissereremus, idipsum repetamus oportet quum de epithetis affirmantibus sermonem instituimus. Sicut enim maiores nostri, quo puram ab omni naevo Deiparam significarent, nullum praetermiserunt negans epithetum sive positivo sive superlativo expressum gradu; ita quo mundissimam eiusdem innocentiam, sanctitatemque cuiusvis iusciam maculae et omnibus nitentem virtutum ornamentis efferrent, nullum affirmans epithetum sive positivum sive superlativum sibi negligendum esse existimarunt. Et de adhibitis quidem epithetis affirmantibus illisque positivis, abunde ex iis constare arbitror quae antecedenti capite non solum retulimus verum etiam explanavimus. In eo autem quod nunc adgredimur, de appositis dumtaxat affirmantibus eisdemque superlativis erimus solliciti, et operam quam poterimus diligentiorem impeudemus, ut forma atque imago virgineae innocentiae et sanctitatis cura patrum excitata et in ecclesiasticis monimentis depicta, quo fidelissime obtineri potest, contemplantium oculis subiiciatur.

223. Ut hoc autem rite perficiamus, non minimum iuverit materiem universam ita distinxisse, ut *prior articulus* ea sistat affirmantia apposita superlativa, quae talia sunt grammatica inflexione, et quorum vim potestatemque positivam superiori capite aperuimus: *alter* deinde *articulus* eadem repraesentet apposita, sed ita compositione temperata ut superlativis respondeant: *tertius* tandem iis absolvatur appositis, quae quum superlativis aequipolleant, attamen neque gradu positivo fuerunt adhibita, neque a nobis hucusque illustrata. Ad priorem itaque articulum referentur epitheta, quibus

Deipara dicitur ἁγιωτάτη *sanctissima*, ἱερωτάτη *sacratissima*, καθαρωτάτη *purissima*, καλλίστη *pulcherrima*, ὡραιοτάτη *venustissima*, θεοχαριτώτατος *Deo gratissima*, σεμνοτάτη *maxime veneranda*, et μεγαλοδοξοτάτη *summopere magnificanda*. Ad alterum ea spectabunt quibus Deipara nuncupatur παναγία *penitus sancta*, πάναγνος *penitus innocens*, πανίερος *penitus sacra*, πάνσεμνος *penitus venerabilis*, πάγκαλος *penitus pulchra*, πανευλόγητος *penitus benedicta*, παμμακάριστος *tota beatificata et* παναγιώτατος *tota sanctissima*. Postremus denique iis constabit, quibus Deipara audit, πανευπρεπής *tota decora*, πανσεβάσμιος *tota veneranda*, πολυτίμιος *honore dignissima*, πανεύφημος *penitus laude digna*, πανθαύμαστος *tota admirabilis*, πανένδοξος *tota gloriosa*, πολυώνυμος *celeberrima*, πάγκλυτος *famigeratissima*, πανύμνητος *undequaque laudabilis*, *et* πανόλβιος *tota beata*.

ARTICULUS I.

De appositis affirmantibus iisdemque superlativis quibus Deipara salutatur ἁγιωτάτη *sanctissima*, ἱερωτάτη *sacratissima*, καθαρωτάτη *purissima*, καλλίστη *pulcherrima*, ὡραιοτάτη *venustissima*, θεοχαριτώτατος *Deo gratiosissima*, σεμνοτάτη *maxime veneranda et* μεγαλοδοξοτάτη *summopere magnificanda.*

224. Omnium ore frequentatur *sanctitatis* descriptio, quam vulgatus Dionysius [a]) his omnino verbis expressit: *sanctitas est, ut more nostro loquar, ab omni scelere libera, et omnino perfecta, et omni ex parte immaculata puritas.* Deipara autem non modo vocatur sancta, sed etiam *sanctissima*, et *vere sanctissima* ac prae omnibus colenda. Praeclare [1]) Hippolytus, ubi Beronem et Heliconem haereticos humanam omnem operationem voluntatemque Christo denegantes, eo quoque nomine carpit et damnat quod: « Subsequenter et Dominam nostram *vere sanctissimam*, super omnes sanctos venerandam scilicet et laudandam, ut proprie ac non fallaciter, veraciter Dei genitricem semperque virginem, non proprie ac veraciter matrem Dei describant, sed eius qui nullo modo secundum ipsos existit, quia nullam habet operationem. » Cum Hippolyto eadem

a) De div. Nominibus cap. XII. Ἁγιότης μὲν οὖν ἐστιν, ὡς καθ' ἡμᾶς εἰπεῖν, ἡ παντὸς ἄγους ἐλευθέρα, καὶ παντελὴς, καὶ πάντῃ ἄχραντος καθαρότης.

1) De Theolog. et Incarnat. contr. Beren. et Helic. §. VI. pag. 471. C. apud Gallandium T. II.

sanctissimae appellatione Deiparam ornant [1]) vetus catena, Humbertus cardinalis [2]), Leontius episcopus Neapoleos Cypri [3]). Sophronius senior [4]) et [5]) Hildephonsus, qui illam et *sanctissimam* et *sacrosanctam* dicit. Accedit Armeniorum ecclesia, in cuius professione fidei [6]) legimus: « Ad te confugimus, *sanctissima*, superior, admirabilis et distributrix bonorum. Tu es fons sitientibus, quies laborantibus: tu fuisti receptaculum divini Verbi. » Accedunt Graeci [a]) qui, praeeunte Iosepho, canunt: « Celebrate virgines et matres laudate, populi glorificate, sacerdotes benedicite inviolatam Dei matrem. Haec enim carne adhuc puella in legale templum adducta fuit tamquam sanctissimum Domini templum. Propterea spirituale festum agitantes clamemus: salve, o Virgo, humani generis gloria. » Accedit Eustathius thessalonicensis cuius [b]) haec sunt verba: « Ideo *sanctissimae* Virginis sponsum sanctum Iosephum aliquis mirabiliter celebrarit, quod is tremendo simul suavique modo Virginem illam tamquam oculi pupillam custodierit. » Omitti tandem non debet inter Graecorum [c]) adversus Latinos criminationes et hanc [d]) sane ineptissimam censeri, quod latini *sanctissimam Deiparam simplici nomine sanctae Mariae nuncupant.*

225. Appellationi qua Deipara vocatur sanctissima, altera respondet qua dicitur *ἱερωτάτη· sacratissima*, et cuius testis inprimis est [e]) Iohannes damascenus inquiens: « *O sanctissima filia*, quae in

a) Men. die XXII. Novembris ad Matutin. pag. 163. col. 1. A. Αἰνέσατε παρθένοι καὶ μητέρες ὑμνήσατε, λαοὶ δοξολογεῖτε, ἱερεῖς εὐλογήσατε τὴν ἄχραντον μητέρα τοῦ θεοῦ· σαρκὶ γὰρ νηπιάζουσα ναῷ τῷ τοῦ νόμου προσηνέχθη, ὥσπερ ναὸς κυρίου ἁγιώτατος· διὸ ἑορτὴν πνευματικὴν τελοῦντες ἀνακράξωμεν· χαῖρε, παρθένε, δόξα τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων.

b) In hymn. pentecost. Iohannis Damasceni pag. 364. apud Mai, Spicileg. rom. T. V. Διὸ θαυμασίως τὸν τῆς ἁγιωτάτης κόρης μνηστῆρα τὸν ἅγιον Ἰωσὴφ ὕμελψε τίς γοργῶς καὶ γλυκέως φυλάξαι τὴν παρθένον, ὡς κόρην ὀφθαλμοῦ.

c) Τὰ αἰτιάματα τῆς λατινικῆς ἐκκλησίας. Apud Cotelerium monument. eccles. graec. T. III. pag. 495.

d) Ibid. pag. 502. Τὴν ὑπεραγίαν Θεοτόκον οὕτως ἁπλῶς ἁγίαν Μαρίαν καλοῦσι.

e) Orat. in diem natal. Deiparae pag. 846. A. opp. T. II. Ὦ θυγάτριον ἱερώτατον τὸ ἐπὶ μητρικαῖς φαινόμενον, καὶ φοβερὸν τοῖς ἀποστατικαῖς δυνάμεσιν.

1) Apud Combefisium bibliothec. concionat. T. VI. pag. 319. col. 1. D-E.

2) Advers. simoniacos lib. II. c. XLV. p. 763. E. apud Martenium in Thes. anecdot. T. V.

3) Orat. in Simeonem, pag. 209. col. 1. E. apud Combefisium biblioth. Concinat. T. VI.

4) Ad Paulam et Eustochium de assumpt. Virginis p. 655. col. 1. D. apud Combefisium biblioth. concionat. T. VII.

5) Orat. de Virginis assumpt. ibid. pag. 680. col. 1. B.

6) Confess. eccles. arm. pag. 39.

maternis ulnis cerneris, apostaticisque virtutibus formidabilis es! » Et [a]) rursum: « O Ioachimi et Annae *sacratissima* filia, quae principatibus et potestatibus, ignitisque maligni telis latuisti. » Et [b]) alibi: « *O sacratissima* filia feminarum decus. » Concinit [c]) Modestus Patriarcha hierosolymitanus, qui Deiparam compellans ait: « Salve *sacratissima* mater semper virgo, quae genuisti ex te incarnatum ex Spiritu sancto Christum Dei filium perfectum in divinitate et perfectum in humanitate. » Itemque concinunt Basilius pegoriotes et Leo Augustus, e quibus ille [d]) scribit: « Et corpore et spiritu laetabatur Maria immaculata illa in Templo Domini degens ceu vas *sacratissimum*. » Leo autem [e]) sic habet: « Sed caelestis ille Pater *sacratissimae* Puellae sacros parentes in hunc modum, quibus illi appetebantur opprobriis, ad se trahebat, longo temporis spatio ante excultos lumbos prolificos, ieiuniis et orationibus animum excolentes. » Neque praeteriri silentio debent qui eodem *sacratissimae* titulo Virginem honestant, Fulbertus carnotensis [1]), Hildephonsus toletanus [2]) et [3]) Petrus chrysologus. Quare [4]) in hymnis ecclesiasticis legimus:

» O Christi mater caelica,
» Fons vivus, fluens gratia,
» Lux pellens cuncta schismata,
» Maria sacratissima.

Quae ab Iosepho pariter *sacratissima* [f]) dicitur his verbis: « Te, o sacratissima, venerabilis prophetarum chorus vere praenunciat mon-

a) Ibid. pag. 846. A. Ὦ θυγάτριον Ἰωακείμ τε καὶ Ἄννης τὸ ἱερώτατον, τὸ λαθὸν τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας καὶ τὰ πεπυρωμένα βέλη τοῦ πονηροῦ.

b) Ibid. pag. 846. B. Ὦ θυγάτριον ἱερώτατον, γυναικῶν τὸ ἀγλάϊσμα.

c) Orat. in dormit. Deiparae pag. 44. A. Χαίροις ἱερωτάτη μῆτερ, ἀειπάρθενε, ἡ γεννήσασα τὸν ἐκ σοῦ σαρκωθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, τὸν ἐν θεότητι τέλειον, καὶ ἐν ἀνθρωπότητι τέλειον.

d) Antholog. die XXI. Novembris Ode ζ΄. pag. 133. col. 1. D. Καὶ σώματι καὶ πνεύματι ἔχαιρε σχολάζουσα Μαρία ἡ ἄμωμος ἐν τῷ ναῷ κυρίου, ὥσπερ σκεῦος ἱερώτατον.

e) Orat. in s. Mariae nativit. apud Combefis. Auctar. T. I. col. 1609. B. Ἀλλὰ τοὺς μὲν τῆς ἱερωτάτης παιδὸς ἱεροὺς γονέας, οὕτως ἐφ' οἷς τὴν στείρωσιν ὠνειδίζοντο πρὸς ἑαυτὸν ὁ οὐράνιος μεθεῖλκε πατὴρ, ἐπὶ πλεῖστον χρόνον πρὸ τῆς γεωργίας τῶν τεκνοποιῶν κόλπων νηστείαις καὶ δεήσεσι τὴν ψυχὴν γεωργοῦντας.

f) Men. die XVIII. Septembris Ode η΄. pag. 124. col. 1. E. Ἱερωτάτη προφητῶν, σὲ

1) Orat. in Virginis assumpt. pag. 660. col. 2. B. apud Combefisium biblioth. concionat. T. VII.

2) Ibid. Oratt. in Virginis assumpt. pag. 670. col. 2. E. 671. col. 2. et 679. col. 2. C.

3) Ibid. Orat. in Deiparae annunt. pag. 372. col. 1. B-E. col. 2. A. T. VI.

4) Thesaur. hymnolog. T. I. pag. 294.

tem intactum, virgam et portam, per quam, uti novit, ingressus est Altissimus, illamque vicissim clausam, o Virgo, reliquit. »

226. Utrumque titulum *sanctissimae* et *sacratissimae* tertius excipit, quo Deipara *καθαρωτάτη purissima* nuncupatur. Et huius quidem tituli testis est non ultimus [a]) Philotheus Patriarcha scribens: « Verbum sponsus quum te intemeratam, o Dei mater, inter medias spinas compererit ceu *purissimum* lilium floremque convallium, in tuo utero habitavit. » Testis est [b]) Basilius pegoriotes inquiens: « *Purissimum* Salvatoris templum, thalamus summo dignus honore idemque virgineus, sacer divinae gloriae thesaurus hodie in domum Domini inducitur, secum gratiam ferens quae est in Spiritu divino. Illam (Deiparam) Angeli Dei exaltant: ipsa est caeleste tabernaculum. » Testis [c]) Leo magister, cuius ista sunt verba: « Hodie *purissimum* Dei templum, ceu triennis iuvenca, in sancta sanctorum inducitur. » Testis [d]) Proclus qui sinum Deiparae vocat: « *Purissimam* virginitatis officinam. » Testis [e]) Iohannes damascenus qui tremendam describens Verbi incarnationem ait: « Atque tunc ei (Virgini) obumbravit subsistens Dei altissimi sapientia et virtus, Dei Filius, ille Patri consubstantialis; sibique ex sanctis eius *purissimisque* sanguinibus carnem compegit anima rationali et intelligente animatam, ipse factus eius hypostasis. » Et testes [f]) Graeci omnes qui de Deipara unanimes canunt:

προγράφει ἀληθῶς σεμνὴ χορεία, ἀλατόμητον ὄρος, ῥάβδον καὶ πύλην, δι᾽ ἧς διῆλθεν, ὡς οἶδεν, ὁ ὕψιστος, πάλιν κεκλεισμένην ἐάσας σε, παρθένε.

a) Antholog. die XXVI. Octobris Ode ς'. pag. 85. col. 2. C. Ἄσπιλον τῶν ἀκανθῶν ἐν μέσῳ εὑράμενος, ὡς καθαρώτατον κρίνον καὶ κοιλάδων ἄνθος, ὦ θεομῆτορ, ὁ νυμφίος ἐν τῇ γαστρί σου λόγος ἐσκήνωσεν.

b) Antholog. die XXI. Novembris Ode ς'. pag. 132. col. 1. D. Ὁ καθαρώτατος ναὸς τοῦ σωτῆρος, ἡ πολυτίμητος παστὰς καὶ παρθένος, τὸ ἱερὸν θησαύρισμα τῆς δόξης τοῦ θεοῦ, σήμερον εἰσάγεται ἐν τῷ οἴκῳ κυρίου τὴν χάριν συνεισάγουσα τὴν ἐν πνεύματι θείῳ· ἣν ἀνυμνοῦσιν ἄγγελοι θεοῦ, αὕτη ὑπάρχει σκηνὴ ἐπουράνιος.

c) Antholog. pag. 136. col. 1. A. Σήμερον τὸ καθαρώτατον ἁγίασμα, ὡς τριετίζουσα δάμαλις, εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων εἰσάγεται.

d) Orat. in Deiparam Mariam §. XIII. pag. 641. D. apud Gallandium T. IX. Τὸ καθαρώτατον τῆς παρθενίας ἐργαστήριον.

e) Dissert. adver. Nestorianos §. XLIII. pag. 84. apud Canisium Lectt. antiquar. T. II. Καὶ τότε ἐπεσκίασε ἐπ᾽ αὐτὴν ἡ τοῦ θεοῦ τοῦ ὑψίστου ἐνυπόστατος σοφία καὶ δύναμις, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, ὁ τῷ πατρὶ ὁμοούσιος, καὶ συνέπηξε ἑαυτῷ ἐκ τῶν ἁγίων καὶ καθαρωτάτων αὐτῆς αἱμάτων, σάρκα ἐψυχωμένην ψυχῇ τε καὶ νοερᾷ, αὐτὸς γεγονὼς αὐτῆς ὑπόστασις.

f) Men. die XIV. Decembris ad Vesper. pag. 114. col. 1. B. Σὺ τὸ καθαρώτατον τοῦ βασιλέως παλάτιον.

« Tu *purissimum* Regis palatium. » Graecis autem perspicue suffragantur Armenii, Copti atque Latini. Suffragantur Armenii, uti [1]) ex Nersete claiensi manifestum est qui *purissimae* titulum Virgini defert. Suffragantur Copti, uti [2]) liquet ex Missali alexandrino et Basilii Anaphora in qua legimus: « Memento, Domine, omnium sanctorum qui tibi placuerunt ab initio, praecipue gloria plenae, semper virginis, Dei genitricis, sanctae *purissimae* Mariae. » Et suffragantur Latini, quemadmodum plane constat tum [3]) ex ipsorum officiis ac hymnis, tum ex hac [4]) Anselmi pientissima prece: « O alma virgo Maria, tanto omnibus angelorum spiritibus, omnibusque electorum animabus, in cuncta Filii tui Christi Domini nostri hereditate es gloriosior; quanto ab ipso fieri meruisti beatior. O sancta Dei genitrix, omnium creaturarum dignissima atque *purissima*, caecorum cordium oculos terge, atque semitas iustitiae nobis ostende. »

227. Porro quae sanctissima fuit, sacratissima et purissima, eadem esse dicique debuit *pulcherrima*, et *venustissima*. Et *καλλίστη* *pulcherrima* quidem dicta fuit [a]) ab Epiphanio, qui ea de caussa Colliridianos gravissime exagitans quod Mariam oblatis sacrificiis honorarent, scripsit: « Etsi Maria *pulcherrima* fuerit et sancta et honore dignissima, non idcirco tamen adoratione prosequenda. » Eodemque *pulcherrimae* titulo insigniri [b]) a Graecis consuevit, qui de ea, praeeunte Iosepho hymnographo, canunt: « Ingrediebaris, *pulcherrima*, in stadium martyrii fideliter annuncians cum duobus fratribus Christum Deum nostrum. Amore namque enutrita spiritalia vere vasa Christi Ecclesiae hos effecisti: ideo etiam cum illis sociata es testis in supernam vitam. » Et chorum agente [c]) Proclo

a) Haeres. LIX. al. LXXIX. §. VII. pag. 1065. B. opp. T. I. Καὶ εἰ καλλίστη ἡ Μαρία, καὶ ἁγία, καὶ τετιμημένη, ἀλλ᾽ οὐκ εἰς τὸ προσκυνεῖσθαι.

b) Antholog. die I. Septembris pag. 4. col. 2. D. Εἰσῆλθες ἐν τῷ σκάμματι τοῦ μαρτυρίου πιστῶς, καλλίστη, κηρύττουσα σὺν τοῖς δυσὶν ἀδελφοῖς Χριστὸν τὸν Θεὸν ἡμῶν· πόθῳ γὰρ θρεψαμένη νοερὰ σκεύη ὄντως τῆς Χριστοῦ ἐκκλησίας ἀπετέλεσας τούτους· διὸ καὶ συνημμόσθης αὐτοῖς μάρτυς εἰς τὴν ἄνω ζωήν.

c) Men. die XX. Novembris Ode η'. pag. 147. col. 2. E. Ἰδοὺ, πρεσβύτα σοφώ-

1) Epist. IV. quae est *libellus confessionis fidei ecclesiae armeniae scriptus a Nersete archiepiscopo Domini Gregorii armeniorum catholici fratre, poscente honoratissimo Alexio supremo exercitus duce, genero Manuelis graecorum Imperatoris, quum Orientem petiit, degebatque Mopsuestiae Ciliciae metropolis.* pag. 174. opp. T. 1.

2) Apud Assemanum cod. Liturg. T. IV. P. IV. pagg. 61-63.

3) Thesaur. hymnolog. pag. 206. T. 1.

4) Orat. LIV. ad Deiparam p. 283. col. 1. C-D.

repetunt: « Ecce, sapientissime senex, pie dixit Anna, *pulcherrimam* filiam quam mihi Deus dedit: hanc accipe et splendide annuncia fore ut ipsa sola ad effectum perducat vaticinia. » Eadem utitur appellatione [a]) vulgatus nazianzenus Gregorius, a quo Virgo coniunctim dicitur *pulcherrima, veneranda, castissima Maria.* Et eadem ipse quoque utitur [1]) Hildephonsus toletanus scribens: « Perpendite matrem Domini, quae [2]) *quasi vitis fructificavit sanctitatem odoris*, et protulit cunctis gentibus *fructus honestatis* et gratiae. Floruit ut mater glorificata, ut mater pulchrae dilectionis et timoris, ut mater agnitionis Dei et spei, in qua gratia omnis, spes vitae et virtutis, et quae sola refulsit virgo sancta inter filias, ac si lilium inter spinas. Virgo prudens, virgo pudicissima, virgo *pulcherrima* et fecunda, corpore decora atque integra, animo fulgida, fide perspicua, vita praeclara. » Alterum vero ornamentum, quo ὡραιοτάτη *venustissima* dicitur, confirmat [b]) Germanus constantinopolitanus Antistes his verbis: « O Dei sponsa apparuisti thalamus *venustissimus*, thronus Dei altissimus, in quo ipse carne laetatus sedentes in tenebris perditionis ad lucem cognitionis sua bonitate excitabit. » Confirmat et [c]) Iosephus hymnographus qui Deiparam compellans ait: « *Venustissima* Virgo apparuisti sinu gestans venustissimum Verbum, cui psallimus: benedicite opera Domini Domino. » Hildephonsus [3]) eam vocat *speciosissimam*, et [4]) in hymnis ecclesiasticis de ea dicitur:

» O Christi mater fulgida,
» Scatens fons omni gratia,
» Lux pellens quaeque nubila,
» Maria *venustissima*.

τατε, ἡ Ἄννα ἔφησεν εὐλαβῶς, καλλίστην παῖδα ἥν δέδωκέ μοι θεός, λαμπρῶς ὑποδέχου καὶ προφήτευε, μόνην μέλλουσαν εἰς πράγματα προφέρειν τὰ κηρύγματα.

a) Trag. Christ. patiens. vv. 131-560. pagg. 1214-1240. Καλλίστα, πότνια, σεμνοτάτα Μαρία.

b) Antholog. die VII. Septembris Ode α΄. pag. 16. col. 2. C. Νυμφὼν ὡραιότατος, θρόνος θεοῦ ὑψηλότατος ἐδείχθης, θεόνυμφε, ἐν ᾧ καθήσας σαρκὶ καθημένους τὲ ἐν σκότει ἀπωλείας ἐγερεῖ πρὸς γνώσεως φῶς ἀγαθότητι.

c) Men. die V. Iunii Ode η΄. pag. 22. col. 1. A. Ὡραιοτάτη παρθένε ἀνεδείχθης τὸν ὡραιότατον λόγον κυοφοροῦσα, ᾧ ψάλλομεν· εὐλογεῖτε τὰ ἔργα κυρίου τὸν κύριον.

1) Orat. in Deiparae assumpt. pag. 667. col. 1. D-E. apud Combefisium biblioth. concionat. T. VII.

2) Eccl. XXIV. 23-25.

3) Orat. in Deiparae assumpt. pag. 681. col. 2 C-D. apud Combefisium biblioth. concionat. T. VII.

4) Thesaur. hymnolog. pag. 285. T. I.

228. Et oportebat enimvero ut venustissima foret, cui Deus summopere benedixit, quam donis omnibus locupletavit, quaeque suo merito suaque praestantia θεοχαριτώτατος *Deo gratiosissima* nominatur. Quo sane nomine illam Sophronius [a]) exornans inquit: « Gaude benedicta *Deo gratiosissima*, Dominus tecum qui mortem abstulit, hominemque a maledicto solvit tua mediatione, o Domina eademque mater et virgo. » Et [b]) rursum: « Ave lapsorum erectio, ave maledictionis solutio, *Deo gratiosissima*, ave porta impervia, ave lucis nubes, ave quae gaudium mundo salutiferum peperisti, ave terra non subacta, ave praesidium clamantium, Dominum laudate. » Neque minori verborum splendore Iosephus melodus [c]) Deiparam vocat θεοχαριτώτατον *Deo gratiosissimam* scribens: « Tu, o inter mulieres benedicta atque *Deo gratiosissima*, naturam nostram praevaricatione corruptam renovasti pariens eum qui omnia refingit. » Auctor tragoediae quae inscribitur *Christus patiens*, quaeque Gregorio nazianzeno tribui consuevit, Virginem [1]) appellat σεμνοτάτην *maxime venerandam;* deque ea [d]) Theodorus studita scribit: « O innocens et *divinitus glorificata*, prophetice demonstrata es Dei civitas, ex qua ipse factor tuus genitus est. » Quare Iohannes damascenus [e]) ut aliquo tandem pacto magnitudinem excellentiamque Deiparae significaret, eidem acclamavit tamquam *multo gloriosissimae et luciferae matri Dei nostri ac Salvatoris.*

229. Si quae igitur ad maiorum praescriptum Deiparae species depingenda sit, ea non aliis poterit excitari coloribus quam quibus

a) Triod. apud Mai, Spicileg. rom. T. IV. pag. 181. Χαίροις εὐλογημένη θεοχαριτώτατε, μετὰ σοῦ ὁ κύριος ὁ καθελὼν τὸν θάνατον, καὶ λύσας τὸν ἄνθρωπον τῆς κατάρας, δέσποινα, μεσιτείᾳ σου, μητροπάρθενε.

b) Ibid. pag. 187. Χαῖρε πεσόντων ἐπανόρθωσις, χαῖρε κατάρας λύσις, θεοχαριτώτατε, χαῖρε πύλη ἀδιόδευτε, χαῖρε φωτὸς νεφέλη, χαῖρε τεκοῦσα κόσμῳ τὴν σωτήριον χαρὰν, χαῖρε γῆ ἀγεώργητε, χαῖρε βοώντων σκέπη, τὸν κύριον ὑμνεῖτε.

c) Men. die XVIII. Februarii Ode ϛʹ. pag. 152. col. 2. A. Φθαρεῖσαν τὴν ἡμῶν ἐκ παραβάσεως οὐσίαν ἀνεκαίνισας τὸν καινίζοντα τὰ πάντα κυήσασα, ἐν γυναιξὶν εὐλογημένη θεοχαριτώτατε.

d) Κανὼν ψαλλόμενος εἰς τὴν ἀναστήλωσιν τῶν ἁγίων εἰκόνων, in Thesaur. hymnolog. T. III. pag. 106. et apud Baronium ad annum 842. Προφητικῶς, ἁγνὴ θεοδόξαστε, πόλις ἐδείχθης τοῦ θεοῦ, ἐξ ἧς ἐγεννήθη αὐτὸς ὁ ποιητής σου.

e) Orat. in annuntiat. Deiparae pag. 835. D. opp. T. II. Τῇ μεγαλοδοξοτάτῃ καὶ φωτοφόρῳ μητρὶ τοῦ θεοῦ ἡμῶν καὶ σωτῆρος.

1) Trag. Christ. pat. pag. 1244. v. 647.

exhibetur uti *sanctissima*, *sacratissima*, *purissima*, *pulcherrima*, *venustissima*, *Deo gratiosissima*, *maxime veneranda* et *oppido gloriosissima*. Immo non aliis poterit excitari coloribus quam quibus tamquam *sanctissima* ita exhibetur, ut sit *vere sanctissima*, *humani generis decus*, *gloriosissima prae angelis*, *creaturarum omnium dignissima ac purissima* et *supra sanctos omnes veneranda*, atque idcirco *ignitis Satanae telis impervia*, *apostaticis virtutibus tremenda*, *lilium medias inter spinas purissimum*, *venustissima mater venustissimi filii*, *maledietionis solutio*, *lapsorum erectio*, *humani generis mediatrix*, *quaeque per Filium humanam naturam praevaricatione corruptam instauravit ac refinxit*. Quisquis porro cernit, talem esse hanc Virginis speciem, et talem hisce expressam coloribus eiusdem imaginem, ut non minus ab ipsa omnis culpae naevus longissime abhorreat, quam cum ipsa omnia virtutum ornamenta penitissime copulentur.

ARTICULUS II.

De appositis quibus Deipara vocatur παναγία *penitus sancta*, πάναγνος *penitus innocens*, πανίερος *undequaque sacra*, πάνσεμνος *omni ex parte venerabilis*, πάγκαλος *undequaque pulchra*, παντευλόγητος *penitus benedicta*, παμμακάριστος *plene beata et* παναγιώτατος *undequaque sanctissima*, *quaeque quum superlativis significandi potestate aequipolleant*, *non minus Virgini plenissimam deferunt innocentiam*, *quam omnem ab ipsa culpae labem removeant*.

230. Si quae habeatur creata natura, cui pro insito creaturae modo, proque selecto providentiae ordine, *penitus et undequaque* competat et *omni ex parte* tribui debeat *sanctitatis perfectio*, *omni ex parte perfectio innocentiae*, *omni ex parte perfectio sacri*, *omni ex parte perfectio venerationis*, *omni ex parte perfectio pulchritudinis*, *omni ex parte perfectio supernae benedictionis* et *omni ex parte perfectio beatitatis*; necesse omnino erit ut duo potissimum de ipsa affirmentur. Ac principio affirmandum erit, nihil ipsi cum culpa esse posse commune, et nihil quod cum peccati labe consortium cognationemque praeseferat. Tum affirmandum erit, quaecumque sunt omnia virtutum insignia, donorumque ornamenta in ipsam praeclarissime convenire. Utrumque enim cum omnimoda sanctitatis, innocentiae, pulchritudinis, benedictionis et beatitatis perfectione consertum sic

est, ut ab ea divelli ne cogitando quidem posse videatur. Atqui ipsa est Deipara, cui epithetis, quae significatione superlativis respondent, omnimoda sanctitatis, innocentiae, ceterorumque charismatum perfectio luculentissime defertur.

231. Et illi quidem defertur omnimoda *ἁγιότητος sanctitatis* perfectio, quum titulo [1]) *τῆς παναγίας sanctissimae* decoratur. Quo sane titulo illam decorat [a]) Basilius seleuciensis inquiens: « O virgo *sanctissima*, ut quis honesta quaeque ac gloriosa de te loquatur, haud quidem ille aberrabit a veritate, sed pro merito haud fuerit satis. » Decorat [b]) Andreas cretensis, qui de Deipara templum ingressa ait: « Tunc sane tunc temporis patuerunt sancta sanctorum, Sancti matre *sanctissima* intra adyta sinu recepta. » Decorat [c]) Iohannes Euchaita, qui Virginem compellans inquit: « O Virgo *penitus sancta*, firma mundi spes, tutela ac praesidium, ne, bona, despicias preces servorum qui te ex animo beatam semper celebrant. » Decorat [d]) Theodorus studita qui Virginem precatur his verbis: « Regina *undequaque sancta* ac Dei genitrix, suscipe servorum tuorum preces, illasque offer universorum Deo, ut ipse nos ab omni tentatione servet. » Decorat [e]) Methodius qui Mariam vocat *omni ex parte sanctam virginem matrem*. Decorant Germanus et Ignatius melodus, e quibus alter [f]) scribit: « Quum templum sacrumque sis Verbi habitaculum, o Dei genitrix, mihi esto, *sanctissima* Dei sponsa, delictorum pia-

a) Orat. In ss. Deigenitricem et Incarnat. Dom. Nostri Iesu Christi, col. 599. B. apud Combefisium Auctar. T. I. *Ὦ παναγία παρθένε, περὶ ἧς ὁ πάντα λέγων σεμνά τε καὶ ἔνδοξα, οὐ διαμαρτάνει μὲν τῆς ἀληθείας· διαμαρτάνει δὲ τῆς ἀξίας.*

b) In nativit. Deiparae pag. 98. apud Gallandium T. XIII. *Τότε δὴ τότε τὰ τῶν ἁγίων ἀνεῴγνυντο ἅγια, τὴν παναγίαν τοῦ ἁγίου μητέρα εἴσω τῶν ἀδύτων ἐγκολπωσάμενα.*

c) Triod. pag. 133. col. 1. C. *Ἐλπὶς τοῦ κόσμου κραταιὰ, σκέπη καὶ προστασία, παναγία παρθένε, μὴ παρίδῃς ἀγαθὴ τὴν δέησιν οἰκετῶν τῶν ἐκ πόθου σὲ μακαριζόντων ἀεί.*

d) Triod. pag. 188. col. 2. D. *Παναγία δέσποινα, θεοτόκε, τὰς εὐχὰς τῶν δούλων σου δεχομένη προσένεγκε τῷ πάντων Θεῷ, ἵνα σώσῃ ἡμᾶς ἀπὸ παντὸς πειρασμοῦ.*

e) De Simeone et Anna §. III. pag. 807. D. apud Gallandium T. III. *Τὴν παναγίαν παρθενομήτορα.*

f) Men. die XIII. Martii Ode *γ'*. pag. 59. col. 1. B. *Ναὸς καὶ ἱερὸν κατοικητήριον τοῦ λόγου ὑπάρχουσα, θεοτόκε, τῶν πταισμάτων ἱλαστήριον, παναγία, γενοῦ μοι, θεονύμφευτε.*

1) Monuimus enim, quod omnes norunt, eam ex sese vim esse *τοῦ πᾶν* in compositione, ut totam exprimat perfectionem eius rei quae *praedicato* effertur, proindeque ostendat *subiectum* de quo illud proprie adhibetur, totum esse tale, cuiusmodi adiectivo simplici demonstratur.

culum. » Germanus vero [a]) interrogat : « Quid autem etiam nobis fiat, *o sanctissima* Dei genitrix, quae christianorum spiritus et vita existis ? »

232. Similia habet [b]) Theophanes inquiens : « Totam sempiternam lucem, o puella, iis qui te laudant peperisti, Christum sine semine carne induens: eum propitium redde, *o sanctissima* virgo Dei sponsa, ut ab inimici tentationibus omnes servet. » Similia habentur [c]) in veteri quadragesimali officio : « Malorum meorum procellas comprime, animae meae vulnera sana, me e socordiae excute somno mediatione tua, defensione tua, o domina *undequaque sancta,* Virgo mater. Quae in utero tuo Deum ut hominem gestasti, vitamque orbi effudisti, te, o virgo *penitus sancta,* hymnis efferimus. O domina *penitus sancta,* spes mea atque refugium, animae meae vulneribus medere, praebe menti meae pacem, ut ego laetus, o Deipara semper virgo, tua magnalia celebrem. » Similia [d]) in Euchologio : « *Sanctissima* Deipara, Salvatoris mater, servos tuos periculis atque omni angustia eripe. *Sanctissima* virgo, sanctissimi Verbi genitrix, in tabernaculis iustorum sanctorum tuorum interventu eum, qui e terris migravit, requiescere expostula, tu quae fidelium protectrix haberis. Refugium christianorum et eorum qui graviter iactantur auxiliatrix, o virgo *undequaque sancta,* ne servum tuum periculis immersum et ad tuam validam protectionem se recipientem

a) Orat. in s. Mariae Zonam, pagg. 237-238. *Τί δὲ ἄρα καὶ γενησόμεθα, ὦ παναγία θεοτόκε, ἡ τῶν χριστιανῶν πνοὴ καὶ ζωή;*

b) Men. die VIII. Februarii Ode *ϛ'*. pag. 49. col. 1. D. *Ὅλον τέτοκας κόρη τὸ φῶς τὸ αἰώνιον τοῖς ἀνυμνοῦσί σε, τὸν Χριστὸν ἀσπόρως σωματώσασα· ὃν ἐξιλέωσαι τοῦ σωθῆναι πάντας ἐκ πειρασμῶν τοῦ ἀλλοτρίου, παναγία παρθένε θεόνυμφε.*

c) Offic. Quadrag. pagg. 46. C, 53. A. et 265. C. *Κατεύνασον τὸν τάραχον τῶν παθῶν μου, θεράπευσον τὰ τραύματα τῆς ψυχῆς μου, ἐξέγειρον ἐξ ὕπνου με ῥαθυμίας τῇ μεσιτείᾳ σου, τῇ προστασίᾳ σου, παναγία δέσποινα, μητροπάρθενε· ἡ ἐν γαστρί σου τὸν Θεὸν, ὡς βροτὸν, βαστάσασα, καὶ ζωὴν τῷ κόσμῳ πηγάσασα, σὲ ὑμνοῦμεν, παναγία παρθένε· παναγία δέσποινα, ἡ ἐλπίς μου, καὶ καταφυγὴ, τὰ τραύματα τῆς ἐμῆς ἴασαι ψυχῆς, τὸν νοῦν μου εἰρήνευσον, ἵνα κἀγὼ χαίρων ἀνυμνῶ τὰ μεγαλεῖα σου, Θεοτόκε ἀειπάρθενε.*

d) Euchelog. pagg. 443. B. 584. D. et 727. B. *Παναγία Θεοτόκε, ἡ τεκοῦσα τον σωτῆρα, κινδύνων διάσωσον καὶ πάσης ἄλλης ἀνάγκης τοὺς δούλους σου· παναγία παρθένε, ἡ τὸν ὑπεράγιον λόγον κυήσασα, ἐν σκηναῖς δικαίων μεσιτείαις ἁγίων σου αἴτησαι ἐπαναπαυθῆναι τὸν ἀπὸ γῆς νῦν μεταστάντα, προστασία τῶν πιστῶν χρηματίζουσα· καταφυγὴ χριστιανῶν, βοηθὲ τῶν ἐν δεινοῖς χειμαζομένων, παναγία παρθένε, μὴ ὑπερίδῃς τὸν σὸν οἰκέτην κινδύνοις ποντούμενον, καὶ τῇ κραταιᾷ σου προσφυγόντα νῦν σκέπῃ.*

asperneris. » Similia [a]) in veterum codicum inscriptionibus, cuiusmodi haec est : « Historia Iacobi de nativitate *sanctissimae* Deiparae. » Similia [b]) in Hippolyti excerptis : « Creator omnium ex *sanctissima* semper virgine Maria, conceptu puro, sine mutatione animam intelligentem cum corpore sentiente sibi substantialiter uniens, factus est homo, natura a peccato alienus Deus, Verbum idem, Deus totus, idem item homo totus, divinitate quidem divina operans per *sanctissimam* suam carnem, quae natura non erant carnis, humanitate vero humana, quae natura non erant divinitatis. » Et similia passim [1]) in Menaeis, in Paracletice [2]) atque [3]) in Anthologio recurrunt. Speciminis gratia conferre iuverit tum haec [c]) ex Anthologio : « O miraculum inauditum ! fons vitae ex sterili nascitur, gratia frugum primitias splendide profert : laetare Ioachim qui Deiparae factus es genitor : non est alter terrenorum patrum tui similis, o afflate divinitus : puella namque Dei capax, Dei tabernaculum, mons *undequaque sanctus* per te nobis donatus est. » Tum haec [d]) ex eodem libro : « Ecquis te, Virgo *undequaque sancta*, non beatam dicet ? » Quibus haec penes Coptos [e]) solemnia respondent : « Quid te, o Virgo *undequaque sancta*, appellabo ? Tu incomprehensibilem simul-

a) Ἱστορία Ἰακώβου εἰς τὴν γένεσιν τῆς παναγίας θεοτόκου. Apud Carolum Thilo in cod. Apocryph. novi Test. proleg. pag. LVI.

b) Excerpt. Hippolyt. cap. VIII. pag. 18. apud Henricum Canisium Lectt. antiq. T. I. Ὁ τῶν ὅλων δημιουργὸς ἐκ τῆς παναγίας ἀειπαρθένου Μαρίας, κατὰ σύλληψιν ἄχραντον, δίχα τροπῆς, ἑνουσιώσας ἑαυτῷ ψυχὴν νοερὰν μετὰ αἰσθητικοῦ σώματος, γέγονεν ἄνθρωπος φύσει κακίας ἀλλότριος, ὁ λόγος θεὸς ὁ αὐτός· θεότητι μὲν τὰ θεῖα διὰ τῆς αὐτοῦ παναγίας σαρκὸς, οὐκ ὄντα φύσει τῆς σαρκὸς, ἐνεργῶν· ἀνθρωπότητι δὲ τὰ ἀνθρώπινα, οὐκ ὄντα φύσει θεότητος.

c) Anthol. pag. 27. col. 2. D. Ὢ τοῦ παραδόξου θαύματος ! ἡ πηγὴ τῆς ζωῆς ἐκ τῆς στείρας τίκτεται, ἡ χάρις καρπογονεῖν λαμπρῶς ἀπάρχεται· εὐφραίνου Ἰωακεὶμ τῆς θεοτόκου γεννήτωρ γενόμενος· οὐκ ἔστιν ἄλλος ὡς σὺ τῶν γηγενῶν γεννητόρων, θεόληπτε· ἡ γὰρ θεοδόχος κόρη, τοῦ θεοῦ τὸ σκήνωμα, τὸ πανάγιον ὄρος διὰ σοῦ ἡμῖν δεδώρηται.

d) Anthol. pag. 59. col. 2. A-D., coll. pag. 62. col. 2., A. Τίς μὴ μακαρίσει σὲ, παναγία παρθένε.

e) Theoloch. pag. 125.

Ⲁⲓⲛⲁⲙⲟⲩϯ ⲉⲣⲟ ϫⲉ ⲛⲓⲙ ⲱ ϯⲡⲁⲛⲁⲅⲓⲁ ⲙ̀ⲡⲁⲣⲑⲉⲛⲟⲥ : ϫⲉ ⲁⲣⲉϥⲁⲓ ϧⲁ ⲡⲓⲁⲧϣⲧⲁϩⲟϥ : ⲟⲩⲟϩ ⲛ̀ⲁⲭⲱⲣⲏⲧⲟⲥ ⲉⲧⲥⲟⲡ ⁘

Ⲥⲉⲟϣ ⲅⲁⲣ ⲛ̀ϫⲉ ⲡⲉⲉⲩⲫⲱⲙⲓⲁ ⲱ ⲑⲏⲉⲧⲥⲉⲗⲥⲱⲗ ϧⲉⲛ ⲧⲁⲓⲟ ⲛⲓⲃⲉⲛ : ϫⲉ ⲁⲣⲉϣⲱⲡⲓ ⲛ̀ⲟⲩⲙⲁⲛϣⲱⲡⲓ ⲛ̀ϯⲥⲟⲫⲓⲁ ⲛ̀ⲧⲉ ⲫϯ ⁘

1) Men. Ianuar. pag. 8. col. 1. B., Mart. p. 50. col. 1. A., Febr. pag. 39. col. 2. D. et pag. 51. col. 2. C.

2) Paraclit. pag. 232. col. 2. D.

3) Anthol. pag. 8. col. 1. B., pag. 15. col 2. C., pag. 92. col. 1. B., pag. 100. col. 2. D.

que immensum portasti. Plurima sunt encomia tua, tuque omni honore decorata es, quia fuisti sapientiae habitatio. »

233. Quemadmodum vero sanctitatis perfectio, ita suis expleta numeris *ἁγνεία innocentia* Deiparae asseritur, quum ipsa *πάναγνος penitus innocens* appellatur. Qua appellatione illam insignit [a]) Sophronius scribens: « Gaude gaudii caussa, gaude maledictionis expultrix, gaude orthodoxorum gloria, laudantium te perfugium, Dei genitrix *penitus innocens*, per quam a corruptione liberati sumus. » Insignit [b]) Tarasius ubi ait: « Quae te demisisti, salva me qui superba sapiens vitam exigo, tu quae genuisti exaltantem depressam naturam, *o tota innocens*. » Insigniunt [1]) Ignatius et Iohannes Monachus, quorum posterior [c]) inquit: « Gaudens clamo ad te, inclina aurem tuam, mihique attende virgineam Dei conceptionem celebranti: eam namque coram Deo invenisti gratiam, quam nulla umquam alia, *o penitus innocens*, invenit. » Insigniunt Georgius nicomediensis et Cosmas e quibus ille [d]) sic habet: « Ne penitus timeas, o puella, ignis divinitatis tuum sinum non aduret: te namque olim, *o undequaque innocens,* praemonstravit rubus igneus ille quidem sed non combustus. » Cosmas vero [e]) scribit: « Christus Dominus factor et redemptor meus, *o penitus innocens,* ex utero tuo prodiens meque induens Adamum ab antiqua maledictione liberavit: quare ad te, *o prorsus innocens,* tamquam ad Dei matrem et virginem, ut qui

a) Triod. apud Mai, Spicileg. rom. T. IV. pag. 181. *Χαῖρε τῆς χαρᾶς ἡ αἰτία, χαῖρε κατάρας ἀνηρέτις, χαίροις ὀρθοδόξων τὸ κλέος, τῶν σὲ ὑμνούντων τὸ καταφύγιον, Θεογεννῆτορ πάναγνε, δι' ἧς φθορᾶς ἐλευθερώθημεν.*

b) Men. die XXV. Maii Ode δ'. pag. 98. col. 2. A. *Ταπεινώσασα σῶσόν με τὸν ὑψηλοφρόνως πολιτευόμενον ἡ τεκοῦσα τὸν ὑψώσαντα τὴν ταπεινωθεῖσαν φύσιν, πάναγνε.*

c) Men. die XXV. Martii Ode α'. pag. 114. col. 1. D. *Βοῶ σοι γηθόμενος· κλῖνον τὸ οὖς σου καὶ πρόσχες μοι θεοῦ καταγγέλλοντι σύλληψιν ἄσπορον· εὗρες χάριν γὰρ ἐνώπιον κυρίου, ἣν εὗρεν οὐδέποτε ἄλλη τις, πάναγνε.*

d) Men. die XXIV. Martii Ode ς'. pag. 102. col. 1. B. *Οὐ φλέξει μὴ δειλιάσῃς ὅλως τὴν μήτραν σου πῦρ τῆς θεότητος, κόρη· ἡ γὰρ βάτος πάλαι σὲ προετύπου καιομένη οὐδαμῶς φλεγομένη δὲ, πάναγνε.*

e) Pentecostar. pag. 52. col. 1. D. *Ὁ ποιητὴς καὶ λυτρωτής μου, πάναγνε, Χριστὸς ὁ κύριος ἐκ τῆς σῆς νηδύος προελθὼν ἐμὲ ἐνδυσάμενος, τῆς πρώην κατάρας τὸν Ἀδὰμ ἠλευθέρωσε· διό σοι, πάναγνε, ὡς τοῦ θεοῦ μητρί τε καὶ παρθένῳ ἀληθῶς βοῶμεν ἀσιγήτως τὸ χαῖρε τοῦ ἀγγέλου· χαῖρε δέσποινα, προστασία καὶ σκέπη καὶ σωτηρία τῶν ψυχῶν ἡμῶν.*

1) Men. die XIII. Martii Ode ζ. pag. 61. col. 1 A.

tacere non possimus, clamamus illud Angeli ave: ave regina, praesidium et tutela et salus animarum nostrarum. » Omitto quae habet [1]) Iosephus hymnographus, atque ista subiicio [a]) Iohannis damasceni: « Utinam, o innocens Dei genitrix, tuis precibus ab horrendis culpis eximamur, et consortes reddamur, *o penitus innocens*, divinae illuminationis Filii Dei, qui ex te ineffabiliter incarnatus est. » Neque aliter his verbis [b]) Metrophanes: « Ineffabiliter, *o undequaque innocens*, genuisti [2]) universorum creatorem, qui ab antiqua noxa mortisque corruptione mortales redemit, et per te unum Deum in tribus hypostasibus subsistentem cognovimus. »

234. Eodem pertinent ista [c]) Pselli: « Partum super naturam *innocentissimae* Virginis quum comprehendi non posse sciret sapiens Logotheta, Angelos et homines instruit ut fide sola venerentur. » Eodem ista [d]) Theophanis: « Sapientiae, quae omnem sapientiam vincit, vasculum *innocentissima* Dei genitrix fuisti, sola fidelium salus et laudatio. » Eodem ista [e]) Germani: « Vere non est magnificentiae tuae finis: inexhausta opitulatio tua: nullus munerum tuorum numerus: nullus nisi per te, o sanctissima, qui salvetur: nullus nisi per te, o immaculatissima, qui a malis liberetur: nullus particeps doni nisi per te, *o innocentissima.* » Eodem quae his verbis [f]) in Anthologio efferuntur: « Malignissimus serpens desiderium mihi in-

a) Triod. pag. 130. col. 2. B. Ῥυσθείημεν τῶν δεινῶν πταισμάτων ταῖς ἱκεσίαις σου, θεογεννῆτορ ἁγνὴ, καὶ τύχοιμεν, πάναγνε, θείας ἐλλάμψεως τοῦ ἐκ σοῦ ἀφράστως σαρκωθέντος υἱοῦ τοῦ θεοῦ.

b) Paraclit. pag. 164. col. 2. D. Ἀφράστως τὸν ποιητὴν γεγέννηκας τῶν ὅλων, πάναγνε, τῆς παλαιᾶς λυτρούμενον ἀρᾶς τοὺς βροτοὺς καὶ θανάτου φθορᾶς, καὶ διὰ σοῦ ἐπέγνωμεν ἕνα θεὸν τὸν τρισυπόστατον.

c) In Officio Metaphrastis apud Allatium de Symeonum scriptis pag. 239. Τὸν ὑπὲρ φύσιν τοκετὸν τῆς πανάγνου παρθένου ὁ σοφὸς Λογοθέτης ἀκατάληπτον εἰδὼς, ἀγγέλοις τε καὶ βροτοῖς ἐκδιδάσκει πίστει μόνῃ σέβασθαι.

d) Can. in fratrem Theodorum apud Combefisium in opp. Origg. rerumque CP. p. 225, et apud Allatium de tribus Symeonibus pag. 2. Σοφίας τῆς ὑπερσόφου γέγονας δοχεῖον, πάναγνε θεογεννῆτορ, μόνη τῶν πίστων σωτηρία καὶ ὕμνησις.

e) Orat. in s. Mariae Zonam pag. 238. Οὐκ ἔστιν ὄντως τῆς σῆς μεγαλειότητος πέρας· οὐκ ἔστι σῆς τῆς ἀντιλήψεως κόρος· οὐκ ἔστι τῶν σῶν εὐεργεσιῶν ἀριθμός· οὐδεὶς γὰρ ὁ σωζόμενος εἰ μὴ διὰ σοῦ, παναγία· οὐδεὶς ὁ τῶν δεινῶν λυτρούμενος εἰ μὴ διὰ σοῦ, πανάμωμε· οὐδεὶς ὁ συγχωρούμενος δῶρον εἰ μὴ διὰ σοῦ, πάναγνε.

f) Antholog. die IV. Decembris pag. 157. col. 2. D. Ἰσωθῆναι πόθον μοι ἐνθεὶς ὄφις

1) Pentecostar. pag. 178. col. 2. D. C., pag. 114 col. 1. A. et pag. 7. col. 2. A.

2) Gemina ex eodem referuntur p. 118. col. 1.

dens [1]) ut cum meo auctore aequalitatem affectarem, tamquam captivum me subegit: per te autem, *o penitus innocens,* revocatus sum et verissime deificatus. Tu enim, o Dei mater, eum qui me deificaret, genuisti. » Tum vero [a]) haec: « O puella virgo mater, *penitus innocens*, undequaque immaculata, Deo gratissima, precibus tuis filium et Deum et Dominum tuum mihi propitium redde, servumque tuum a passionibus et offensionibus quam citissime libera. » Repetit [b]) idem appositum Sophronius inquiens: « Inclytus Dei nuncius tum Virginem est alloquutus: Maria *undequaque innocens* ave, tecum sit ipse Deus. » Et [c]) rursum: « Mire cuncta ante tempora Verbum ex Deo natum est; cum Patre namque aeterno Filius exstitit coaeternus. Mire autem nunc est natus iterum ex *innocente penitus* Virgine; temporum omnium conditor in tempore iterum est genitus. » Et [d]) alibi: « Tum Symeon propheta post eiusmodi sermo-

ὁ παμπόνηρος τῷ πλαστουργῷ, ὡς αἰχμάλωτον ἥρπασε· διὰ σοῦ δὲ, πάναγνε, ἀνακέκλημαι θεωθεὶς ἀληθέστατα· σὺ γὰρ θεομῆτορ, τὸν ἐμὲ θεώσαντα γεγέννηκας.

a) Antholog. in Octoech. pag. 48. col. 2. D-E. Μητροπάρθενε κόρη, πάναγνε, πανάμωμε, θεοχαρίτωτε, ταῖς σαῖς ἱκεσίαις τὸν υἱὸν καὶ θεόν σου καὶ κύριον ἐξιλέωσαί μοι, καὶ τῶν παθῶν καὶ τῶν πταισμάτων τὸν σὸν δοῦλον ἐκλύτρωσαι τάχιον.

b) Anacreontic. I. Εἰς τὸν εὐαγγελισμὸν τῆς θεοτόκου, vv. 47-51. pagg. 50, 51. apud Mai in Spicileg. rom. T. IV.

Κλυτὸς ἄγγελος θεοῖο
Τότε παρθένον προσεῖπε·
Μαρίη-πάναγνε χαῖρε,
Μετὰ σοῦ θεὸς γενέσθω.

c) Ibid. Anacreontic. II. Εἰς τὴν Χριστοῦ τοῦ θεοῦ γέννησιν, vv. 26-34. pag. 54.

Ζαθέως χρόνων πρὸ πάντων
Λόγος ἐκ θεοῦ λοχεύθη,
Ἀχρόνῳ γάρ ἐστι κοῦρος
Πατρὶ συμφυεὶς ὁμῆλιξ.
Ζαθέως δὲ νῦν ἐτέχθη
Πάλιν ἐκ κόρης πανάγνου,
Ὁ χρόνους ὅλους λοχεύων
Πάλιν ἐν χρόνοις λοχεύθη.

d) Ibid. Anacreont. IV. Εἰς τὴν ἀπαντὴν τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ, vv. 84-92. pag. 85.

Συμεὼν τότε προφήτης
Μετὰ τοὺς λόγους ἐκείνους,
Ὀρέγων βρέφος κομίζειν
Μαριὰμ λέγεν τεκούσῃ.
Τὸ βρέφος, πάναγνε, τοῦτο

1) Alia ab his non diversa laguntur pag. 12. col. 1. B. et pag. 18. col. 1. A.

nes protensis manibus puerum porrigens, Mariam genitricem alloquutus est: *o penitus innocens*, puer iste in salutem est plurium, in perniciem ipsius gentis et in contradictionis signum. » Hinc [1]) Anselmus: « O Virgo serenissima, per merita tuae piissimae purificationis da mihi virtutem contra hostes tuos: Virgo sanctissima, corpore castissima, moribus omnium pulcherrima: Virgo virginum nec corde umquam polluta nec ore, sed tota pulcra, tota sine macula: intemerata Virgo corpore, intemerata Virgo mente, nihil debens legibus, nullis tacta excessibus; ut humilitatis in te ostenderes exemplum, imples purificationis officium pollutis matribus statutum. »

235. Succedit appositum, quo Deipara *πανίερος penitus sacra* [2]) et omnino sacrosancta nuncupatur. Hoc autem illi in Anthologio defertur [a]) his verbis: « Sanctum par ex radice Davidis divinitus afflati germinans *virgam sacratissimam*, immaculatam Virginem mundo peperit, quae nobis sine semine Christum florem *sacratissimum* protulit. » Hoc illi defertur [b]) a Leone Augusto ubi ait: « Reveretur enim te Deus *sacrosanctam* arcam suam, benignumque se iis praestat qui benignitate indigni sunt. » Atque hoc illi defertur [c]) a Germano praesule constantinopolitano qui scribit: « Consummata in ea fuisse divina mysteria, ipsamque esse *sacratissimum*, et animatum Dei templum. »

236. Porro quae *sacra* sunt, eadem *venerationem* merentur; quae ergo fuit *πανίερος* penitus *sacra* et omnino sacrosancta, eadem quoque esse dicique debuit *πάνσεμνος undequaque venerabilis*, eximioque cultus obsequio prosequenda. Et hoc sane titulo Deiparam

Ἐς ἔγερσιν ἐστὶ πολλῶν,
Μόρον αὐτέων σὺν ἐθνῶν
Ἐς ἐναντίον τε σῆμα.

a) Antholog. die IX. Septembris pag. 31. col. 1. C. Ἐκ ῥίζης βλαστήσασα δυὰς ἁγία, Δαυὶδ τοῦ θεόφρονος τὴν ῥάβδον τὴν πανίερον, παρθένον τὴν ἄχραντον τῷ κόσμῳ τέτοκεν, ἄνθος ἱερώτατον ἡμῖν, Χριστὸν, ἀσπόρως ἐξανατέλλουσαν.

b) Orat. in s. Mariae dormit. pag. 1747. C. apud Combefisium Auctar. T. I. Δυσωπεῖται γάρ σε θεὸς τὴν πανιερώτην αὐτοῦ κιβωτὸν, καὶ χρηστεύεται πρὸς τοὺς οὐκ ὄντας ἀξίους.

c) Orat. in praesent. s. Mariae pag. 1414. C. apud Combefisium Auctar. T. I ubi Germanus scribit εἰς αὐτὴν προτελεσθέντα θεῖα μυστήρια: tum Deiparam vocat τὴν πανίερον καὶ τὸν ναὸν τὸν ἔμψυχον κυρίου.

1) Orat. LVIII. pag. 285. col. 1. A.

2) Insignis huius vocabuli usus occurrit apud vulgatum Dionysium de caelesti hierarch. c. VII. §. II.

exornavit [a]) Iohannes monachus inquiens: « Magnum tuum mysterium, o *penitus venerabilis*, incorporeis speciebus agnoscere Legislator impediebatur, ne abiecta saperet symbolice quondam edoctus: quare ad prodigium stupens dixit, benedictus Deus patrum nostrorum. » Exornavit [b]) Theodorus studita Deiparam his verbis compellans: « Ave *penitus venerabilis* innocens, virginitatis gloriatio, matrum stabilitas, hominum auxilium et mundi gaudium, Maria mater et ancilla Dei nostri. » Exornavit [c]) Iosephus qui Deiparam salutat his verbis: « Ave purissimum lucis receptaculum, ave ignea columna quae spiritalem Israelem in divinam requiem adducis, ave nebula quae effecisti ut magnus sol mundo splenderet, ave undequaque immaculata, quae versantes in tenebris ignorantiae ad inaccessum lumen revocasti: ave virgo, ave *omni ex parte venerabilis*, ave mater Christi Dei nostri, quem deprecare ut animas nostras servet suaque luce perfundat. » Eodemque titulo Deiparam exornatam legimus in Paracletice, sive ubi [d]) dicitur: « Archangelus Gabriel caelitus veniens tibi, o Deipara *undequaque venerabilis*, annuntiavit, te, o puella, vitae datorem sine semine genituram. » Sive ubi [e]) additur: « Templum et porta es, palatium et thronus Regis, o Virgo *undequaque venerabilis*; per quam Redemptor meus Christus Dominus tamquam sol iustitiae iis apparuit qui steterant in tenebris, cupiens illuminare quos ad suam imaginem propria manu effinxerat. »

a) Antholog. die VIII. Septembris Ode ζ'. pag. 26. col. 1. B. et in Menaeis eadem die et eadem Ode pag. 63. col. 2. D. Σοῦ ταῖς ἀΰλοις ἐμφάσεσιν ὁ νομοθέτης εἴργετο κατανοεῖν τὸ μέγα, πάνσεμνε, μυστήριον, μὴ φρονεῖν χαμαίζηλα, συμβολικῶς παιδευόμενος ποτέ· διὸ ἐκπλαγεὶς τὸ θαῦμα ἔλεγεν· εὐλογητὸς ὁ θεὸς ὁ τῶν πατέρων ἡμῶν.

b) Triod. pag. 265. col. 2. B. Χαῖρε πάνσεμνε ἁγνὴ, παρθενίας καύχημα, μητέρων τὸ στήριγμα, ἀνθρώπων βοήθεια, καὶ τοῦ κόσμου ἡ χαρὰ, Μαρία μήτηρ καὶ δούλη τοῦ θεοῦ ἡμῶν.

c) Antholog. in Ἀκολουθ. ἀνώνυμ. pag. 58. col. 1. B-C. Χαῖρε φωτὸς καθαρώτατον δοχεῖον· χαῖρε στύλε πύρινε τὸν νοητὸν Ἰσραὴλ ἔνδον εἰς θείαν κατάπαυσιν εἰσαγομένη· χαῖρε νεφέλη τὸν μέγαν ἥλιον κόσμῳ διαυγάσασα, καὶ πρὸς τὸ ἄδυτον φῶς τοὺς ἐν σκότει καθεύδοντας τῆς ἀγνωσίας μεταῤῥυθμίσασα, παναμώμητε· χαῖρε παρθένε· χαῖρε πάνσεμνε· χαῖρε μῆτερ Χριστοῦ τοῦ θεοῦ ἡμῶν, ὃν ἱκέτευε σῶσαι καὶ φωτίσαι τὰς ψυχὰς ἡμῶν.

d) Paraclit. pag. 124. col. 2. B. Ἄνευ σπορᾶς ὁ ἀρχάγγελος, κόρη, σοὶ Γαβριὴλ τεκεῖν τὸν ζωοδότην εὐηγγελίσατο, θεοτόκε πάνσεμνε, οὐρανόθεν ἀφικόμενος.

e) Paraclit. pag. 218. col. 2. B. Ναὸς καὶ πύλη ὑπάρχεις, παλάτιον καὶ θρόνος τοῦ βασιλέως, παρθένε πάνσεμνε· δι' ἧς ὁ λυτρωτής μου Χριστὸς ὁ κύριος τοῖς ἐν σκότει καθεύδουσιν ἐπέφανεν, ἥλιος ὑπάρχων δικαιοσύνης φωτίσαι θέλων οὓς ἔπλασε κατ' εἰκόνα ἰδίαν χειρὶ τῇ ἑαυτοῦ.

237. Progredimur ad *pulchritudinis* perfectionem Deiparae adscriptam, appellationemque τῆς παγκάλου *pulcherrimae* eidem factam, cuius testis est [a]) Theophanes qui illam salutans ait: « Ave Dei genitrix, spiritalis arca divinae gloriae: ave mundi gloriatio et firmamentum, lapsorum revocatio, tabernaculum totum lucidum, tu quae sancta es et *undequaque pulchra.* » Immo testis est [b]) universa Graecorum ecclesia, quae fideles ad celebrandas Virginis laudes ita provocat: « Cum Angelo quotquot sumus fideles illud ave, uti par est, Deiparae acclamemus: ave sponsa *undequaque pulchra:* ave splendida nubes, e qua nobis in ignorantiae caligine sedentibus illuxit Dominus: ave spes omnium. » Quare [1]) Gregorius antiochenus chorum inducit [c]) Deiparam sic alloquentem: « Gloriosa, *undequaque pulcherrima* puella, Virgo. »

238. Quum [d]) vero *omne datum optimum et omne donum perfectum desursum* sit *descendens a Patre luminum;* Deipara quae *undequaque pulchra* fuit, necessario quoque esse debuit παντευλόγητος *undequaque benedicta,* ipsaque supernae benedictionis perfectione cumulata. Et illam sane παντευλόγητον *undequaque benedictam* vocat [e]) Theophanes inquiens: « Obsecro te, o puella *undequaque benedicta*, quae sola Deum genuisti, qui antiquam maledictionem in benedictionem convertit, qui pro hominibus exstitit maledictum, mun-

a) Men. die I. Novembris pag. 10. col. 2. A. Χαῖρε θεοτόκε ἡ κιβωτὸς ἡ λογικὴ τῆς θείας δόξης, χαῖρε τὸ καύχημα τοῦ κόσμου καὶ στερέωμα, τῶν πεπτωκότων ἀνάκλησις, ἡ σκηνὴ ἡ ὁλόφωτος, ἡ ἁγία καὶ πάγκαλος.

b) Men. die XXI. Novembris pag. 160. col. 2. A. Σὺν τῷ ἀγγέλῳ τὸ χαῖρε τῇ θεοτόκῳ προσφόρως ἀναβοήσωμεν πιστοί· χαῖρε πάγκαλε νύμφη· χαῖρε νεφέλη φωτεινὴ, ἐξ ἧς ἡμῖν ἔλαμψεν ὁ κύριος τοῖς ἐν σκότει ἀγνοίας καθημένοις· χαῖρε πάντων ἡ ἐλπίς.

c) Trag. Christ. pat. v. 598. pag. 1242. Πάγκλυτε, παγκαλλίστα κούρη, παρθένε.

d) Iacob. I. 17. Πᾶσα δόσις ἀγαθὴ καὶ πᾶν δώρημα τέλειον, ἄνωθέν ἐστι καταβαῖνον ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων.

e) Men. die VIII. Februarii Ode γ'. pag. 48. col. I. A. Ἱκετεύω σε μόνην τὴν τὸν θεὸν τέξασαν τὸν εἰς εὐλογίαν κατάραν τὴν πρὶν ἀμείψαντα, καὶ χρηματίσαντα ὑπὲρ ἀνθρώπων κατάρα, κόρη παντευλόγητε, καὶ κόσμον σώσαντα.

1) De auctore tragoediae, *Christus patiens*, haec habet postremus editor opp. Gregorii nazianzeni in monito ad opp. T. II. « Cui autem sit tribuenda, non satis constat. Sunt nonnulli qui Apollinarium huius operis scriptorem praedicaverint; sed immerito, ut demonstrat tum temporis circumstantia, quum eodem seculo vixerit ac Gregorius nazianzenus, tum aliqua operis fragmenta quibus utraque in Christo natura adstruitur, quum Mariam vocet matrem τοῦ διφυοῦς, eius qui est duplicis naturae. Hinc probabilius forte videbitur hoc poema restituere Gregorio cuidam propter facilem musam decantato, qui ad episcopatum antiochenum circa an. 572. evectus, propter nominis similitudinem theologus male creditus est. »

dumque servavit. » Undequaque benedictam vocat [a]) Methodius scribens: « Benedicta tu *o undequaque benedicta* et omnibus desiderabilis: in benedictionibus Domini nomen tuum divina gratia plenissimum et Deo summe gratiosum, o Dei genitrix. » Undequaque benedictam vocant Ephraemus et Euthymius, quorum ille [b]) Virginem deprecatur his verbis: « Utique Domina *omni ex parte benedicta*, ne despicias vacuas preces meas indignas et miserabiles, ut gratia tua salvus factus benedicam et laudem te. » Alter vero [c]) in supplici ad eam canone scribit: « Interventus tui virtutem expertus, o [1]) illibatissima, affectu simul et timore ductus ad te accedo. Plurimum, o *undequaque benedicta*, apud filium matris deprecatio valet, clementia namque facile movetur. » Et undequaque benedictam vocant Graeci in Menaeis iuxta et in Paracletice. In Menaeis quidem in quibus [d]) legimus: « Natura mortalium, o Dei sponsa, partum tuum invenit redemptionem ab antiqua maledictione, et divinae benedictionis thesaurum; quare, o Maria *undequaque benedicta*, omnes quotquot sumus fideles, te et benedicimus et glorificamus. » In Paracletice [e]) vero, ubi dicitur: « Quae mundo peperisti salutem, per quam e terra in altum evecti sumus, ave *undequaque benedicta*, praesidium et robur, murus ac munimentum eorum, o innocens, qui te cantibus efferunt. » Et digna sane quae

a) De Symeone et Anna §. X. pag. 815. B. apud Gallandium T. III. Εὐλογημένη σὺ παντευλόγητε καὶ πᾶσι ποθητέ· ἐπ' εὐλογίαις κυρίου τὸ θεοχαριτώτατόν σου ὄνομα, Θεογεννῆτορ.

b) Orat. ad Deiparam pag. 539. A-B. opp. graec. T. III. Ναὶ δέσποινα παντευλόγητε μὴ ἀποστρέψῃς κενὰς τὰς ἀναξίους μου καὶ οἰκτροτάτας δεήσεις· ἵνα χάριτι σῇ σεσωσμένος εὐλογῶ καὶ δοξάζω σέ.

c) Can. supp. Ode θ'. pag. 874. D. in Euchology. Ἰδοὺ προσέρχομαί σοι, πανάχραντε, φόβῳ πολλῷ καὶ πόθῳ τὴν ἰσχὺν ἐπιστάμενος τῆς πολλῆς πρεσβείας ὁ δοῦλός σου· μέγιστα γὰρ ἰσχύει, ὦ παντευλόγητε, δέησις μητρὸς πρὸς τὸν υἱὸν, σπλάγχνοις γὰρ κάμπτεται.

d) Men. die IV. Iunii Ode ε'. pag. 16. col. 1. B. Λυτήριον εὕρατο τὸν τόκον σου, θεόνυμφε, φύσις γηγενῶν τῆς πρὶν κατάρας, καὶ εὐλογίας θεοπρεποῦς πλουτισμόν· ὅθεν εὐλογοῦμέν σε πιστοὶ πάντες καὶ δοξάζομεν, Μαριὰμ παντευλόγητε.

e) Paraclit. pag. 450. col. 2. A. Ἡ κόσμῳ τεκοῦσα σωτηρίαν, δι' ἧς ἀπὸ γῆς εἰς ὕψος ἤρθημεν, χαίροις παντευλόγητε, σκέπη καὶ κραταίωμα, τεῖχος καὶ ὀχύρωμα τῶν μελῳδούντων σὲ, ἁγνή.

1) Eodem τῆς παναχράντου *penitus illibatae* titulo ornatur Virgo Ode ς'. pag. 873. C-D.

cantibus efferatur, quum in Maronitarum Officio [a]) celebretur *omnibus plena decoribus.*

239. Reliqua est appellatio duplex, qua Deipara *παμμακάριστος καὶ παναγιώτατος* *beatissima* et *sanctissima* dicitur, eidemque perfectio beatitatis et undique redundans sanctimoniae plenitudo vindicatur. Ad priorem vero appellationem haec inprimis pertinent [b]) Modesti hierosolymitani: « Et quando statuit ac decrevit iuxta suum beneplacitum coaeternus Patri suo et Spiritui sancto Christus Deus noster apud se illam assumere *beatissimam* matrem suam, ut conglorificaretur cum ipso in gloria; tum laetabundi concurrerunt Angeli et Archangeli. » Tum haec [c]) Georgii nicomediensis: « Omnis terrigena facem praeferens spiritu exsultet; spiritalium vero mentium natura festum agitet honorans sacram Deiparae celebritatem, et clamet: ave *beatissima* Dei genitrix innocens. » Quibus haec respondent quae Anatolium habent [d]) auctorem: « Hodie ex infecundo sinu laetantis Annae in luce venit quae praedestinata fuit omnium regina, Dei habitaculum, divinum templum sempiternae naturae, per quam procax infernus contritus est, et omnium mater Eva in securam vitam perducitur. Huic digne acclamemus: tu mulierum *beatissima*, et benedictus fructus ventris tui. » Atque haec item [e])

a) Offic. Maronit. pag. 212. et pag. 404.
ܒܬܘܠܬܐ ܡܠܝܐ ܟܠ ܫܘܦܪܝܢ ܘܡܫܒܚܐ ܟܠ ܫܘܒܚܝܢ

b) Orat. in b. M. v. dormit. pag. 8. Ὅτι ἐξελέξατο καὶ ᾑρετίσατο κατ' εὐδοκίαν ὁ συναΐδιος τοῦ πατρὸς αὐτοῦ καὶ πνεύματος Χριστὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν προσλαβεῖν αὐτὴν πρὸς ἑαυτὸν, τοῦ συνδοξασθῆναι αὐτῷ ἐν δόξῃ τὴν παμμακάριστον μητέρα αὐτοῦ, χαίροντες συνέτρεχον ἄγγελοι καὶ ἀρχάγγελοι.

c) Men. die XXV. Februarii Ode θ'. pag. 141. col. 1. C. Ἅπας γηγενὴς σκιρτάτω τῷ πνεύματι λαμπαδουχούμενος· πανηγυριζέτω δὲ ἀΰλων νοῶν φύσις γεραίρουσα τὴν ἱερὰν πανήγυριν τῆς Θεομήτορος καὶ βοάτω· χαίροις παμμακάριστε Θεοτόκε ἁγνή. Et in Triodio pag. 131. col. 2. A. Τὸ ὄρος τὸ μέγα, ἐν ᾧ κατῴκησε Χριστὸς, σὺ ὑπάρχεις παρθένε, ὡς Δαυὶδ ὁ θεῖος βοᾷ· δι' ἧς ἡμεῖς ὑψώθημεν πρὸς οὐρανὸν υἱοθετηθέντες τῷ πνεύματι, παμμακάριστε. « Mons magnus in quo Christus habitavit, tu es o Virgo, quemadmodum divinus David clamat, per quam, o *beatissima*, evecti sumus ad caelum in adoptionem filiorum Spiritu adsciti. »

d) Antholog. die VIII. Septembris pag. 21. col. 1. C-D. Ἡ προορισθεῖσα παντάνασσα, Θεοῦ κατοικητήριον, ἐξ ἀκάρπου σήμερον νηδύος προῆκται τῆς Ἄννης ἠγλαϊσμένης, τῆς ἀϊδίου οὐσίας; τὸ θεῖον τέμενος· δι' ἧς ἰταμὸς ᾅδης καταπεπάτηται, καὶ παγγενὴς Εὔα ἐν ἀσφαλεῖ ζωῇ εἰσοικίζεται· ταύτῃ ἐπαξίως ἐκβοήσωμεν· μακαρία σὺ ἐν γυναιξὶ, καὶ ὁ καρπὸς τῆς κοιλίας σου εὐλογημένος.

e) Antholog. in Acoluth. anonym. pag. 59. col. 1. A. Ὢ τοῦ παραδόξου θαύματος,

respondent ex Anthologio: « O singulare portentum, quomodo omnium Deum tuo sinu comprehendisti? quomodo infantem gestasti factorem universi? Mentem rationemque vere percellit superrationalis partus tuus, *o undequaque beatissima* Deipara intemerata. » Hinc [1]) in Missali gothico legimus: « Exaudi, omnipotens aeterne Deus, supplicem plebem tuam ob honorem Mariae *beatissimae* genitricis, et ita preces nostras benignus intende, ut cum fiducia dicere mereamur orationem, quam nos Dominus noster Iesus Christus filius tuus orare sic docuit dicens: Pater. » De posteriore autem appellatione testis est locuples [a]) Methodius qui Mariam vocat *undequaque sanctissimum et admirandum Dei habitaculum.* Quare huc tandem eorum summa redit quae attulimus: Virginem dici credique oportere *undequaque sanctam et sanctissimam, undequaque innocentem et sacram, undequaque venerabilem et pulcram, undequaque illibatam et undequaque benedictam ac beatam.* Verum ea ne significationis amplitudine sumi haec debent, ut ad ipsas quoque Virginis origines porrigantur illasque innoxias, sanctas, venerabiles, pulcras, illibatas, benedictas beatasque demonstrent? Iudicari secus non posse sua sponte innotescet, si et verborum habeatur ratio et cogitatione recolatur, idcirco tot tantisque laudum praeconiis Deiparam insigniri, *quod ipsa honesta quaeque et gloriosa comprehenderit, quod fuerit genitrix sanctissima sanctissimi Verbi, quod concepta fuerit atque in lucem venerit uti fons vitae ac penitus sancta, quod non aliter ipsa primum exstiterit sanctissima virga ac Christus ex ea flos sanctissimus germinarit, quod tenebras numquam persenserit, infernumque contriverit, quod ab iis secreta semper fuerit quos malignus Serpens corruperit, quodque omnibus referta donis et numquam carne, numquam corde polluta fuerit ac porro sit lapsorum revocatio, delictorum expiatio, sola fidelium spes, maledicti expultrix, benedictionis conciliatrix, et spiritus ac vita christianorum.*

πῶς τὸν τῶν ὅλων Θεὸν ἐν γαστρί σου ἐχώρησας; πῶς βρέφος ἐβάστασας τὸν ποιητὴν τοῦ παντός; ὄντως ἐκπλήττει νοῦν καὶ διάνοιαν ἡ ὑπὲρ λόγον κυοφορία σου, ὦ παμμακάριστε Θεοτόκε ἄχραντε.

a) De Symeone et Anna pag. 815. D. apud Gallandium T. III. Παναγιώτατον καὶ ἀξιάγαστον τοῦ Θεοῦ ἐνδιαίτημα.

1) Apud Muratorium liturg. rom. pag. 548. E.

ARTICULUS III.

De reliquis appositis quae superlativis significatione respondent, et quibus Deipara dicitur πανευπρεπής *penitus decora,* πανσεβάσμιος *undequaque veneranda,* πανόλβιος *undequaque beata,* πολυτίμιος *honore dignissima,* πανεύφημος *omnino celebranda,* πολυώνυμος *celeberrima,* πάγκλυτος *famigeratissima,* πανύμνητος *undequaque laudabilis,* πανένδοξος *penitus gloriosa,* πανθαύμαστος *admirabilissima et* ἀξιάγαστος *stupenda.*

240. Ad eam epithetorum classem accedimus, quae quum vi et significandi potestate superlativis aequipolleant, numquam tamen aut certe rarius de Deipara eo gradu, quem positivum nominant, usurpata reperiuntur. Inter haec autem quod se omnium primum menti obiicit, est πανευπρεπὴς quod ad ordinem ethicum moralemque traductum sicuti a subiecto repellit et arcet quidquid abnorme est ac deforme, ita illi adscribendum esse demonstrat quidquid cum decoro congruit et ad convenientiae leges expressum est. Hunc vero titulum Deiparae asserit [a]) Iohannes damascenus inquiens: « Quum Oriens ex alto, o innocentissima, super terram manifestaretur, apparuisti porta *omni ex parte decora* et luce referta, quae mundum splendoribus puritatis illuminat, et in fideles mirabilium fulgores semper emittit. » Quorum significatio plenius innotescet, si animo reputetur, ita Deiparam vocari *undequaque decoram,* ut simul θεοπρεπὴς *Deo digna Deumque decens* nuncupetur. Nuncupatur autem θεοπρεπὴς *Deum decens* [b]) his verbis: « Visa es, o sanctissima, habitatio *Deum decens.* » Et [c]) rursum: « Honoremus *Deo dignam* venerandamque puellam, quae honorabilior est Cherubim: creator namque omnium quum fieri homo vellet, in ipsa ineffabiliter habitavit. »

241. Cum hoc ornamento alterum cohaeret, quo Deipara sisti-

a) Antholog. die I. Novembris Ode ζ. pag. 94. col. 2. C. Ἀνατολῆς τῆς ἐξ ὕψους, πάναγνε, φανερωθείσης ἐπὶ γῆς, ἐδείχθης πανευπρεπὴς πύλη καὶ ὁλόφωτος κόσμον καταυγάζουσα μαρμαρυγαῖς καθαρότητος, καὶ τοῖς πιστοῖς λαμπηδόνας ἀεὶ θαυμάτων πέμπουσα.

b) Paraclit. pag. 319. col. 2. A. Ὤφθης ἐνδιαίτημα θεοπρεπὲς, παναγία.

c) Ibid. pag. 216. col. 1. D. Τὴν θεοπρεπῆ καὶ σεβάσμιον κόρην τιμήσωμεν, τὴν ὑπέρτιμον τῶν Χερουβίμ· ὁ γὰρ δημιουργὸς τῶν ὅλων ἐνανθρωπῆσαι βουληθεὶς ἐν αὐτῇ ᾤκησεν ἀφράστως.

tur veluti nulla ex parte profana, immo omni ex parte venerabilis et sacra, atque omnino πανσεβάσμιος *undequaque cultu et religione prosequenda.* De hoc autem ornamento [a]) Iohannes monachus scribit: « Tamquam aurora matutina radiis virginitatis circumfulgens, o Dei mater *undequaque veneranda*, in vitae nocte apparuisti, nobis Orientem intelligibilis solis iustitiae manifestans. » Et ad idem significandum ornamentum tam ista [b]) pertinent: « Quomodo non suspiciamus, *o penitus veneranda,* deivirilem tuum partum? » Quam ista [c]) quae subdimus: « Te o Dei mater *penitus veneranda,* sancte celebrant caelestes incorporeorum exercitus: ipsorum enim creatorem genuisti. »

242. Hac vero Deiparae praestantia factum est, ut parens eius Ioachimus πανόλβιος *undequaque felix beatusque* diceretur, atque multo propterea vehementius ipsa eodem τῆς πανολβίου *felicissimae* atque *beatissimae* titulo honestaretur. Et ad Ioachimum quidem [d]) haec spectant: « Nunc nobis ad spiritale convivium propositus est *beatissimus* Ioachim Christi avus, qui Dei matrem illaesamque funditus puellam progenuit. » Ista porro ad Deiparam multo validius referri, quum ipsa rei natura et orationis ductus ostendunt, tum egregie confirmant hinc quidem appellatio τῆς πανακηράτου *funditus intactae* tributa Deiparae, inde vero quae Graeci [e]) de ea alibi canunt: « Virtutum divitiis ornati venerabilis Ioachimus et prudens Anna genuerunt reginam Virginem *divina gloria varie distinctam:* omnis creatura eam uti Deiparam laudat. » Sed disertissime Latini [1]) qui de Anna Virginis genitrice sic habent:

a) Antholog. die XXVI. Septembris Ode θ'. pag. 64. col. 1. B. Ὡς ὄρθρος εὑρέθης πρωϊνὸς ἐν τῇ τοῦ βίου νυκτὶ παρθενίας ἀκτῖσι περιαστράπτουσα, τὴν ἀνατολὴν τοῦ ἡλίου τοῦ νοητοῦ τῆς δικαιοσύνης ἡμῖν φανερώσασα, θεομῆτορ πανσεβάσμιε.

b) Paraclit. pag. 154. col. 2. D. Πῶς μὴ θαυμάσωμεν τὸν θεανδρικόν σου τόκον, πανσεβάσμιε;

c) Ibid. pag. 384. col. I. A. Ἱερῶς σε δοξάζουσι τὰ τῶν ἀσωμάτων θεῖα στρατεύματα, θεομῆτορ πανσεβάσμιε· τὸν γὰρ κτίστην τούτων ἀπεκύησας.

d) Antholog. die IX. Septembris pag 30. col. 1. C. Ὁ προπάτωρ τοῦ Χριστοῦ Ἰωακεὶμ νυνὶ πρόκειται ἡμῖν εἰς ἑστίασιν πνευματικὴν, ὁ πανόλβιος· ὃς τὴν θεομήτορα καὶ πανακήρατον κόρην ἀπεγέννησε.

e) Antholog. die IX. Septembris Ode η'. pag. 31. col. 2. A. Πλούτῳ κομῶντες ἀρετῶν τὴν ἐν δόξῃ θεϊκῇ πεποικιλμένην βασιλίδα παρθένον Ἰωακεὶμ ὁ σεπτὸς καὶ Ἄννα ἡ σώφρων τετόκασιν· ἣν πᾶσα ἡ κτίσις ὑμνεῖ ὡς θεοτόκον.

1) Thesaur. hymnolog. T. 1. pag. 288.

» O mater clementissima
» Cum prole *beatissima*
» Posce semper prece pia
» Beata nobis gaudia.

243. Succedit encomium quo Virgo uti [1]) πολυτίμιος *valde pretiosa* summoque in pretio atque honore tenenda laudatur. Hoc encomio eam prosequitur [a]) Basilius pegoriotes his verbis: « Cantibus celebremus gloriosum Deiparae progressum: hodie enim in Templo, tamquam et ipsa Dei templum, prophetice offertur, donum *longe pretiosissimum.* » E quibus repetendum est, quod in ecclesiasticis monimentis frequentatur, ut Deipara nunc quidem πανεύφημος *omni laude digna*, nunc vero πολυώνυμος *celebratissima* nuncupetur. Et illam sane πανεύφημον *omni laude dignam* vocat [b]) Iohannes damascenus inquiens: « Nunc illa praedicetur quae *omni ratione est praedicanda:* nunc Virgo extollatur quae exaltata a Deo est, ceterisque praelata et divino oraculo dignata. » Vocat autem πολυώνυμον *multis insignem nominibus*, quibus eius decora efferantur, Sophronius [c]) ubi ait: « Salve *multorum nominum* puella, sancta virgo Deique mater Maria, fidelium gloria, maledictionis redemptio, scala caelestis, portentum comprehensione maius, rube incombuste, terra nunquam subacta. » Atque huc insigniter faciunt quae [2]) Nerses claiensis Armeniorum Catholicus in libello professionis fidei his verbis exponit: « Scriptum erat in ea epistola, quod in ecclesiis nostris canticum sanctae Deiparae non recitamus. Et ista accusatio toto caelo distat a veritate. Adeo enim mater Dei Maria *omni caelestium terrestriumque honore dignissima* a nobis honoratur, ut

a) Antholog. die XXI. Novembris Ode α'. pag. 129. col. 1. C. Ὠιδαῖς ἀνυμνήσωμεν τῆς Θεοτόκου τὴν ἔνδοξον πρόοδον· τῷ ναῷ γὰρ σήμερον, ὡς καὶ ναὸς τοῦ Θεοῦ προσφέρεται προφητικῶς δῶρον πολυτίμιον.

b) Orat. in annuntiat. Deiparae pag. 835. C. opp. T. II. Νῦν εὐφημείσθω ἡ πανεύφημος· νῦν μεγαλυνέσθω ἡ Θεομεγάλυντος καὶ Θεοπρόκριτος καὶ Θεοχρηματίστος παρθένος.

c) Triod. apud Mai, Spicileg. rom. p. 156. T. IV. Πολυώνυμε κόρη χαίροις ἁγία, παρθένε Θεοκύητορ Μαρία, τῶν πιστῶν καύχημα, κατάρας λύτρωσις, κλίμαξ ἐπουράνιε, ἀκατανόητον θαῦμα, βάτε ἀνάφλεκτε, γῆ ἀγεώργητε.

1) Quamquam nonnihil distent πολύτιμον, πολυτίμιον et πολυτίμητον: nam monente Thoma magistro, πολύτιμον est τὸ πολλοῦ τιμήματος ἠγορασμένον: at vero πολυτίμητον est τὸ πολλῆς τιμῆς ἢ δόξης ἀξιωθέν: nihilominus eiusmodi discrimen propter vocum cognationem haud infrequenter negligitur.

2) Epist. IV. pag. 182. opp. T. I.

numquam illius verba feriis diebus cum verbis trium puerorum et prophetae David concinamus; sed tantum dominicis diebus, dominicisque festis. »

244. Ceterum ab his quos recensuimus titulis, haud multum illi distant, quibus Virgo nunc dicitur πάγκλυτος *famigeratissima* et celeberrima, nunc autem πανύμνητος *undequaque laudabilis* nuncupatur. De priori titulo dignus est qui audiatur [a]) in anacreonticis Sophronius: « O Maria *famigeratissima*, tu sola ex terrigenis loquentibus Cherubim gloriam suscepisti. » De altero autem praeter [1]) Iohannem damascenum, Georgium nicomediensem [2]) et [3]) Ignatium atque [4]) Clementem hymnographos, testis est locuples [b]) Theodorus studita inquiens: « Laudant te angelorum ordines, o benedicta Dei genitrix *undequaque laudabilis* et virgo: cum iis te nos hominum genus modo, tamquam innuptam, glorificamus. » Testis est [c]) Germanus costantinopolitanus qui sic habet: « Si enim ii quorum nomina in terra celebrata sunt, appellationis memoriam in longos annos conservant; quid de gloriosa *omnique laude dignissima*, immaculatissima et intaminatissima puella quispiam dixerit? » Et testis est [d]) ancyranus Theodotus, cuius haec sunt verba: « Christiani, velut qui Deo morigeri sint, fidem adiungunt divinitus inspiratis prophetarum oraculis, ita ubique de *laudatissima* Virgine clamantibus: *sanctificavit* [5]) *tabernaculum suum Altissimus.* » Nil propterea mirum si in Latinorum hymnis [6]) legimus:

a) Apud Mai Spicileg. rom. T. IV. pag. 52.

Τὸ Χερουβὶμ, Μαρίη πάγκλυτε, μούνη
Μερόπων ἐκ χθονίων δέξαο κῦδος.

b) Triod. pag. 245. col. 2. D. Ὑμνοῦσι σὲ τάξεις ἀγγέλων, εὐλογημένη Θεοτόκε πανύμνητε καὶ παρθένε· μεθ' ὧν σὲ νῦν γένος ἀνθρώπων, ὡς ἀνύμφευτον, δοξολογοῦμεν.

c) Orat. in Deiparae zonam p. 233. B. Εἰ γὰρ οἷς τὰ ὀνόματα ἐπὶ τῶν γαιῶν ἐπικέκληνται, εἰς μακρὸν τὴν μνήμην τῆς κλήσεως διασώζουσιν· τί ἂν τίς εἴποι περὶ τῆς θεοδοξάστου καὶ πανυμνήτου κόρης τῆς παναχράντου καὶ παναμώμου;

d) Orat. in Deiparam §. VI. pag. 462. apud Gallandium. T. IX. Χριστιανοὶ πειθήνιοι τῷ Θεῷ τυγχάνοντες, ταῖς τῶν προφητῶν ἀκούουσι θεοπνεύστοις προῤῥήσεσιν, οὕτω περὶ τῆς πανυμνήτου παρθένου πανταχοῦ βοώσαις· ἡγίασε τὸ σκήνωμα αὐτοῦ ὕψιστος.

1) Men. die XV. Ianuarii pag. 130. col. 1. B. Cf. etiam Macarii fidei confessionem in Synodo constantinopolitana III. Act. VIII. pag. 351. E. concil. T. XI.

2) Men. die XI. Septembris p. 80. col. 1. B.

3) Men. die XIV. Martii pag. 61. col. 2. B.

4) Men. die XXX. Martii pag. 137. col. 1. B.

5) Ps. XLV. 5.

6) Thesaur. hymnolog. pag. 235. T. II.

» Ergo clemens et benigna
» Cunctorumque laude digna
» Tuo nato nos consigna
» Pia per suffragia.

Nil mirum si Anselmus [1]) cecinit:

» Ave lamina aurea
» In te ipsa circumscripta,
» Nomen propitiabile
» Quod est indicibile.

Et nil mirum si Petrus cellensis [2]) ita Virginem compellavit: « Merito tu es Domina. Penes te bonorum omnium est reposita plenitudo. Reconditi sunt apud te thesauri veritatis indeficientes et gratiae, pacis et misericordiae, salutis et sapientiae, gloriae et honoris. Quidquid de laudibus tuis garrire possum, tua est laude minus, omni laude dignissima. Si linguis hominum et angelorum eloquar, quum me totum effudero, parum erit. »

245. Seiungi autem ab his ea veterum testimonia non debent, quibus Deipara aut vocatur [3]) πολυύμνητος *multis laudibus celebrata*, aut a Methodio dicitur παντομνημόνευτος *animo semper recolenda* [a]) his verbis: « Sanctorum omnium per omnes generationes spiritalibus narrationibus factisque prodigiosis valere iussis, ad te festi huius convivii veluti clavum, *o florenti semper habenda memoria*, dirigo. » Immo neque seiungi testimonia debent, quibus Deipara ceu πανθαύμαστος *undequaque admirabilis*, πανένδοξος *penitus gloriosa* et ἀξιάγαστος *stupore digna* salutatur. Et πανθαύμαστον quidem illam dicunt Theodorus studita et Iohannes damascenus, prior [b]) ubi scribit: « Sola, o innocens, visa es inter mulieres penitus *admirabilis* et tremenda: tu enim sine semine pariens et, sicut antea, rursum virgo permanens, naturam innovasti: qui enim ex te natus est, is est Deus

a) De Symeone et Anna §. X. pag. 815. A. apud Gallandium T. III. Τοιγαροῦν χαίρειν φράσας τοῖς τῶν ἁγίων κατὰ πᾶσαν γενεὰν πνευματικοῖς διηγήμασι καὶ τερατουργήμασιν, ἐπὶ σὲ μετάγω τοὺς τῆς εὐωχίας οἴακας παντομνημόνευτε.

b) Triod. pag. 228. col. 1. D. Μόνη ἐφάνης γυναικῶν χρῆμα πανθαύμαστον, ἁγνή, πρᾶγμα φοβερόν· τὴν γὰρ φύσιν σὺ ἐκαινοτόμησας ἄνευ σπορᾶς κυήσασα, μείνασα πάλιν ὡς πρὶν παρθένος· ὁ γεννηθεὶς γὰρ ἐκ σοῦ Θεός ἐστιν ἀληθής.

1) Psalterii p. III. pag. 307. col. 2.
2) Epist. X. pag. 703. E-F. apud Martenium in Thesaur. anecdot. T. I.
3) Quod fit in Paraclit. pag. 193. col. 1. C.

verus. » Posterior [a]) vero ubi ait: « Sed nihil Deum ita decens, uti haec beata et *modis omnibus miranda* Virgo. »

246. De reliquis duobus titulis auctores sunt Modestus hierosolymitanus et Germanus constantinopolitanus, e quibus Modestus [b]) ait: « In caelestem thalamum ingressa est illa, quae facta est *gloriosissimus thalamus* unitionis secundum hypostasim naturarum Christi, veri sponsi caelestis. » Germanus vero [c]) Deiparam alloquens interrogat: « Quis tuas misericordias intelliget? Enimvero sat tibi ad laudem, *o stupore digna*, quod non possimus idoneis laudibus res tuas celebrare. » Quod non possimus idoneis laudibus tuam a quovis culpae naevo immunitatem efferre, quia tu es παναχήρατος *penitus illaesa nullaque ex parte corrupta:* et quod non possimus idoneis laudibus ornamenta tuae sanctitatis complecti, quia tu es παναγιώτατος *undequaque sanctissima,* ac de te cum [d]) Methodio verissime ingeminatur: « Benedicta tu, prorsus benedicta, omnibusque desiderabilis. In benedictionibus Domini nomen tuum, divina gratia plenissimum ac summe Deo gratiosum, Dei mater, quaeque tuo ipsa splendore fidelibus lumen praeferas. » Ac nemo sane de eo loquens qui in Adamo peccarit, qui irae filius exstiterit, quique lethifero Serpentis viru afflatus fuerit atque corruptus, affirmet atque repetat, eum esse dicique oportere *omni ex parte decorum, Deo dignum, undequaque venerabilem et sacrum, penitus illaesum, laude quavis gloriaque potiorem, et omnino admirabilem dignumque stupore:* longe autem minus affirmet ac repetat *eius conceptum fuisse undequaque illaesum et divina gloria multipliciter insignem, non aliter in vitae nocte eum apparuisse ac inter tenebras aurora prodeat,* sibique vindicare ut omnium ore celebretur *Cherubim honorabilior, maledicti redemptio, Deum prorsus decens et eo usque luce refertus ut reli-*

a) Orat. in natal. Deiparae pag. 851. C. opp. T. II. Ἀλλ' οὔτι πω οὕτω θεοπρεπὲς, ὡς ἡ μακαρία αὕτη καὶ πανθαύμαστος παρθένος.

b) Orat. in dormit. Deiparae pag. 16. Εἰς τὸν οὐράνιον νυμφῶνα εἰσῆλθεν ἡ γενομένη πανένδοξος νυμφὼν τῆς καθ' ὑπόστασιν ἑνώσεως τῶν φύσεων Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ ἐπουρανίου νυμφίου.

c) Orat. in Deiparae Dormit. col. 1461. A. apud Combefisium Auctar. T. I. Τὰ ἐλέη σου τίς συνήσει; ἀλλὰ ἀρκεῖ σοι πρὸς ἔπαινον, ἀξιάγαστε, τὸ μὴ εὐπορεῖν ἡμᾶς ἐγκωμιάσαι τὰ σά.

d) De Symeone et Anna §. X. pag. 815. B. apud Gallandium T. III. Εὐλογημένη σὺ παντευλόγητε καὶ πᾶσι ποθητέ· ἐπ' εὐλογίαις κυρίου τὸ θεοχαριτώτατόν σου ὄνομα θεογεννῆτορ καὶ διαδοῦχε τῶν πιστῶν.

qui ex eo omnes splendore collustrentur. Atqui horum nihil est quod maiores nostri de Virgine non affirment, atque horum nihil est quod de Virgine non inculcent atque repetant. Scilicet illorum animis altissime insederat persuasio, innocentiam Virginis eam fuisse quam nullus umquam culpae naevus taminarit.

CAPUT V.

Recensentur maiorum formulae iunctis cumulatisque epithetis coalescentes, quibus Deiparae puritas enucleatius exprimitur eiusque innocentia cuiusvis expers labis plenius demonstratur.

247. Duplici formularum genere praeceptas animo rerum notitias efferimus: vel enim formulis utimur simplicibus iisdemque universalibus: vel formulas usurpamus complexas et quarum singula prope elementa singulares ideas notasque spectandas obiiciunt. Priori formularum genere dicimus, Deum esse [1]) τὸν ὄντα *eum qui est:* dicimus Angelum [2]) esse ἀσώματον καὶ νοερὰν φύσιν *incorpoream intellectualemque naturam:* et dicimus hominem [3]) esse ζῶον λογικὸν *animal ratione praeditum.* At posteriori genere quemadmodum cum Gregorio nysseno [a]) Deum ita describimus ut sit, *incorrupta vita, ineffabile pariter et intellectum fugiens bonum, inenarrabilis pulcritudo, a se profecta, a seipsa data gratia et sapientia et potentia, vera lux, fons omnis bonitatis, rebus omnibus praesidens et super imposita potestas, solum amabile, semper eodem modo sese habens, perpetua exultatio, sempiterna voluptas:* et angelum praeeunte [b]) Iohanne damasceno, nuncupamus *substantiam intelligentem, semper mobilem, libero arbitrio insignem, corporis expertem,*

a) De beatitudinibus Orat. I. pag. 764. opp. T. I. Ἡ ἀκήρατος ζωὴ, τὸ ἄρρητόν τε καὶ ἀκατανόητον ἀγαθὸν, τὸ ἀνέκφραστον κάλλος, ἡ αὐτόχαρις καὶ σοφία, καὶ δύναμις, τὸ ἀληθινὸν φῶς· ἡ πηγὴ πάσης ἀγαθότητος· ἡ ὑπερκειμένη τοῦ παντὸς ἐξουσία, τὸ μόνον ἐράσμιον, καὶ ὡσαύτως ἔχον, τὸ διηνεκὲς ἀγαλλίαμα, ἡ ἀΐδιος εὐφροσύνη.

b) Orthod. fid. lib. II. cap. III. Ἄγγελος ἐστὶν οὐσία νοερὰ, ἀεικίνητος, αὐτεξούσιος, ἀσώματος, θεῷ λειτουργοῦσα, κατὰ χάριν ἐν τῇ φύσει τὸ ἀθάνατον εἰληφυῖα.

1) Exod. III. 14.

2) Apud Eusebium, Demonstrat. evangelic. lib. IV. pag. 105.

3) Apud Gregorium nyssenum de Virginitate cap. XII. pag. 147. opp. T. III.

Deo manistrantem et immortalitatem in natura secundum gratiae donum consequutam, ita hominem [a]) maiorum vestigiis insistentes definimus *animal rationis particeps mentisque compos, et divinae incorruptaeque naturae opus atque simulacrum*.

248. Porro si haec quae sua se opportunitate et perspicuitate commendant, ad rem praesentem traducantur, expeditissimum erit intelligere, pleraque omnia superioribus capitibus exposita ad primum formularum genus pertinere, eoque ex sese referri ut loquutionibus universalibus immunitatem Deiparae ab omni labe, plenamque eiusdem sanctitatem demonstrent. Et Deiparam quidem ab omni labe solutam demonstrant epitheta ἄσπιλος καὶ πανάσπιλος *intemerata ac penitus intemerata*, et quaecumque sunt huius ordinis alia; eiusdem vero expletam numeris omnibus sanctitatem demonstrant apposita ἁγία καὶ παναγιώτατος *sancta ac undequaque sanctissima*, et quae iisdem comprehensa classibus commemoravimus.

249. Superest igitur ut formulis simplicibus atque universalibus addantur, si quae forte praesto sint, formulae compositae, quaeque ex congestis cumulatisque epithetis efflorescunt. Ex his enim tria potissimum assequemur, et initio quidem adductis epithetis negantibus et affirmantibus vel a Deipara funditus omnique ex parte arceri quidquid impurum est et cum culpa cognatum, vel Deiparae prorsus omnique ex parte asseri quod praeclarum est, decorum et cum sanctitate aptum atque devinctum. Tum vero assequemur, nullum esse sive culpae et defectus, sive perfectionis et sanctimoniae gradum, qui aut non debeat longissime a Deipara amandari, aut eidem non debeat vicissim adscribi. Assequemur tandem neque alia specie exhiberi, neque alia imagine sisti posse Deiparae puritatem singularemque innocentiam, nisi quae tenebras omnes peccati, omnesque defectuum umbras excludat, splendidissimis contra virtutum radiis collustretur.

250. Neque vero desunt eiusmodi formulae complexae et epithetorum varietate conflatae; immo tot numero tamque insignes in christianis monimentis reperiuntur, ut delectu non adhibito, periculum sit ne earumdem copia obruamur. Delectu itaque utemur,

a) Apud Gregorium nyssenum Orat. cathech. cap. XXXIII. pag. 95. et de Virginit. cap. XII. pag. 147. opp. T. III. Λογικὸν καὶ διανοητικὸν ζῶον, τῆς θείας τε καὶ ἀκηράτου φύσεως ἔργον καὶ μίμημα.

iisque contenti erimus, quae neque molestiam satietate creent, neque parcitate aut evidentiam probationis obscurent aut eiusdem robur infringant. Quoniam vero neque illas uno eodemque articulo, qui prolixior evaderet, complecti possumus; neque ita possumus distribuere, ut negantes ab affirmantibus et expressas positivo gradu a superlativis secernamus: occurrunt enim permixtae atque confusae; hanc idcirco partitionis normam sectabimur, ut primus articulus illas sistat quae in Patrum libris habentur, alter eas referat quae liturgica monimenta affatim praebent, tertius vero postremusque iis constet quae in ecclesiasticis libris, in Menaeis, in Triodio, in Pentecostario, in Paracletice, in Anthologio aliisque leguntur.

ARTICULUS I.

De formulis cumulatis quae in patrum operibus occurrunt, eximiamque Deiparae innocentiam cuiusvis expertem labis praeseferunt.

251. Inter auctores formularum, quas *cumulatas* nominamus, quaeque epithetis iunctis congestisque continentur, omnium primus idemque spectatissimus qui animum subit, est [1]) Theodorus ancyranus, a quo Deipara dicitur « Virgo innocens, sine macula, omni culpa vacans, intemerata, impolluta, sancta [2]) animo et corpore, sicut [3]) lilium inter medias spinas germinans. » Et [4]) mox: « Ave [5]) gratia plena, Dominus tecum. Benedicta tu pulcherrima ac formosissima mulierum. Dominus tecum, quae tota venerabilis, tota gloriosa, tota bona sis. Dominus tecum, veneranda tu, incomparabilis, omnem claritatem superans, tota lucis fulgoribus concreta, Deo digna, beatificanda. » Germanus vero [a]) ubi opem Deiparae implorat, ait: « Tu autem o innocentissima et optima et misericordissima

a) Orat. in Deiparae zonam pag. 237. Σὺ δέ μοι, ὦ πάναγνε καὶ πανάγαθε καὶ πολυεύσπλαγχνε δέσποινα, τὸ τῶν χριστιανῶν παραμύθιον, τὸ τῶν θλιβομένων θερμότατον παρηγόρημα, τὸ τῶν ἁμαρτανόντων ἑτοιμότατον καταφύγιον, μὴ ἐγκαταλίπῃς ἡμᾶς ὀρφανοὺς σῆς ἀντιλήψεως.

1) Orat. in Christi nativ. §. XI. pag. 475. apud Gallandium T. IX.

2) 1. Cor. VII. 34.

3) Cantic. II. 2.

4) Ibid. §. XII. pag. 476. A.

5) Luc. I. 28.

domina, Christianorum solatium, afflictorum ornatissimum perfugium, et paratissimum peccatorum auxilium, ne tua nos opitulatione destitutos reliqueris. » Conspirat [a]) Andreas cretensis qui occasione [b]) verborum Christi, *solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud*, scribit: « Templum inquam integerrimi corporis eius, quod ex alvo incorruptae huiusce mundissimaeque nulloque non tempore virginis absque manuum labore sibi ipsi aedificavit. »

252. Neque aliter semel iterumque Sophronius, qui nunc quidem [c]) ait: « Ut divinum redderet humanum genus, Deus homo factus est ex te, penitus immaculata innocens. » Nunc [d]) subdit: « Tristitia tibi, o illibata innocens, vertebatur in gaudium. » Nunc [e]) ad Deiparam conversus clamat: « O sancta et a quavis labe immunis. » Et nunc [f]) illam vocat « Innocentissimam et prorsus immaculatam virginem Dei matrem. » Eodem pertinent quae habet [g]) vulgatus Epiphanius, ubi pluribus exaggerat neminem parem esse texendis laudibus: « De percelebri, sancta, innupta et Deipara Maria matre Domini. » Eodem quae [h]) Timotheus presbyter hierosolymitanus tradit, dum eos refellens qui verba [i]) Symeonis, *et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, de nece violenta Deiparae inferenda sumebant, inquit: « Sed non ita se res habet. Ensis enim a fabro excusus corpus dividit, animam non dissecat: unde etiam supra omnes inculpata et omnibus modis sancta Virgo per illum, qui domicilium habuit in ea, qui eam in supera loca assumptam traduxit, usque

a) Orat. in nat. Deiparae pag. 180. C. apud Gallandium T. XIII. Ναὸν λέγων τὸν τῆς ὑπεραμώμου σαρκὸς αὐτοῦ, ὃν ἐκ μήτρας αὐτὸς ἑαυτῷ τῆς ἀμιάντου ταύτης καὶ καθαρᾶς ἀειπαρθένου ἀχειροτεύκτως περιῳκοδόμησεν.

b) Ioh. II. 19. Λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν.

c) Triod. apud Mai, Spicileg. rom. T. IV. pag. 203. Ἵνα θεώσῃ τὸ ἀνθρώπινον, ὁ θεὸς ἄνθρωπος γέγονεν ἐκ σοῦ, πανάμωμε ἁγνή.

d) Ibid. pag. 200. Τὸ πένθος σοι, ἄχραντε ἁγνὴ, ἐτράπη εἰς χαράν.

e) Ibid. pag. 212. Ἁγία πανάμωμε.

f) In fragmentis apud Gallandium T. III. pag. 253. A. Ἡ πάναγνος καὶ πανάχραντος παρθένος θεομήτωρ.

g) Orat. de laudibus s. Mariae pag. 291. B-C. inter opp. Epiphanii T. II. Περὶ τῆς μεγαλωνύμου καὶ ὁσίας καὶ ἀπειρογάμου καὶ θεοτόκου Μαρίας, μητρὸς τοῦ Κυρίου.

h) Orat. de propheta Symeone Dei susceptore, pag. 847. B-C. biblioth. graec. lat. T. II. Οὐχ οὕτως δὲ ἔχει· ῥομφαία γὰρ χαλκευτὴ σῶμα διαιρεῖ, οὐ ψυχὴν διχοτομεῖ· ἐξ ὧν καὶ ὑπεράμωμος καὶ παναγία παρθένος ἄχρι τῆς δεῦρο ἀθάνατος διὰ τοῦ κατοικήσαντος ἐν αὐτῇ, ἐν τοῖς ἀναληψίμοις αὐτὴν χωρίοις μεταναστεύσαντος.

i) Luc. II. 35. Καὶ σοῦ δὲ αὐτῆς τὴν ψυχὴν διελεύσεται ῥομφαία.

adhuc immortalis est. » Et aliquot interiectis, ubi [a]) veram caussam doloris aperit, pergit: « Dolorem autem cepisse Virginem supra quam dici potest inculpatam omnibusque modis sanctam, quum putaret se amisisse eum qui ad salutem pereuntium venerat, audiebas modo Evangelistam dicentem: *et accidit post dies tres*. Vide quantum dolorem et afflictionem Virgo triduum pertulerit. » Et eodem [b]) haec pertinent quibus Iohannes geometra Virginis [1]) laudes prosequitur: « Celebremus Dei filiam, Deo similem, incorruptam sponsam, seminis insciam, innocentissimam, illibatam, Domini parentem, reginam, a rege genitam, regis genitricem, quae gentis suae proauctorem genuit, Deiparam, prolem generis laetitiam, quae Deum dedit, pretium redemptionis exsolvit, mala avertit, optata

a) Ibid. pag. 848. D-E. Ὅτι δὲ ὠδυνήθη ἡ ὑπεράμωμος καὶ παναγία παρθένος, δόξασα ἀπολωλεκέναι τὸν πρὸς σωτηρίαν τῶν ἀπολλυμένων ἐλθόντα, ἤκουες ἀρτίως τοῦ εὐαγγελιστοῦ λέγοντος· καὶ ἐγένετο μετὰ τρεῖς ἡμέρας· ὅρα πόσην ὀδύνην καὶ θλίψιν ἡ παρθένος τὰς τρεῖς ἡμέρας μετῆλθεν.

b) Hymn. V. in Deiparam κατ' ἀλφάβητον, vv. 1-13. pag. 444. in biblioth. graecolat. App. T. III.

Μέλπωμεν θεόπαιδα, θεοείκελον, ἀφθορονύμφην,
Ἄσπορον, ἁγνοτάτην, ἄχραντον, ἀνακτοτόκειον,
Βασιλίδα, βασιληγενέα, βασιληγενέτειραν,
Γεννογενάρχην, γεννόθεον, γενογηθέα γουνόν,
Δωσίθεον, δοτόλυτρον, δεινολύτιν, δοτιευκτόν,
Ἔνθεον, εὐώδινα, εὐερσιχαρῆ, ἐθνορύστιν,
Ζωοτόκον, ζάθεον, ζαόσωστιν, ζαοδότειραν,
Ἡμεροφῆ, ἡδόθεον, ἤπιον, ἠπιόδωρον.
Θελξίθεον, θελξίφρονα, θελξιμελῆ, θεόπαιδα,
Ἰοπάρειον, ἰόμματον, ἴοφρυν, ἱμερόεσσαν.
Κοσμογενῆ, κατάκαρπον, κλεινήν, κοσμογύναικα,
Λαοχαρῆ, λαοθάμβεα, λιτήν, λαομάκαιραν,
Μυρίθεον, μυρίκοσμον, μυριφαῆ, μυρίκλητον.

1) Morellius in subiecta admonitione p. 445. scribit: « Veterum sanctorum patrum auctoritatibus singula beatae Virginis elogia et encomia quae heic coacervata sunt, comprobare, actum esset agere. Enimvero hac iam in re elaboraverunt e Graecis Hesychius, ex Latinis sanctus Bernardus, beatus Anselmus, rev. p. Canisius theologus Societatis Iesu in opere Mariano, et Gaspar Loartes ex eadem Societate in Institut. Rosarii et Litaniis, ubi plerasque perhonorificas beatae Virginis Dei genitricis compellationes diligenter persequuti et interpretati sunt. » De quibus e re fuerint praeterea contulisse Patrum eiculum in Hist. Manich. n. 35. pagg. 38, 39. apud Mai in nova PP. biblioth. T. IV. P. II., et in Serm. II. adversus Manich. ibid. pag. 66., Nicephorum constantinopolitanum in Antirr. I. adversus Costantinum Copronym. n. 9. pag. 5., in Antirr. III. n. 84. pag. 143. et in Apolog. pro ss. imaginibus n. 23. pag. 27. ibidem T. V., Leontium byzantinum adv. Nestor. lib. IV. pagg. 574, 576. Scriptt. vett. T. IX., Nicetam aquileiensem in Symboli explanat. pag. 334. ibid. T. VII. et Ambrosium in exposit. fidei pag. 162. ibidem. Quare in ecclesiastico hymno apud Mone T. I. pag. 125. coniunctim Virgo audit *sacerrima, gloriosa, benigna, praepulcherrima, praedigna, praeformosa*.

erogavit, divinitus afflatam, partu felicem, beneficentia gaudentem, gentis liberatricem, vitae genitricem, sacram vitae conservatricem, vitae largitricem, adspectu mitem, dulcem, benignam, lenem, Deum demulcentem, exhilarantem animum, voce suavem, Dei filiam. Pulcris genis, oculis, mente praestantem, amabilem, in mundo natam, fructuosam, inclytam, mundi imperatricem, populi gaudium, stuporem, supplicationem, felicitatem, unguentum Dei, unguentum mundi, unguentum specie, unguentum nomine. » .

253. Quid vero earum orationum auctor, quae Gregorii neocaesariensis nomine inscribuntur ? Videlicet Deiparam his verbis [a]) exornat: « Et sicut margarita ex duabus naturis, fulgure nimirum et aqua, occultis quibusdam indiciis maris provenit; ita et Dominus noster Iesus Christus inconfuse et incommutabiliter ex pura et innocente et impolluta et sancta Maria progreditur in divinitate perfectus, et in humanitate perfectus, similis Patri in omnibus, et nobis per omnia consubstantialis sine peccato. » Iisdem utitur laudum titulis auctor sermonis [1]) in natalem Domini Augustino vel Maximo tributi, inquiens: « Videamus ergo, quae est illa Virgo tam sancta, ad quam Spiritus sanctus venire dignatus est: quae tam speciosa, quam Deus elegit sponsam: quae tam copiosa, cuius generationem cunctus orbis excipiat: quae tam casta ut possit virgo esse post partum ? » Iisdem Theodorus Abucaras [b]) qui sacramentum Incarnationis enarrans ait: « Propter misericordiae vero magnitudinem, et humanitatem nulla verborum copia exprimendam, in ultimis diebus, ut salutem nobis largiretur, descendit e caelo unde deitate sua

a) Orat. I. de annunciat. Deiparae pag. 13. Καὶ ὥσπερ ὁ μαργαρίτης ἐκ τῶν δύο φύσεων, ἐξ ἀστραπῆς καὶ ὕδατος ἐκ τῶν ἀδήλων σημείων τῆς θαλάσσης προέρχεται· οὕτως καὶ ὁ δεσπότης ἡμῶν ὁ Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς ἀσυγχύτως καὶ ἀτρέπτως ἐκ τῆς καθαρᾶς καὶ ἁγνῆς καὶ ἀμιάντου καὶ ἁγίας παρθένου Μαρίας προέρχεται ἐν θεότητι τέλειος καὶ ἐν ἀνθρωπότητι τέλειος, κατὰ πάντα ὅμοιος τῷ πατρὶ, καὶ ὁμοούσιος ἡμῖν κατὰ πάντα, χωρὶς ἁμαρτίας.

b) De unione et incarnat. pagg. 76, 77. edit. Paris. MDCLXXXV. Διὰ δὲ πλῆθος ἐλέους καὶ φιλανθρωπίαν ἄφατον, δι' ἡμετέραν σωτηρίαν ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν καταληλυθὼς ἐξ οὐρανοῦ, ὅθεν οὐκ ἀπέστη τῇ πάντα πληρούσῃ θεότητι, καὶ σαρκωθεὶς ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ τῆς παναμώμου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, ἔσχεν ἐν αὐτῷ τελείαν καὶ ἀνελλιπῆ τὴν κτιστὴν καὶ παθητὴν καὶ ἀνθρωπείαν οὐσίαν, κατηγορουμένην αὐτοῦ, καθὼς καὶ ἡ θεία φύσις.

1) Inter Augustini sermones de tempore, Serm. X. al. CXXI. in natal. Dom. V. n. 5. col. 156. C., et in App. ad opp. Maximi, Serm. XII. col. 45 B-C.

omnia implente numquam abfuit, homo factus est ex Spiritu sancto et immaculata semperque virgine Maria, tenuit perfectam, et cui nihil deest, creatam et passibilem humanamque naturam, quae de ipso praedicatur perinde ac essentia divina. » Et iisdem non uno in loco Anselmus utitur. Utitur enim [1]) inquiens: « Virgo mundo venerabilis, mater humano generi amabilis, femina angelis mirabilis, Maria sanctissima, cuius beata virginitate omnis sacratur integritas, cuius glorioso partu omnis salvatur fecunditas. Domina magna, cui gratias agit concio laeta iustorum, ad quam fugit territa turba reorum. » Utitur [2]) subdens: « Maria, tu illa magna Maria, tu illa maxima beatarum Mariarum, tu illa maxima feminarum. Te, Domina magna et valde magna, te vult cor meum amare, te desiderat venerari mens mea, te affectat exorare anima mea, quia tuitioni tuae se commendat tota substantia mea. » Utitur [3]) ubi exclamat: « O intemerata et in aeternum benedicta, specialis et incomparabilis Virgo, Dei genitrix Maria, gratissimum Dei templum, Spiritus sancti sacrarium, ianua regni caelorum, per quam post Deum totus vivit orbis terrarum. » Et utitur [4]) ubi ait: O sancta, o benedicta, in necessitatibus nostris adesse digneris nostrum consilium et auxilium; quae omnibus es promptior, potentior, efficacior, amabilior, gratiosior et dulcior. Dulcis es in ore te laudantium, in corde te diligentium, in memoria te deprecantium. Magnifica es in omni sexu, in omni aetate, in omni conditione, in tribubus, populis et linguis. »

254. Sed vix non omnibus palmam praeripit Ephraem, qui [a]) Deiparam exorans ait: « Domina mea supersancta Deipara et gratia plena, mater Dei benedictissima, Deo gratissima Dei mater, vas divinitatis unigeniti immortalis tui Filii et invisibilis Patris, throne igniformis quadriformibus longe gloriosior, tota pura, tota immaculata, tota illibata, tota impolluta, tota irreprehensibilis, tota laudabilis, tota

a) Ad sanctissimam Dei matrem, precat. IV. pag. 528. opp. graec. T. III. Δέσποινα ὑπεραγία μου Θεοτόκε καὶ κεχαριτωμένη, Θεογεννήτρια ὑπερευλογημένη, Θεοχαρίτωτε Θεομῆτορ, δοχεῖον τῆς Θεότητος τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ τοῦ ἀθανάτου καὶ ἀοράτου πατρὸς, Θρόνε πυρίμορφε τῶν τετραμόρφων ὑπερενδοξοτέρα, πάναγνε, πανάχραντε, πανάσπιλε, παναμόλυντε, παναμώμητε, πανύμνητε, πανάφθορε, παμμακάριστε, πανακήρατε, πάνσεπτε, πάντιμε, πανευλόγητε, παντομνημόνευτε, παμπόθητε, παρθένε τῇ ψυχῇ καὶ τῷ σώματι καὶ τῷ νοΐ.

1) Orat. L. pag. 279. col. 1. D.
2) Orat. LI. pag. 280. col. 1. C.
3) Orat. LII. pag. 282. col. 1. C.
4) Orat. LIII. pag. 283. col. 1. A.

incorrupta, tota beatificanda, tota inviolata, tota venerabilis, tota honorabilis, tota benedicenda, semper memoranda, tota desiderabilis, virgo anima et corpore et mente. » Et [1]) denuo: « Immaculata et intemerata, incorrupta ac prorsus pudica atque ab omni sorde et labe peccati alienissima Virgo Dei sponsa ac domina nostra. » Quibus haec respondent [2]) ex eiusdem threnis: « Sed te, iam nos, o pura et immaculata eademque benedicta Virgo, magni filii tui universorumque Dei mater inculpata, integra et sacrosanctissima, desperantium atque reorum spes, collaudamus. Tibi, ut gratia plenissimae benedicimus, quae Christum genuisti Deum et hominem: omnes tibi procidimus, omnes te invocamus et auxilium tuum imploramus. Eripe nos, o Virgo sancta atque intemerata, a quacumque necessitate ingruente et a cunctis tentationibus diaboli. Nostra conciliatrix et advocata in hora mortis atque iudicii esto, nosque a futuro inextinguibili igne et tenebris exterioribus libera, et Filii tui nos gloria dignare, o Virgo et mater dulcissima ac clementissima. Tu siquidem unica apud Deum christianorum spes nostra es securissima et sanctissima. » Atque haec item [3]) ex eiusdem sermone de [4]) *sanctissimae Dei genitricis virginis Mariae laudibus:* « Inviolata, integra, planeque pura ac casta virgo Dei genitrix Maria, regina omnium, spes desperantium, domina nostra gloriosissima eademque optima ac praecellentissima, sublimior caelitibus, candidior solis radiis atque fulgoribus, honoratior Cherubim, et multis [5]) oculis claris spiritibus perspicacior. Sanctior Seraphim, et incomparabiliter reliquis omnibus supernis exercitibus gloriosior, omniumque sanctorum ac virginum corona, ob immensum fulgorem atque splendorem inaccessa. » Iamvero quum ita maiores nostri loquerentur, nullumque finem facerent cumulandi epitheta et apposita congerendi, queis a Deipara labes omnes averterent, eidemque decora omnia vindicarent; quid illos existimabimus aut de eiusdem immunitate a culpa credidisse, aut de perfectissima sanctitate iudicasse? Illud ipsum, pro certo habeo, quod [6]) Paulus de Ecclesia dum scripsit: « Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tra-

1) Ibid. Orat. ad s. Virginem pag. 577. Nihil praeterea suppetit quam latina versio.

2) Ibid. pag. 575. col. 2. A-C.

3) Ibid. pag. 575. col. 1. D-E.

4) Al. *de beatissimae ac gloriosissimae Dei matris laudibus.*

5) Idest πολυομμάτων.

6) Ephes. V. 25, 28. Ὁ Χριστὸς ἠγάπησε τὴν ἐκκλησίαν, καὶ ἑαυτὸν παρέδωκεν ὑπὲρ αὐτῆς, ἵνα παραστήσῃ αὐτὴν ἑαυτῷ ἔνδοξον τὴν ἐκκλησίαν, μὴ ἔχουσαν σπίλον ἢ ῥυτίδα ἤ τι τῶν τοιούτων, ἀλλ' ἵνα ᾖ ἁγία καὶ ἄμωμος.

didit pro ea, ut exhiberet ipse sibi *gloriosam* Ecclesiam, *non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* » Et illud ipsum ea qua decet proportione, quod de Christo [1]) significavit inquiens: « Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, *sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus.* » Et fieri sane non potuit ut vel brevissimo temporis intervallo cum peccatoribus coniuncta ea foret, cuius speciem et formam non aliter exprimunt patres scriptoresque ecclesiastici [2]) quam iunctis simul copulatisque epithetis, quibus I. eam salutant *innocentem, innocentissimam, illibatam, immaculatam, immaculatissimam, omni culpa vacantem, penitus intemeratam, impollutam, animo et corpore sanctam nec animo minus quam corpore virginem*, et quibus II. eam eximie atque singulariter vocant *Dei filiam, Deo similem, inter medias spinas ceu lilium germinantem, radiis solis candidiorem, malorum expultricem, conciliatricem bonorum, generis laetitiam, mundi unguentum, ob immensum fulgorem inaccessam et per quam post Deum totus vivit terrarum orbis.*

ARTICULUS II.

De formulis cumulatis, quibus monimenta liturgica abundant, quaeque plenissimam Deiparae sanctitatem illamque ab omni labe solutam patefaciunt.

255. Memoratis damnatisque atrocioribus pelagianae factionis haeresibus, quibus Redemptionis sacramentum universaque gratiae oeconomia labefactabatur, pergit [3]) Caelestinus romanus Praesul in litteris circa annum CCCCXXXI. ad *Galliae Episcopos* datis *pro Prospero et Hilario, seu pro ipso Augustino de gratia Dei:* « Praeter beatissimae et apostolicae sedis inviolabiles sanctiones, quibus nos piissimi patres pestiferae novitatis elatione deiecta, et bonae voluntatis exordia, et incrementa probabilium studiorum, et in eis

1) Hebr. VII. 26. Τοιοῦτος γὰρ ἡμῖν ἔπρεπεν ἀρχιερεύς, ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν.

2) Quam epithetorum copulationem pariter animadvertimus in gestis synodorum, quod perspicuum erit conferentibus quae habentur apud Mansium T. IX. pagg. 378. A. 379. C. 386. D. 499. C. 539. D-E. 543. A. 555. E. 559. C. 563. A. 566. B. 587. B. T. XI. pagg. 207. A-C. 451. D. et T. XII. p. 1123. A.

3) Cap. XI.

usque in finem perseverantiam ad Christi gratiam referre docuerunt; obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respiciamus, quae ab apostolis tradita in toto mundo atque in omni catholica Ecclesia uniformiter celebrantur; *ut legem credendi lex statuat supplicandi.* Cum enim sanctarum plebium Praesules mandata sibi legatione fungantur apud divinam clementiam, humani generis agunt caussam, et tota secum Ecclesia congemiscente postulant et precantur, ut infidelibus donetur fides, ut idololatrae ab impietatis suae liberentur erroribus, ut Iudaeis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut haeretici catholicae fidei [1]) perceptione resipiscant, ut schismatici spiritum redivivae caritatis accipiant, ut lapsis poenitentiae remedia conferantur, ut denique catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis caelestis misericordiae aula reseretur. Haec autem non perfunctorie neque inaniter a Domino peti, rerum ipsarum monstrat effectus: quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur adtrahere, quos [2]) erutos de potestate tenebrarum transferat in regnum Filii caritatis suae, et ex vasis irae faciat vasa misericordiae. Quod adeo totum divini operis esse sentitur, ut haec efficienti Deo gratiarum semper actio laudisque confessio pro illuminatione talium vel correctione referantur. » Et [3]) continuo: « Illud etiam quod circa baptizandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter *agit*, non otioso contemplemur intuitu, cum sive parvuli sive iuvenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vitae adeunt, quam exorcismis et exsufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur; ut tunc vere appareat, quomodo [4]) princeps mundi huius mittatur foras, et quomodo prius alligetur fortis, et deinceps vasa eius diripiantur, in possessionem translata victoris, qui captivam ducit captivitatem et dat dona hominibus. »

256. Iamvero inter monimenta liturgica quae adhuc sunt reliqua, ea prae ceteris fama, usu et antiquitate commendantur, quae nominibus Petri, Iacobi, Marci, Basilii et Chrysostomi excellunt, quaeque ad ordinem missamque praesanctificatorum spectant. Haec enim in antiquissimis et nobilissimis ecclesiis iampridem obtinuerunt et etiam num frequentantur: atque his universalis et perpetua

1) Al. *perfectione*.
2) Coloss. I. 13. coll. Rom. IX. 22.
3) Ibidem cap. XII.
4) Ioh. XII. 31. coll. Marc. III. 27. Ps. LXVII. 19. Ephes. IV. 8.

Christianorum fides, acceptaque ab apostolis virisque apostolicis institutio continetur. Ex eiusmodi autem liturgiis ne unam quidem facile reperias, in qua collectis congestisque epithetis Deipara non laudetur, eiusque eximia sanctitas omnisque expers labis integritas praeclarissime non efferantur.

257. Et efferuntur profecto in liturgia Petro adscripta, in qua primum [a]) legimus: « Ave gratia plena Maria, Dominus tecum. » Tum [b]) subditur implorandas esse preces « In primis [1]) sanctae, gloriosae, semperque virginis Mariae, genitricis Domini et Dei et Servatoris nostri Iesu Christi. » Et paullo [c]) inferius: « Libera nos, quaesumus Domine, ab omni malo praesente ac futuro, intercessionibus immaculatae et gloriosae dominae nostrae Deiparae, semperque virginis Mariae. » Efferuntur in liturgia Iacobi [2]) nomine insignita, in qua sacerdos [d]) ait: « Commemorantes sanctissimam, immaculatam, gloriosissimam dominam nostram matrem Dei et semper virginem Mariam, cum omnibus sanctis et iustis, nos ipsos et mu-

a) Liturg. s. Petri, p. 120. A. biblioth. graec. lat. T. II. *Χαῖρε κεχαριτωμένη Μαρία, ὁ κύριος μετὰ σοῦ.*

b) Ibid. pag. 126. A-B. *Ἐν πρώτοις τῆς ἁγίας ἐνδόξου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας γεννητρίας τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.*

c) Ibid. pag. 122. D. *Ῥῦσαι ἡμᾶς, δεόμεθα κύριε, ἀπὸ παντὸς κακοῦ ἐνεστῶτος καὶ μέλλοντος πρεσβείαις τῆς ἀχράντου καὶ δεδοξασμένης δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας.*

d) Liturg. Iacobi fratris Domini, pag. 5. E. *Τῆς παναγίας, ἀχράντου, ὑπερενδόξου, δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, μετὰ πάντων τῶν ἁγίων καὶ δικαίων, μνημονεύσαντες, ἑαυτοὺς καὶ ἀλλήλους καὶ πᾶσαν τὴν ζωὴν ἡμῶν Χριστῷ τῷ θεῷ παραθώμεθα.*

1) Formulae *ἐν πρώτοις in primis* atque *ἐξαιρέτως praecipue* in monimentis liturgicis frequentissimae sunt ac prope constantes, quum sermo habetur de invocanda Deipara, sanctisque exorandis. Est enim Deipara quae *in primis ac praecipue* coli invocarique perhibetur. Quo quidem non obscura continetur illius mariani cultus significatio, quem *hyperduliam* vocant, quem opportuniori loco illustrabimus, et de quo Thomas III. p. q. XXV. a. V. scribit: « Cum beata Virgo sit pura creatura rationalis, non debetur ei adoratio *latriae*, sed solum veneratio *duliae*, eminentius tamen quam ceteris creaturis, in quantum ipsa est mater Dei; et ideo dicitur quod debetur ei non *qualiscumque dulia* sed *hyperdulia*. » Paullo uberius Bonaventura in III. dist. IX. q. III. inquiens: « Beatissima virgo Maria pura creatura est, et ideo ad honorem et cultum *latriae* non ascendit. Sed quoniam excellentissimum nomen habet, ita quod excellentius purae creaturae convenire non potest; ideo non tantum debetur ei honor *duliae* sed *hyperduliae*. Hoc autem nomen est, quod virgo exsistens, Dei mater est. Quod quidem tantae dignitatis est, quod non solum viatores sed et comprehensores, non solum homines verum etiam angeli eam venerantur, quadam praerogativa speciali. Ex hoc enim quod Dei mater est, praelata est ceteris creaturis, et eam prae ceteris decens est honorare et venerari. Hic autem honor consuevit a magistris *hyperdulia* vocari, et accipitur verbum illud de Glossa ubi dicitur *dulia maior* et *dulia minor*. » Plura dabit venerabilis Petrus Canisius de Maria Deipara lib. V. capp. XV. seqq. et capp. XXVII. seqq.

2) De hac liturgia, deque sumptis ex ea testimoniis dignus est qui conferatur Assemanus in cod. liturg. T. IV. P. II. pagg. 13, 24, 45, 61, 71, 97, 146, 189.

tuo inter nos et omnem vitam nostram Christo Deo commendemus. » Tum diaconus [a]) addit: « Commemorationem agamus sanctissimae, immaculatae, gloriosissimae, benedictae dominae nostrae matris Dei, et semper virginis Mariae, ac omnium sanctorum et iustorum, ut precibus atque intercessionibus eorum omnes misericordiam consequamur. » Ad haec recitata angelica salutatione, sacerdos [b]) mentionem facit « Praecipue sanctissimae, immaculatae, super omnes benedictae, gloriosae dominae nostrae, Deiparae semperque virginis Mariae. » Cantores vero [c]) exclamant: « Dignum est ut te vere beatam dicamus Deiparam, semper beatam [1]) et omnibus modis immaculatam et matrem Dei nostri, honorabiliorem quam Cherubim, et gloriosiorem quam Seraphim; quae sine corruptione Deum Verbum peperisti: te revera Deiparam magnificamus. » Et [d]) e vestigio: « Tibi, o plena gratia, universa creatura gratulatur; angelorum coetus et hominum genus; quae es templum sanctificatum, paradisus spiritalis, virginum gloria, ex qua Deus carnem assumpsit, et puer factus est Deus noster qui est ante secula; et tuum ventrem latiorem ac ampliorem caelis ipsis reddidit: tibi, o gratia plena, universa creatura gratulatur: gloria tibi. » Denique [e]) sacerdos his verbis orans inducitur: « Sanctissimae, intemeratae, gloriosissimae,

a) Ibid. pag. 9. D. Τῆς παναγίας, ἀχράντου, ὑπερενδόξου, εὐλογημένης δεσποίνης ἡμῶν, θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, καὶ πάντων τῶν ἁγίων καὶ δικαίων μνημονεύσωμεν, ὅπως εὐχαῖς καὶ πρεσβείαις αὐτῶν οἱ πάντες ἐλεηθῶμεν.

b) Ibid. pag. 16. E. Ἐξαιρέτως τῆς παναγίας, ἀχράντου, ὑπερευλογημένης, ἐνδόξου, δεσποίνης ἡμῶν, θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας.

c) Ibid. pag. 16. E. Ἄξιον ἐστὶν ὡς ἀληθῶς μακαρίζειν σὲ τὴν θεοτόκον, τὴν ἀειμακάριστον καὶ παναμώμητον, καὶ μητέρα τοῦ θεοῦ ἡμῶν, τὴν τιμιωτέραν τῶν Χερουβὶμ, καὶ ἐνδοξοτέραν ἀσυγκρίτως τῶν Σεραφὶμ, τὴν ἀδιαφθόρως θεὸν λόγον τεκοῦσαν, τὴν ὄντως θεοτόκον σὲ μεγαλύνομεν.

d) Ibid. pag. 16. E. et pag. 17. A. Ἐπὶ σοὶ χαίρει κεχαριτωμένη πᾶσα ἡ κτίσις, ἀγγέλων τὸ σύστημα, καὶ ἀνθρώπων τὸ γένος, ἡγιασμένε ναὲ, καὶ παράδεισε λογικὲ, παρθενικὸν καύχημα, ἐξ ἧς Θεὸς ἐσαρκώθη, καὶ παιδίον γέγονεν ὁ πρὸ αἰώνων ὑπάρχων θεὸς ἡμῶν· τὴν γὰρ σὴν μήτραν θρόνον ἐποίησε, καὶ τὴν σὴν γαστέρα πλατυτέραν οὐρανῶν ἀπειργάσατο· ἐπὶ σοὶ χαίρει, κεχαριτωμένη, πᾶσα ἡ κτίσις· δόξα σοι.

e) Ibid. pag. 22. B. Τῆς παναγίας, ἀχράντου, ὑπερενδόξου, εὐλογημένης δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, καὶ πάντων τῶν ἁγίων τῶν ἀπ᾽ αἰῶνος σοὶ εὐαρεστησάντων μνημονεύσαντες, ἑαυτοὺς καὶ ἀλλήλους καὶ πᾶσαν τὴν ζωὴν ἡμῶν Χριστῷ τῷ Θεῷ παραθώμεθα.

1) Appellari profecto Deipara non posset ἀειμακάριστος *semper beata*, si contracta originis culpa, *infelix* aliquando fuisset ac *misera*.

benedictae dominae nostrae Dei genitricis et semper virginis Mariae, et omnium sanctorum qui tibi a seculo placuerunt, memoriam celebrantes, nosmetipsos et invicem et omnem vitam nostram Christo Deo commendemus. » Efferuntur in liturgia [1]) Marco tributa, e qua haec [a]) salutationi angelicae subiecta in rem nostram faciunt: « Inprimis sanctissimae, intemeratae et benedictae dominae nostrae Dei genitricis et semper Virginis Mariae. »

258. Cognata istis sunt quae [2]) Basilii Liturgia continentur, sive ubi [b]) dicitur: « Quoniam enim per hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors; visum est unigenito Filio tuo, ut qui erat in sinu Dei et Patris, ex muliere [3]) sancta Deipara et semper virgine Maria natus, sub lege factus condemnaret peccatum in carne sua, ut qui in Adam moriebantur, vivificarentur in ipso Christo tuo. » Sive [c]) ubi additur exorandum esse Deum « Ut inveniamus misericordiam et gratiam cum omnibus sanctis qui a seculo tibi placuerunt: praecipue cum sanctissima, illibata, super omnes benedicta, gloriosa domina nostra, Deipara et semper virgine Maria. » Cognata sunt quae habet Chrysostomi liturgia, in qua [d]) legimus [4]) sacrificium offerri « In honorem et memoriam su-

a) Liturgia s. Marci, pag. 34. E. Ἐξαιρέτως τῆς παναγίας, ἀχράντου, εὐλογημένης δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας.

b) Liturgia Basilii pag. 167. D. apud Goarium in Euchologio. Ἐπειδὴ γὰρ δι' ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος, εὐδόκησεν ὁ μονογενής σου υἱὸς, ὁ ὢν ἐν τοῖς κόλποις σου τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς, γενόμενος ἐκ γυναικὸς τῆς ἁγίας Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, γενόμενος ὑπὸ νόμον, κατακρῖναι τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ· ἵνα οἱ ἐν τῷ Ἀδὰμ ἀποθνήσκοντες, ζωοποιηθῶσιν ἐν αὐτῷ τῷ Χριστῷ σου.

c) Ibid. pag. 170. A-B. Ἵνα εὕρωμεν ἔλεον καὶ χάριν μετὰ πάντων τῶν ἁγίων, τῶν ἀπ' αἰῶνος σοὶ εὐαρεστησάντων· ἐξαιρέτως τῆς παναγίας, ἀχράντου, ὑπερευλογημένης, ἐνδόξου δεσποίνης ἡμῶν, Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας.

d) Liturgia Chrysostomi pag. 61. D. apud Goarium in Euchologio. Εἰς τιμὴν καὶ μνήμην τῆς ὑπερευλογημένης, ἐνδόξου, δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας.

1) Cf. Assemanum in cod. liturg. T. IV. P. IV. pag. 163.

2) Cf. Assemanum in cod. liturg. T. IV. P. IV. pag. 64.

3) Appositum *sanctae* in hac serie orationis Deiparam secernit a reliquo hominum genere propter originalem praevaricationem vitiato atque corrupto.

4) « Quis enim Antistitum, *inquit Augustinus con. Faustum lib. XX. cap. XXI.*, in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit: offerimus tibi Petre aut Paule aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo qui martyres coronavit, apud memorias eorum quos coronavit. » Quum igitur celebrari dicimus *Missam Deiparae*, hoc unum cum Ecclesia catholica et tridentinis patribus Sess. XXII. cap. III. significatum volumus, missam et sacrificium in gratiarum actionem *uni Deo* offerri pro donis quibus Deiparam cumulavit.

per omnes benedictae, gloriosae, reginae nostrae Deiparae et semper virginis Mariae. » Legimus [a]) diaconum inclamantem: « Sanctissimae, illibatae, super omnes benedictae, gloriosae Dominae nostrae, Deiparae et semper virginis Mariae cum omnibus sanctis memoriam recolentes, nosmetipsos et invicem et omnem vitam nostram Christo Deo commendemus. » Legimus haec eadem [1]) semel iterumque totidem verbis repetita. Legimus rationale sacrificii obsequium [b]) offerri « Praesertim pro sanctissima, illibata, super omnes benedicta, gloriosa, regina nostra Deipara et semper virgine Maria. » Legimus [c]) Chorum canentem: « Dignum est certe te laudare Deiparam, quae semper beatificanda es, et ab omni noxa exempta, quae mater es Dei nostri, prae Cherubim veneranda, et Seraphim sine comparatione gloriosior. » Tum [d]) legimus: « Indulge mihi cuncta ut bonus et clemens intercessionibus [2]) penitus intemeratae tuae et semper virginis matris, incondemnatum me custodi, ut sumam pretiosum et intemeratum corpus tuum ad medelam animi et corporis. » Tandem cognata sunt quae [e]) in praesanctificatorum liturgia his verbis significantur: « Ave honoranda quae Deum peperisti ad omnium salutem, per quam humanum genus salutem reperit. Per te enim Dei genitrix pura, benedicta [3]) paradisum invenimus. »

259. Sicuti a forma modoque loquendi, ita a fide his liturgiis contenta ne minimum quidem ea dissident, quae vel [4]) copticis

a) Ibid. pag. 65. D. Τῆς παναγίας, ἀχράντου, ὑπερευλογημένης, ἐνδόξου δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, μετὰ πάντων τῶν ἁγίων μνημονεύσαντες ἑαυτοὺς καὶ ἀλλήλους καὶ πᾶσαν τὴν ζωὴν ἡμῶν Χριστῷ τῷ θεῷ παραθώμεθα.

b) Ibid. pag. 78. A. Ἐξαιρέτως τῆς πανγίας, ἀχράντου, ὑπερευλογημένης, ἐνδόξου, δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας.

c) Ibid. pag. 78. B. Ἄξιον ἐστὶν ὡς ἀληθῶς μακαρίζειν σὲ τὴν θεοτόκον, τὴν ἀειμακάριστον, καὶ παναμώμητον, καὶ μητέρα τοῦ θεοῦ ἡμῶν, τὴν τιμιωτέραν τῶν Χερουβίμ, καὶ ἐνδοξοτέραν ἀσυγκρίτως τῶν Σεραφίμ.

d) Ibid. pag. 83. B. Πάντα μοι συγχώρησον, ὡς ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος, ταῖς πρεσβείαις τῆς παναχράντου σου καὶ ἀειπαρθένου μητρὸς ἀκατάκριτόν με διατήρησον, δέξασθαι τὸ τίμιον καὶ ἄχραντον σῶμά σου, εἰς ἴασιν ψυχῆς καὶ σώματος. Videsis et quae sequuntur pag. 84. C.

e) Praesanctif. Liturg. pag. 113. A. biblioth. graec. lat. T. II. Χαῖρε σεμνὴ, ἡ θεὸν σαρκὶ τεκοῦσα εἰς πάντων σωτηρίαν, δι' ἧς τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων εὗρατε τὴν σωτηρίαν· διὰ σοῦ γὰρ εὕραμεν παράδεισον, θεοτόκε ἁγνὴ, εὐλογημένη.

1) Ibid. pagg. 66. D., et 74. E.

2) Haec coniunctio qua Deipara παναχραντος *penitus intemerata*, et Christi corpus vocatur ἄχραντον *intemeratum*, non sinit ut illa quaecumque tandem temerata labe videatur.

3) Numquam ergo vel salutem vel paradisum Deipara amisit.

4) De copticis Basilii et Gregorii liturgiis con-

Basilii, Gregorii et Cyrilli liturgiis traduntur, vel alexandrinis Basilii, Gregorii et Marci liturgiis exhibentur. Sane in coptica Basilii [1]) liturgia de corpore Salvatoris dicitur: « Accepit illud ex omnium nostrum domina, deipara, Diva [2]) et sancta Maria, et unum illud fecit cum divinitate sua sine confusione, commixtione aut alteratione. » Tum [3]) exoratur Deus ut nos in fide conservet « Per preces et orationes, quas faciet pro nobis domina omnium nostrum, Mater Dei, diva et sancta Maria. » In coptica liturgia Gregorii [4]) commemoratio occurrit omnium sanctorum : « Praecipue vero sanctae, gloria plenae, semper Virginis, genitricis Dei sanctae Mariae. » In confessione autem fidei [5]) de vera realique praesentia dicitur: « Credo, credo, credo et confiteor usque ad ultimum vitae spiritum, hoc esse corpus vivificum quod accepisti, Christe Deus noster, ex domina omnium nostrum, Deipara, pura, sancta Maria: fecistique illud unum cum divinitate tua, absque confusione, commixtione aut alteratione. » Hinc oratio [6]) sequitur his concepta verbis: « Quia regnum tuum, Christe Deus noster, sanctitate et gloria plenum est, quod nos omnes consequi speramus per intercessionem dominae omnium nostrum, sanctae genitricis Dei, semperque virginis Mariae. » At in coptica liturgia Cyrilli [7]) legimus: « Memento etiam omnium sanctorum qui a seculo tibi placuerunt: praecipue autem sanctae, gloriosissimae, Deiparae, semper virginis, purae et illibatae sanctae Mariae. »

260. Cum quibus egregie conspirant tum haec ex alexandrina Basilii [a]) liturgia, quae ad commemorationem referuntur omnium sanctorum « Praecipue vero sanctissimae, gloriosissimae, immaculatae, benedictionibus cumulatae, dominae nostrae Deiparae et semper virginis Mariae. » Tum quae in utraque tam [8]) Gregorii quam [9])

a) Liturg. alexandr. s. Basilii pag. 72. A. Ἐξαιρέτως τῆς παναγίας, ὑπερενδόξου, ἀχράντου, ὑπερευλογημένης, δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας.

sulendus est Assemanus in cod. liturg. T. IV. P. IV. pagg. 64-146.

1) Liturg. copt. s. Basilii pag. 23. D. apud Renaudotium Collect. liturg. oriental. T. 1.

2) Hunc *divae* atque *divinae* titulum factum Deiparae tuentur egregie Nicolaus Serarius in opusc. de Litaniis lib. II. q. VI., Theophilus Raynaudus in Heteroclitis spiritualibus P. II. sect. III. punct. II., Iohannes Ferrandus ad calcem inquisit. reliquiariae not. 4. ad epist. dedicatoriam, et Benedictus Plazza in Devot. vindicat. P. I. cap. II.

3) Ibid. pag. 25. B.

4) Liturg. copt. s. Gregorii pag. 34. A.

5) Ibid. pag. 36. C-D.

6) Ibid. pag. 37. D.

7) Liturg. copt. s. Cyrilli pagg. 41. D. et 42. A.

8) Liturg. alexandr. s. Gregorii pag. 112. A.

9) Liturg. alexandr. s. Marci pagg. 149. D. et 150. A.

Marci alexandrina liturgia iisdem prorsus expressa verbis reperiuntur. Immo ea pariter conspirant egregie, quae syri Iacobitae in suis liturgiis profitentur. Hanc enim ipsissimam fidem profitentur [1]) in ordine communi liturgiae, in quo Deus propitiandus ei dicitur « Pro quo et cuius caussa oblatum est hodie sacrificium istud, per orationes et intercessionem matris amictae iustitia, caeli secundi, virginis immaculatae, sanctae genitricis Dei Mariae. » Hanc profitentur in liturgia Iacobi, ubi [2]) diaconus ait: « Iterum atque iterum commemoramus vere beatam, laudatamque ab omnibus generationibus terrae sanctam, benedictam, semper virginem genitricem Dei Mariam. » Hanc profitentur [3]) in liturgia Xysti romani Pontificis, itemque [4]) Petri apostolorum principis, in qua sacerdos sic orat: « Dignare etiam, Domine, meminisse sanctae et praeclarae semper virginis beatae Mariae, et cum ea, prophetarum et apostolorum, martyrum, confessorum, piorum, sacerdotum et iustorum, qui in fide vera perfecti exstiterunt, et beati Iohannis praecursoris et baptistae, et sancti praeclari Stephani primi diaconorum et protomartyris, atque omnium sanctorum. »

261. Eiusdem professionis testis est [5]) liturgia duodecim apostolorum, in qua sacerdos elevata voce ait: « Memento, Domine, et illorum, qui a seculo tibi placuerunt, praecipue sanctae, gloriosae, semper virginis genitricis Dei Mariae, Iohannis baptistae, Stephani principis diaconorum et protomartyris, cum reliquis prophetis apostolisque sanctis et patribus piis qui obierunt. » Testis est [6]) liturgia Cyrilli, in qua sacerdoti haec oratio recitanda praescribitur: « Benedictus es, Domine sancte et sanctorum amator, qui vis ut sanctorum tuorum memoriae frequenter communicemus, maxime autem et speciatim gloriosae prae omnibus sanctis, virginis immaculatae, sanctaeque genitricis Dei Mariae. » Testis est [7]) liturgia Iohannis basorensis, in qua haec habetur sacerdotis oratio: « Memento Domine etiam illorum qui ex hoc mundo tibi placuerunt, praesertim vero sanctae et gloriosae genitricis Dei virginis Mariae, et omnium sanctorum tuorum ab Adam primo ad hanc usque diem. » Et testis est [8]) ipsa Dioscori liturgia, quae hanc si-

1) Ordo comm. liturgiae secundum ritum syrorum Iacobitarum pag. 25. C. apud Renaudotium op. cit. T. II.
2) Liturg. s. Iacobi pag. 36. B.
3) Liturg. s. Xysti pag. 136. B.
4) Liturg. s. Petri pag. 149. D.
5) Liturgia XII. apostolorum pag. 173. A-B.
6) Liturgia s. Cyrilli pag. 281. B.
7) Liturg. Ioh. basorensis pag. 431. B-C.
8) Liturg. Dioscori pag. 292. A.

stit publicam solemnemque sacerdotis precem : « Memento etiam Domine eorum, quos ab antiquis temporibus oblitus non es prophetarum qui interpretes fuere mysteriorum tuorum : apostolorum beatorum, praedicatorum illustrium, evangelistarum strenuorum qui pugnaverunt et vicerunt errorem idololatriae : martyrum fidelium qui animi fortitudinem ostenderunt : et Iohannis baptistae, vocis illius quae praecessit Verbum et praecursoris : Stephani etiam qui primus exhibuit certamen gloriosum, et coronatus est corona martyrii. Eius etiam quae prae illis omnibus illustris, gloriosaque est, et a nobis celebratur, et excelsior superiorque omnibus ordinibus caelestibus ab omni Ecclesia tua caelum secundum vocatur, virginis genitricis Dei Mariae, cum omni coetu sanctorum. »

262. Quare mirum esse deberet, si in Armeniorum quoque liturgia cum iisdem dicendi formulis eiusdem quoque vestigia fidei non apparerent. Et apparent enimvero, quum in ea [1]) sacerdos his verbis oret : « Suscipe, Domine, orationes nostras, intercedente sancta Deipara, immaculata genitrice unigeniti Filii tui, et precibus omnium sanctorum tuorum. » Et quum in ea [2]) pro festo Annunciationis dicatur : « Rumor Annunciationis in voce. Gabriel clamabat ad sanctam : ad te mittor, o pura, praeparare locum Domino. » Quibus simillima, ne prorsus gemina dicam recitantur [3]) in sacramentario gregoriano, in [4]) missali gothico, in [5]) missali Francorum et [6]) in sacramentario gallicano.

263. Quoniam vero ad liturgiam suo quodam iure revocantur [7]) lucernarii orationes, orationes [8]) vespertinorum antiphonorum, officium [9]) laudum, ordo [10]) servari solitus in sponsalibus celebrandis, videlicet in nuptiarum subarrhatione, officium [11]) coronationis nuptiarum, officium [12]) sancti olei, officium [13]) aquae benedictae minoris, officium [14]) novitii vestibus initialibus induendi, officium [15]) parvi habitus, idest mandiae, officium [16]) magni et

1) Liturg. armen. pag. 83. B. apud Le Brun in opere Explication de la Messe, T. III.

2) Ibid. pag. 97. B.

3) Apud Muratorium Liturg. rom. Tom. II. pagg. 2, 6, 66, 67, 69, 388.

4) Ibid. pagg. 545, 546, 547.

5) Ibid. pag. 693.

6) Ibid. pag. 777.

7) Εὐχαὶ τοῦ λυχνικοῦ, pagg. 35, 38. B-C. 40. B. apud Goarium in Euchologio.

8) Εὐχαὶ ἀντιφώνων ἑσπερινῶν, pag. 44.

9) Ἀκολουθία τοῦ ὄρθρου, pagg. 48, 53. C-D.

10) Ἀκολουθία γινομένη ἐπὶ μνήστροις, ἤγουν ἀῤῥαβῶνος, pagg. 380, 381. D.

11) Ἀκολουθία τοῦ στεφανώματος, pagg. 385, 387. C.

12) Ἀκολουθία τοῦ ἁγίου ἐλαίου, pagg. 408, 409. B-C. 410, B-C. 417. B.

13) Ἀκολουθία τοῦ μικροῦ ἁγιασμοῦ, pagg. 441, 442. B. seqq. 446. B-C.

14) Ἀκολουθία τῶν προσχημάτων ἀρχαρίου, pag. 460. A-B.

15) Ἀκολουθία τοῦ μικροῦ σχήματος, ἤτοι τοῦ μανδύου pagg. 473, 477. C. 480. A.

16) Ἀκολουθία τοῦ μεγάλου καὶ ἀγγελικοῦ σχήματος, pagg. 499, 500. A-C. 501. C-D. 512. B.

angelici habitus, officium [1]) exsequiarum, officium [2]) funeris monachorum, officium [3]) funereum in sacerdotem vita functum, officium [4]) funereum pro viris secularibus, officium [5]) crucis defixionis, oratio [6]) colyborum, oratio [7]) ad relaxandam poenam excommunicato inflictam, officium [8]) eorum qui peccata confitentur, officium [9]) agentis animam, officium [10]) in diversas processiones et vigilias supplicationum, et [11]) canon in terrae motus periculo; propterea ex hisce pariter ecclesiasticis monimentis, licet non omnia, quod esset infinitum, nonuulla tamen decerpemus quae praesentem tractationem iuvent et uberiori luce perfundant.

264. Itaque in orationibus lucernarii tum [12]) chorus tum [a]) diaconus cantant: « Domine miserere. Sanctissimae, illibatae, super omnes benedictae, gloriosae dominae nostrae Deiparae et semper virginis Mariae, cum omnibus sanctis memoriam agentes, nos ipsos et invicem et omnem vitam nostram Christo Deo commendemus. » In officio sancti olei [b]) haec habentur: « Pura, celebranda, super omnes Domina benigna, oleo divino unctorum miserere, et famulum tuum salva. » In officio exsequiarum [c]) legimus: « Salve, veneranda, quae pro salute omnium Deum carne peperisti: per te namque vitam invenit hominum genus: per te paradisum recuperamus, Deipara, pura, benedicta. » Et [d]) mox: « Non est praeter te innocens

a) Ibid. pag. 40. B. Κύριε ἐλέησον. Τῆς παναγίας, ἀχράντου, ὑπερευλογημένης, ἐνδόξου δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, μετὰ πάντων τῶν ἁγίων μνημονεύσαντες, ἑαυτοὺς καὶ ἀλλήλους καὶ πᾶσαν τὴν ζωὴν ἡμῶν, Χριστῷ τῷ θεῷ παραθώμεθα.

b) Offic. sancti olei, pag. 410. C. Πανύμνητε, ἁγνὴ, ὑπεράγαθε δέσποινα, ἐλέησον τοὺς τῷ θείῳ χριομένους ἐλαίῳ, καὶ σῶσον τὸν οἰκέτην σου.

c) Offic. exsequiar. pag. 528. C. Χαῖρε σεμνὴ, ἡ Θεὸν σαρκὶ τεκοῦσα εἰς πάντων σωτηρίαν· τὸ γὰρ γένος τῶν ἀνθρώπων εὕρατο τὴν σωτηρίαν, διὰ σοῦ εὕροιμεν παράδεισον, Θεοτόκε, ἁγνὴ, εὐλογημένη.

d) Ibid. pag. 529. C. Οὐκ ἔστιν ἄμεμπτος ὡς σὺ, πάναγνε Θεομῆτορ· μόνη γὰρ ἐξ αἰῶνος τὸν Θεὸν τὸν ἀληθῆ συνέλαβες ἐν γαστρὶ, τοῦ θανάτου λύσαντα τὴν δύναμιν.

1) Ἀκολουθία τοῦ ἐξοδιαστικοῦ, pagg. 525. E. 528. C. 529. C. 530. B. 531. D. 532. D. 537. C.

2) Ἀκολουθία τοῦ ἐξοδιαστικοῦ τῶν μοναχῶν, pagg. 544, 555. C.

3) Ἀκολουθία νεκρώσιμος εἰς ἱερέα τελευτήσαντα, pagg. 561, 572. A-B-C.

4) Ἀκολουθία νεκρώσιμος εἰς κοσμικοὺς ἄνδρας, pagg. 583, 586. C.

5) Ἀκολουθία τοῦ σταυροπηγίου, pag. 610. C.

6) Εὐχὴ τῶν κολύβων, pag. 658. C.

7) Εὐχὴ εἰς τὸ ἀπολῦσαι κανόνα εἰς ἀφορισθέντα, pag. 668. B.

8) Ἀκολουθία τῶν ἐξομολογουμένων, p. 670. C.

9) Ἀκολουθία εἰς ψυχοῤῥαγοῦντα, pagg. 737, 739. B.

10) Ἀκολουθία εἰς διαφόρους λιτὰς καὶ ἀγρυπνίας παρακλήσεων, pagg. 766, 767. C. 768. B. 769. C.

11) Κανὼν εἰς φόβον σεισμοῦ, pagg. 785, 786 B-C.

12) Oratt. lucernarii, pag. 38. B-C.

quisquam, immaculata Dei genitrix: sola namque Deum verum et aeternum mortis imperium dissolventem in utero concepisti. » Hinc [a]) rursum : « Vas illibatum, templum intemeratum, arcam sanctissimam, virgineum sanctitatis loculum, te pulchritudinem Iacob, Dominus elegit. » Cum quibus praeclare concinunt tum [b]) haec: « Omni creatura superior facta es, immaculata, concepto Deo qui portas inferi contrivit, et eius vectes confregit: hinc te fideles celebramus, o pura, ut Dei genitricem. » Tum vero [c]) ista: « Tabernaculum sanctum et arcam et legis gratiae tabulam, o pura, te agnovimus: per te namque iustificatis sanguine incarnati in tuo utero Dei, remissio peccatorum data est, immaculata. » In officio [d]) pro sacerdote vita functo haec ad Deiparam oratio occurrit: « Sanctissima virgo inviolata quae lucem inaccessam edidisti, rogo, supplico, deprecor ne Deum pro defuncto servo tuo interpellare desistas, illibata, ut delictorum remissionem in iudicii die nanciscatur, purissima: hac libertate namque frueris ut Filium tuum tamquam Domina iugiter depreceris. » Iidem de Deipara tituli adhibentur in officio, pro diversis Processionibus, Supplicationumque vigiliis, in quo [e]) repetitur: « Sanctissima domina, celebranda, benedicta, ut benigna et clemens pro nobis exora et miserere nostri. » Et in officio [f]) de periculo demotae terrae dicitur: « Quis solus absque te, illibata, innocens, iratum nobis Deum reconciliare potest? hac de caussa, precare sanctissima, ut terrae fragorem perniciem nobis minitantem continuo sedet. »

a) Ibid. pag. 530. B. Δοχεῖον ἄχραντον, ναὸν πανάμωμον, κιβωτὸν παναγίαν, παρθενικὸν τόπον ἁγιάσματος, σὲ καλλονὴν τοῦ Ἰακὼβ, ὁ δεσπότης ἐξελέξατο.

b) Ibid. pag. 531. D-E. Ὑπερτέρα πάσης κτίσεως, πανάμωμε, γέγονας συλλαβοῦσα θεὸν τὸν συντρίψαντα τοῦ θανάτου πύλας, καὶ μοχλοὺς συνθλάσαντα· ὅθεν σὲ, ἁγνὴ, ὑμνολογοῦμεν οἱ πιστοὶ ὡς θεομήτορα.

c) Ibid. pag. 532. C. Σκηνὴν ἁγίαν, ἁγνὴ, γινώσκομεν, καὶ κιβωτὸν καὶ πλάκα σὲ τοῦ νόμου τῆς χάριτος· διὰ σοῦ γὰρ ἄφεσις δεδώρηται τοῖς δεδικαιωμένοις διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σωματωθέντος ἐκ τῆς σῆς γαστρὸς, πανάμωμε.

d) Offic. in Sacerdot. vita functum, pag. 572. A. Παναγία παρθένε ἀνύμφευτε, ἡ τεκοῦσα τὸ φῶς τὸ ἀπρόσιτον, δυσωπῶ, ἱκετεύω καὶ δέομαι, δυσωποῦσα μὴ παύσῃ τὸν κύριον ὑπὲρ τοῦ κοιμηθέντος δούλου σου, ἄχραντε, ὅπως εὕρῃ ἐκεῖ ἄφεσιν πταισμάτων ἐν ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως, πάναγνε· παῤῥησίαν γὰρ ἔχεις, ὡς δέσποινα, δυσωπεῖν τὸν υἱόν σου ἑκάστοτε.

e) Offic. in diver. Process. et vigil. supplicat. pagg. 767. C. 768. B. 769. C. Παναγία δέσποινα, πανύμνητε, εὐλογημένη, ὡς φιλάγαθος, παρακάλεσον καὶ ἐλέησον ἡμᾶς.

f) Offic. in terrae motus periculo pag. 786. A-B. Τίς μόνος ἄνευ σοῦ δύναται, ἄχραντε, ἁγνὴ, θεὸν ἀγανακτοῦντα καθ' ἡμῶν καταλλάξαι; διὸ δυσώπει, παναγία, παῦσαι ταχέως τὸν κλόνον τῆς γῆς γεννῶντα ὄλεθρον ἡμῖν.

265. Finem iis faciam quae in officio aquae benedictae minoris frequentantur, atque huc [a]) redeunt: « Tu quae ave per Angelum suscepisti et opificem proprium peperisti, Virgo, salva eos qui te laudibus efferunt.

Natum tuum celebramus, Deipara, et clamamus illibata domina, tuos famulos eripe.

Regum, prophetarum, apostolorum et martyrum tu es gloria, et mundi protectio, o immaculata.

Salva me vitae datoris et Salvatoris genitrix, salva tuis precibus, o benedicta, spes animarum nostrarum.

Quae universorum opificem in utero concepisti, virgo immaculata, tuis precibus animas nostras salva.

Quae per Verbum super omne verbum peperisti Verbum, celebranda Deipara, ipsum roga ut animas nostras salvet.

Debitis onusti ave tibi exclamamus, pura Deipara, virgo perpetua, tuis intercessionibus salvari deprecantes.

Sanctissima Deipara, Salvatoris mater, servos tuos periculis et omni angustia eripe.

Salve mundi propitiatorium, salve divini mannae urna, et luminis lucerna aurea, Dei sponsa.

a) Offic. aquae beuedictae minoris, pagg. 442, 443. Ἡ τὸ χαῖρε δι' ἀγγέλου δεξαμένη, καὶ τεκοῦσα τὸν κτίστην τὸν ἴδιον, παρθένε, σῶζε τοὺς σὲ μεγαλύνοντας.

Ἀνυμνοῦμεν τὸν υἱόν σου, Θεοτόκε, καὶ βοῶμεν, πανάχραντε δέσποινα, παντὸς κινδύνου ῥῦσαι τοὺς οἰκέτας σου.

Βασιλέων, προφητῶν, καὶ ἀποστόλων, καὶ μαρτύρων ὑπάρχεις τὸ καύχημα, καὶ προστασία τοῦ κόσμου, πανάμωμε.

Σῶσόν με ἡ τεκοῦσα ζωοδότην καὶ σωτῆρα, σῶσον ταῖς πρεσβείαις σοῦ, εὐλογημένη, ἐλπὶς τῶν ψυχῶν ἡμῶν.

Ἡ τὸν κτίστην τῶν ἁπάντων ἐν γαστρί σου συλλαβοῦσα, παρθένε πανάμωμε, ταῖς σαῖς πρεσβείαις σῶσον τὰς ψυχὰς ἡμῶν.

Θεοτόκε ἡ τεκοῦσα διὰ λόγου ὑπὲρ λόγον τὸν λόγον, πανύμνητε, αὐτὸν δυσώπει σῶσαι τὰς ψυχὰς ἡμῶν.

Καταχρέως ἐκβοῶμεν σοὶ τὸ χαῖρε, Θεοτόκε, ἁγνὴ, ἀειπάρθενε, ἐκδυσωποῦντες πρεσβείαις σου σώζεσθαι.

Παναγία θεοτόκε, ἡ τεκοῦσα τὸν σωτῆρα, κινδύνων διάσωσον, καὶ πάσης ἄλλης ἀνάγκης τοὺς δούλους σου.

Χαῖρε κόσμου ἱλαστήριον, παρθένε, χαῖρε στάμνε, καὶ λυχνία πάγχρυσε τοῦ θεοίυ μάννα καὶ φωτὸς, Θεόνυμφε.

Χαῖρε ὄρος, χαῖρε βάτε, χαῖρε πύλη, χαῖρε κλίμαξ, χαῖρε θεία τράπεζα, ἡ πάντων χαῖρε βοήθεια, δέσποινα.

Salve mons, salve rube, salve porta, salve scala, salve divina mensa, salve domina, cunctorum auxilium. »

266. Ex hac porro luculentissima testimoniorum conspiratione quatuor potissimum intelligimus, quae et notari diligenter et ob oculos constanter haberi debent. Principio namque intelligimus, Deiparam creaturis omnino omnibus invisibilibus et visibilibus, angelis aeque ac hominibus dignitate et sanctitate praeferri, tantumque ab illis seiungi ac dividi, quantum ipsa propius cum Deo copulatur atque vincitur. Intelligimus deinde singularem quamdam cultus rationem Deiparae tribui, eaque religione ipsam honorari, quae media veluti interiectaque sit inter *Latriam* Deo debitam et *Duliam* sanctorum propriam, quaeque idcirco non minus apte quam opportune *Hyperdulia* nuncupetur. Tum intelligimus huiusce sive dignitatis sive sanctitatis, sive cultus prorsus eximii fontem reserari originemque aperiri, illamque in divina maternitate, qua Virgo proprie dicitur vereque creditur Dei genitrix, collocari. Postremo intelligimus ex hac divina maternitate, tamquam ex uberrimo quodam fonte, tot tantaque innocentiae sanctitatisque ornamenta deduci, ut propterea Virginis species exprimi aliter non possit quam congestis cumulatisque epithetis, quibus et omnis culpae macula ab ea longissime amandetur, et ipsi decus omne virtutum, omnisque sanctimoniae splendor asseratur.

ARTICULUS III.

De formulis cumulatis quae in ecclesiasticis libris obviae sunt, quaeque Deiparam cuiusvis culpae exsortem et plenissima sanctitate insignem patefaciunt.

267. Nihil prius Menaeis succurrit, atque in ipsis Menaeis se omnium primus offert [a]) Theophanes qui canit: « Intellectuales Virtutes, omnesque hominum generationes te, ut quae Deum genueris, continenter glorificant, o benedicta et penitus immaculata. »

a) Men. die I. Decembris Ode ς'. pag. 5. col. 1. A. Νοεραὶ δυνάμεις σὲ καὶ ἀνθρώπων πᾶσαι γενεαὶ, ὡς Θεὸν γεννήσασαν, δοξάζουσι διὰ παντὸς, εὐλογημένη, πανάμωμε.

Et [a]) rursum: « Ave porta Dei, ave omnino illibata virgo innocens, ave regina mundique praesidium, ave murus, perfugium, nostrique generis tutela. » Alibi vero [b]) praeclara circumloquutione usus inquit: « Labibus et naevis pura, omnisque sanctitatis delubrum quum esses, genuisti Verbum Patri coaeternum [1]) idemque sanctissimum omnesque sanctificans: ideo te Virginem laudamus et superexaltamus in omnia secula. »

268. Sequitur in iisdem Menaeis Iosephus confessor et hymnographus, cui ista primum [c]) referri in acceptis debent: « Te innocentem Domini columbam, te venerandam et immaculatam et in mulieribus pulcram, ut quae universorum Deum pepereris, fideliter beatam praedicamus, o divinitus beatificata. » Tum [d]) ista: « Mater illibata, benedicta, innocens, Virgo, ab omni eos necessitate serva qui te celebrant. » Atque ista [e]) pariter: « Defecere tandem, o illibata, penitus immaculata, vere [2]) innocens, arma omnia inimici. » Neque minus [f]) haec: « Verbum Dei in utero tuo conceptum verbo est, o Virgo mater illibata, benedicta, omnique ex parte immaculata. » Et [g]) alibi: « Nubes solis intelligibilis, divini splendoris lu-

a) Men. die XIII. Decembris pag. 106. col. 2. C. Χαῖρε ἡ πύλη τοῦ Θεοῦ, χαῖρε πανάχραντε παρθένε ἁγνὴ, χαῖρε δέσποινα καὶ προστασία τοῦ κόσμου, χαῖρε τεῖχος καὶ καταφυγὴ καὶ σκέπη τοῦ γένους ἡμῶν.

b) Men. die VI. Octobris Ode η΄. pag. 36. col. 2. B. Μώμων καθαρὰ καὶ μολυσμάτων, καὶ πάσης ἁγιοσύνης οὖσα τέμενος, λόγον τὸν πανάγιον πάντας ἁγιάζοντα, τὸν τῷ πατρὶ συνάναρχον ἐκυοφόρησας· διὸ σὲ τὴν παρθένον ὑμνοῦμεν καὶ ὑπερυψοῦμεν εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας.

c) Men. die XXIII. Decembris pag. 188. col. 1. B. Σὲ τὴν ἁγνὴν τοῦ δεσπότου περιστερὰν, τὴν σεμνὴν καὶ ἄμωμον καὶ καλὴν ἐν γυναιξὶν, ὡς τῶν ὅλων τέξασαν Θεὸν, μακαρίζομεν πιστῶς, Θεομακάριστε.

d) Ibid. pag. 189. col. 2. C. Μήτηρ ἄχραντε, εὐλογημένη, ἁγνὴ παρθένε τοὺς ὑμνοῦντάς σε περίσωζε ἀπὸ πάσης ἀνάγκης. Simillima habes pag. 190. col. 1. B.

e) Men. die X. Octobris, Ode ς΄. pag. 58. col. 1. D. Ῥομφαῖαι πᾶσαι τοῦ δυσμενοῦς, ἄχραντε, πανάμωμε, ἁγνὴ ὄντως, εἰς τέλος ἐξέλιπον.

f) Men. die XVI. Octobris Ode α΄. pag. 96. col. 2. B. Ὁ λόγος ὁ τοῦ Θεοῦ ἐν μήτρᾳ σοῦ λόγῳ συνείληπται, παρθενομῆτορ ἄχραντε, εὐλογημένη, παναμώμητε.

g) Men. die XII. Octobris Ode γ΄. pag. 75. col. 1. D. Τοῦ ἡλίου νεφέλη τοῦ νοητοῦ, θείου

1) Non alia igitur innocentia neque alia sanctitas tribui Deiparae debet, nisi quae ad innocentiam sanctitatemque Verbi sanctissimi accedat. Ab hac autem infinite propemodum dissideret, si quando infecta fuisset culpa et vitiata peccato.

2) Quid est quod Deipara audit *vere innocens?* at quid est quod affirmatur *de armis inimici quae defecerint?* Nimirum audit Deipara *vere innocens*, quod laesa numquam fuerit; et *arma inimici defecisse* perhibentur, quod ea in Virginem retusa, unigeniti triumpho fuerunt penitus profligata.

cerna aurifulgens, impolluta, intemerata, penitus immaculata regina, quaeso, impassibili splendore illumina tenebricosam animam meam passionibus obcaecatam. » Et [a]) denuo: « O intemerata, o cuiusvis inscia maculae et vas fragrantissimi odoris, deprecare Christum, quem peperisti. » Hinc [b]) tandem: « Uti pulcra, uti [1]) venusta, uti puritate circumfulgens venustum Verbum pulchre corpore induisti, eumque genuisti qui omnibus abundantia benignitatis ipsum esse largitur. »

269. Cum Theophane atque Iosepho consentiunt anonymi hymnorum auctores, e quibus alter [c]) inquit: « Venustam et electam omniquè veneratione dignam te prospiciens, o undequaque immaculata, Filius Dei dictus est filius tuus, gratia in filios [2]) adoptans qui te Deiparam celebrarent. » Alter vero [d]) ait: « Tu es in mulieribus benedicta, o prorsus immaculata, quae tuo super naturam divino partu, o puella, homines splendide divinos reddidisti, ut quae Deum ineffabiliter corpore indueris. » His addi [e]) Zonaras debet, a quo Virgo coniunctim salutatur « Sanctissima, omnium regina, immaculata, innocens, veneranda, bona. » Atque addi pariter debet [f])

φέγγους λυχνία χρυσοφαὴς, ἄσπιλε, ἀμόλυντε, παναμώμητε δέσποινα, τὴν σκοτεινὴν ψυχήν μου τυφλώττουσαν πάθεσι τῆς ἀπαθείας αἴγλῃ καταύγασον δέομαι.

a) Men. die XXX. Augusti Ode θ'. pag. 168. col. 1. B. Ἄχραντε, πανάμωμε, τὸ σκεῦος τῆς εὐωδίας, αἴτησαι Χριστὸν, ὃν ἔτεκες.

b) Men. die XIII. Ianuarii Ode ε'. pag. 123. col. 1. A. Ὡς καλὴ, ὡς ὡραία, ὡς τῇ καθαρότητι περιαστράπτουσα, τὸν ὡραῖον κάλλει ἐσωμάτωσας λόγον, καὶ τέτοκας τὸν τὸ εἶναι πᾶσι παρεχόμενον πλούτῳ χρηστότητος.

c) Men. die XXI. Iulii Ode α'. pag. 107. col. 1. A. Ὡραίαν καὶ ἐκλεκτὴν καὶ πάνσεμνον κατανοήσας σὲ ὁ τοῦ Θεοῦ, πανάμωμε, υἱὸς, σὸς υἱὸς ἐχρημάτισεν, υἱοθετήσας χάριτι τοὺς Θεοτόκον σὲ γεραίροντας.

d) Men. die XX. Augusti Ode ζ'. pag. 110. col. 2. C. Ἡ τοὺς ἀνθρώπους τῷ ὑπὲρ φύσιν θείῳ τόκῳ σου, κόρη, προφανῶς θεώσασα, ὡς Θεὸν ἀποῤῥήτως σωματώσασα, εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν ὑπάρχεις, πανάμωμε.

e) Can. in s. Deiparam, apud Colelerium Monum. eccles. graec. T. III. pagg. 465-472. Ὑπεραγία, παντάνασσα, ἄχραντος, ἁγνὴ, σεμνὴ, ἀγαθή.

f) Men. die XXV. Ianuarii pag. 188. col. 2. B-C. Δεῦτε πάντα τὰ ἔθνη, θεοπρεπῶς τὴν μητέρα τοῦ πάντων δημιουργοῦ ὑμνήσωμεν λέγοντες· χαῖρε θρόνε πυρίμορφε τοῦ τῶν ὅλων δεσπόζοντος Ἰησοῦ τοῦ παντάνακτος· χαῖρε μόνη κυρία τοῦ κόσμου πανάχραντε· χαῖρε τὸ δοχεῖον τῆς ἁγίας τριάδος, υἱοῦ τε καὶ πνεύματος, τὸ λαμπρὸν καὶ ἀκήρατον, Μαριὰμ

1) *Venustas* ergo matris et filii sibi quadam proportione respondent. At mirum quantopere discreparent, si matris venustas culpae sordibus fuisset deformata.

2) Hoc itaque Virgo a reliquis distat hominibus, quod quum hi *post ruinam* in filios *misericordia* adoptentur, illa *praeveniente* bonitate delecta fuit.

Anatolius qui scribit: « Agite gentes omnes, matrem effectoris omnium, uti decet, celebremus atque dicamus: ave throne igniformis Iesu qui universis praeest atque omnia gubernat: ave sola penitus immaculata mundi domina: ave Maria semper virgo omnibus laudibus prosequenda, splendidum atque illaesum sanctae Trinitatis, Patris, Filii et Spiritus receptaculum: ave sponsa omni ex parte venerabilis sole circumvestita: ave gaudium omnium qui te extollunt. »

270. Ex Paracletice praesto inprimis sunt quae scribit [a]) Metrophanes: « Omnium conditor pro sua bonitate apparuit super terram factus homo ex virgineo atque illibato tuo sinu, nosque deificavit, o benedicta, innocentissima, Dei genitrix, et prorsus intaminata. » Praesto deinde sunt quum [1]) alia, tum [b]) haec: « Ut innocens et immaculata et Virgo Filium peperisti, Deum immutabilem, qui nos a tentationibus redemit. » Atque ista [c]) rursum: « O innupta sponsa, Dei genitrix, quae tristitiam Evae in gaudium convertisti, te fideles laudamus et colimus, quod nos [2]) a primaeva noxa reduxeris: et nunc, o penitus laudanda atque sanctissima, ne instare cesses ut salvemur. »

271. Ad Triodium quod pertinet, missa facio quae [3]) Georgius et Christophorus habent, iisque memet contineo quae [d]) Iohannes

ἀειπάρθενε Θεοτόκε πανύμνητε· χαῖρε πάνσεμνε νύμφη ἡλιοστόλιστε· χαῖρε πάντων χαρὰ τῶν ὑμνούντων σέ.

a) Paraclit. pag. 114. Col. 1. C. Ἐφάνη ἐπὶ τῆς γῆς γενόμενος ἄνθρωπος ὁ παντουργὸς ἀγαθοπρεπῶς ἐκ παρθενικῆς καὶ ἀχράντου σου γαστρὸς, καὶ ἡμᾶς ἐθέωσεν, εὐλογημένη, πάναγνε, Θεοτόκε, πανάχραντε.

b) Ibid. pag. 220. col. 2. B. Ὡς ἁγνὴ καὶ ἄμωμος καὶ παρθένος τέτοκας υἱὸν λυτρούμενον ἡμᾶς ἀπὸ πειρασμῶν, Θεὸν ἀναλλοίωτον.

c) Ibid. pag. 221. col. 1. B. Ἀπειρόγαμε νύμφη θεογεννήτρια, ἡ τῆς Εὔας τὴν λύπην χαροποιήσασα, ἀνυμνοῦμεν οἱ πιστοὶ καὶ προσκυνοῦμέν σε, ὅτι ἀνήγαγες ἡμᾶς ἐκ τῆς ἀρχαίας ἀρᾶς, καὶ νῦν δυσώπει ἀπαύστως, πανύμνητε, παναγία, εἰς τὸ σωθῆναι ἡμᾶς.

d) Ibid. pag. 133. col. 2. B. Ὡς πανάμωμος νύμφη τοῦ ποιητοῦ, ὡς ἀπείρανδρος μήτηρ τοῦ λυτρωτοῦ, δοχεῖον ὡς ὑπάρχουσα τοῦ ὑψίστου, πανύμνητε, ἀνομιῶν με ὄντα αἰσχρὸν καταγώγιον, καὶ ἐν γνώσει γενόμενον τοῖς δαίμοσι παίγνιον, σπεῦσον καὶ τῆς τού-

1) Ibid. pag. 216. col. 1. B. Δοχεῖον ἄχραντον, ναὸν πανάμωμον, κιβωτὸν παναγίαν, παρθενικὸν τόπον ἁγιάσματος, σὲ καλλονὴν τοῦ Ἰακὼβ ὁ δεσπότης ἐξελέξατο. *Receptaculum illibatum, templum cuiusvis exsors labis, arcam sanctissimam, virgineum sanctitatis locum, te Iacobi pulcritudinem Dominus elegit.*

2) Sed vix aut ne vix quidem haec possent animo praecipi, si ipsa quoque Virgo antiquae et originali culpae fuisset obnoxia.

3) Triod. pag. 8. col. 2. C., pag. 71. col 2. D.

euchaita scribit: « Ut sponsa omnino immaculata creatoris, ut innupta redemptoris mater, ut quae sis, o penitus laudanda, Altissimi receptaculum, mei qui sum turpe peccatorum diversorium et sciens ac volens daemonum ludibrium, sollicitam curam gere, meque ab illorum maligna calliditate eripe; tu quae per virtutem fuisti omnibus expletum numeris splendidum habitaculum, o intactum lucis receptaculum, depelle passionum nubem, meque dignare superno splendore, puroque fulgore tuae lucis occasus nesciae. » Quibus operae pretium arbitror ea addere quae in Pentecostario leguntur, sive ubi [a]) dicitur: « Quum te, o innocens atque prorsus illibata, olim vates ceu portam prospexit ad inaccessum lumen conversam, te illico Dei habitaculum novit. » Sive ubi [b]) subditur: « Tabernaculum sanctum, o innocens, et arcam et tabulam gratiae mundo collatae te agnoscimus: per te enim data remissio est iustificatis per sanguinem eius, qui ex utero tuo corpus assumpsit, o maculae omnis expers. »

272. Reliquum est ex Graecorum libris Anthologium, in quo Virgo [c]) dicitur: « Divinitus gratiis referta, innocens, benedicta. » In quo haec [d]) ad Virginem directa occurrunt: « Coram te, o sanctissima, illibata, innocens, servi tui continenter die atque nocte contrito animo procumbunt exorantes, ut precibus tuis redemptionem peccatorum nanciscantur. » In quo [e]) Basilius pegoriotes scribit: « Sponsae ritu ornatum hodie apparuit iucundum Virginis templum et thalamus suscipiens animatum tabernaculum Dei purum, imma-

των κακουργίας με ῥῦσαι, λαμπρὸν οἰκητήριον δι' ἀρετῆς ἀπαρτίσασα, φωτοδόχε ἀκήρατε, δίωξον τὸ νέφος τῶν παθῶν, καὶ τῆς ἄνω λαμπρότητος ἀξίωσον, καὶ ἀκιβδήλου αἴγλης φωτὸς ἀνεσπέρου σου.

a) Pentecostar. pag. 148. col. 2. A. Ὡς κατεῖδέ πάλαι σε, ἁγνὴ πανάχραντε, ὁ ὑποφήτης βλέπουσαν πύλην πρὸς τὸ φῶς τὸ ἄδυτον, εὐθύς σε ἐπέγνω Θεοῦ κατοικητήριον.

b) Ibid. pag. 214. col. 1. C. Σκηνὴν ἁγίαν, ἁγνὴ, γινώσκομεν καὶ κιβωτὸν καὶ πλάκα σε τοῦ κόσμου τῆς χάριτος· διὰ σοῦ γὰρ ἄφεσις δεδώρηται τοῖς δεδικαιωμένοις διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σωματωθέντος ἐκ τῆς σῆς γαστρὸς, πανάμωμε.

c) Antholog. pag. 101. col. 1. B. Θεοχαρίτωτος, ἁγνὴ, εὐλογημένη.

d) Ibid. die XXX. Novembris pag. 151. col. 2. C. Σοὶ, παναγία, ἄχραντε, ἁγνὴ, οἱ δοῦλοι πάντοτε ἡμέρας καὶ νυκτὸς προσπίπτομεν συντετριμμένῃ διανοίᾳ, δυσωποῦντες λύτρωσιν ἁμαρτημάτων εὑρεῖν ταῖς σαῖς προσευχαῖς.

e) Ibid. die XXI. Novembris pag. 129. col. 2. C. Νυμφοστόλος σήμερον ἐδείχθη τερπνὸς τῆς παρθένου ὁ ναὸς καὶ θάλαμος δεχόμενος τὴν ἔμψυχον παστάδα θεοῦ τὴν καθαρὰν καὶ ἄμωμον καὶ λαμπροτέραν πάσης κτίσεως.

culatum et omni creatura splendidius. » In quo Germanus [a]) his verbis suas preces fundit: « O sanctissima, illibata, innocens, illumina, quaeso, sanctifica mentem animamque meam. » Et in quo [b]) idem Germanus inquit: « Salutis totius initiatores beatissimus Ioachim et Anna gloriosa innocentem et immaculatam penitusque illibatam Dei matrem [1]) genuerunt, atque hanc suae pietatis retributionem acceperunt. »

273. Quod igitur maiores nostri praeclarissima quaeque de Deipara sentirent: quod praestantissimam eiusdem formam oculis iugiter obversantem haberent: et quod nihil infra Deum positum ea potius celsiusque arbitrarentur; cumulatas usurparunt formulas, quibus omnem ab ipsa naevum depellerent, omnes ipsi sanctitatis gradus omniaque perfectionis ornamenta tribuerent, omnibus tam visibilibus quam invisibilibus creaturis praeponerent, et eo usque efferrent, ut ipsam cum Deo quam penitissime coniungerent. Ceterum eiusmodi formularum usum ita ampliter invaluisse, ut ab eo ne haeretici quidem perditique homines abstinuerint, indicium esse possunt quae Nicephorus constantinopolitanus antistes ex edita a Constantino Copronymo fidei professione refert, atque ita [c]) se habent: « Sancta Dei catholica omnium qui Christiani sumus Ecclesia accepit ita confiteri filium ac verbum Dei, natura videlicet simplicem, incarnatum vero ex sanctissima, immaculata Domina nostra Deipara et semper virgine Maria, non mutata in carnem divinitate et cet. »

a) Ibid. die XII. Decembris Ode α'. pag. 193. col. 1. B. Παναγία, ἄχραντε, ἁγνὴ φώτισον, ἁγίασον τὸν λογισμὸν καὶ τὴν ψυχήν μου, δέομαι.

b) Ibid. die VII. Septembris Ode θ'. pag. 18. col. 2. D. Σωτηρίας πάσης ἀρχηγὸς ὁ μακαριώτατος Ἰωακεὶμ καὶ ἡ Ἄννα ἡ ἔνδοξος τὴν ἁγνὴν καὶ ἄμωμον καὶ πανάχραντον Θεοτόκον ἐγέννησαν, τῆς θεοσεβείας ταύτην εἰληφότες τὴν ἀντίδοσιν.

c) Antirrhet. I. n. IX. pag. 5. apud Mai in Nova pp. biblioth. T. V. Ἡ ἁγία τοῦ Θεοῦ καθολικὴ ἡμῶν πάντων τῶν χριστιανῶν ἐκκλησία παρέλαβεν οὕτως ὁμολογεῖν τὸν υἱὸν καὶ λόγον τοῦ θεοῦ φύσει ἁπλοῦν ὑπάρχοντα, σαρκωθέντα δὲ ἐκ τῆς παναγίας, ἀχράντου δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, μὴ τρέψαντα τὴν θεότητα εἰς σάρκα κ. τ. λ.

1) Cuiusmodi igitur fuit Deiparae conceptio? *immaculata atque omni ex parte illibata.* Videlicet ἁγνὴ καὶ ἄμωμος καὶ πανάχραντος, *innocens*,

CAPUT VI.

Commemorantur et explicantur apposita quae de Virgine per antonomasiam simpliciterque adhibita, quemadmodum ab ea omnem naevi umbram funditus depellunt, sic illi ipsam prope formam creatae innocentiae vindicant, illamque uti speciem atque exemplar creatae sanctitatis repraesentant.

274. Quatuor potissimum modis epitheta conferunt, ut rei cui tribuuntur dotes aperiant, eiusque naturam atque indolem patefaciant ac demonstrent. Inprimis namque conferunt *qualitate*, qua vel *negantia* sunt eoque pertinent ut a subiecto amandent quae iisdem exprimuntur: vel sunt *aientia* eoque spectant ut subiecto asserant et cum subiecto copulent quae iisdem significantur. Conferunt deinde *gradu*, eoque aut *positivo* aut *comparato* aut *superlativo*, quo plene, plenius aut etiam plenissime subiectum certis quibusdam sive conditionibus sive dotibus aut destitutum, aut vicissim praeditum instructumque ostendunt. Tum conferunt *copulatione*, qua epitheta simul atque coniunctim subiecto attributa argumentum continent minime obscurum, non partem dumtaxat aliquam sed expressae perfectionis plenitudinem et summam illi convenire. Tandem *numero* conferunt, qui quo vehementius augetur, eo splendidius declarat vel subiectum ab aliqua esse conditione seiunctum, vel aliqua dote ac perfectione ditescere.

275. Ut haec autem obvio planoque exemplo collustrentur, fac tecum cogitatione reputes oratorem, de quo I. nulla praetermittantur apposita sive negantia sive affirmantia, quibus is tum ab omni integer defectu, tum omnibus instructus eloquentiae dotibus significetur: de quo II. haec apposita, qua latissime patent, gradibus omnibus adhibeantur, adhibeantur gradu positivo, adhibeantur gradu comparato, et gradu quoque adhibeantur vel aperte superlativo, vel qui superlativo potestate respondeat: de quo demum III. haec ipsa apposita, gradibus omnibus, non seorsum dumtaxat atque divisim, verum etiam simul atque coniunctim usurpentur. Paucis fac de oratore aliquo legas: I. nihil in eo reperiri humilis, abiecti, aridi, exsanguis, nihil quod in ore offendat, nihil quod in voce displiceat, et nihil quod in toto corporis animique habitu iure improbetur: ad

haec illustrem eum esse, et oratione uti gravi, erudita, liberali, admirabili, polita, conspersa quasi verborum sententiarumque floribus, deque rebus omnibus quaecumque in disceptationem cadunt, dicere prudenter, ornate atque copiose: immo III. eum esse disertissimum, humanarum mentium scientissimum, solertissimum rei cuiusvis exploratorem, legum vero, consuetudinum et exemplorum ad stuporem usque peritum: postremo IV. eius speciem depingi apte non posse, nisi cumulatis congestisque epithetis dicatur orator cuiusvis expers defectus, omnibus insignis eloquentiae decoribus, facundissimus, ad creandam admirationem factus, quique primas in omnibus suo merito splendidissime referat. Haec si de oratore quopiam legerentur, necessaria quadam rerum cognatione inferendum esset, existimari illum oportere omnibus auctum oratoriae facultatis ornamentis, eloquentiae principem et omnino talem, qui vivens eloquentiae simulacrum et spirans eiusdem forma iure quam qui optimo videatur.

276. Iamvero quae de oratore commenti sumus, quaeque de nullo unquam sive graeco sive latino consignata litteris inveniuntur; ea in alio excellentiae genere, de puritate, innocentia ac Deiparae sanctimonia non dicta solum, sed repetita, sed inculcata, sed centies exaggerata in omnibus christianae traditionis monimentis occurrere, compertissimum ex iis esse debet quae superioribus quinque capitibus comprehendimus. Quid igitur est reliquum, quidve sua sponte ac necessario colligitur? Videlicet *negando* quidem colligitur, labem omnem, omnemque culpae maculam amandari a Deipara quam longissime oportere: *affirmando* autem, omnia illi decora creatae innocentiae finitaeque perfectionis tribuenda sic esse, ut ipsa non aliter spectetur ac species veluti quaedam vivumque exemplar creatae puritatis finitaeque sanctimoniae. Colligitur non modo Deiparae tribuenda esse epitheta *negantia* τῆς ἀχράντου, τῆς ἀμώμου, τῆς ἀκηράτου, τῆς παναχηράτου, *intaminatae, immaculatae, intactae, penitus intaminatae, undequaque immaculatae omnique ex parte intactae;* verum ipsam quoque credi dicique simpliciter oportere τὴν ἄχραντον, τὴν ἄμωμον, τὴν ἀκήρατον, τὴν πανάχραντον, τὴν πανάμωμον καὶ τὴν πανακήρατον, *intaminatam illam, illam immaculatam, illam intactam et illam penitus omnique ex parte labis et contaminationis expertem.* Colligitur non solum referenda ad Deiparam esse affirmantia apposita τῆς ἁγίας, τῆς ἁγνῆς, τῆς σεμνῆς, τῆς παναγίας, τῆς πανσέμνου καὶ τῆς πανάγνου, *san-*

ctae, innocentis, venerandae, sanctissimae, innocentissimae et omni veneratione prosequendae; verum ipsam quoque credi dicique simpliciter oportere τὴν ἁγίαν, τὴν ἁγνήν, τὴν σεμνήν, τὴν παναγίαν, τὴν πάναγνον καὶ τὴν πάνσεμνον, *sanctam illam, illam innocentem, illam venerandam et illam penitus atque perfecte sanctam, innocentem ac venerandam.* Denique colligitur non solum Deiparae convenire *concretas* absolutasque appellationes quas recensuimus, sed in ipsam quoque insigniter cadere *abstracta* nomina, queis ἡ ἅγνεια, ἡ ἁγιωσύνη, τὸ ἁγίασμα, *ipsa innocentia, ipsaque sanctitas* nuncupetur.

277. Sicut enim loquendi usu ratum statumque est, ut nomina *substantiva* absolute adhibita ipsam rei formam ac plenitudinem subiecto inesse demonstrent; ita eodem loquendi usu ratum statumque est, ut idipsum significent *adiectiva* nomina quum simpliciter et instructa articulo usurpantur. Quare sicuti dum legimus Unigenitum esse τὸ φῶς *lucem,* atque eumdem esse τὴν ζωὴν *vitam* et τὴν ἀλήθειαν *veritatem,* illico assequimur non particulam aliquam sive lucis sive vitae sive veritatis Unigenito convenire, sed propriam eius esse summam perfectionemque lucis, veritatis et vitae, eumque ipsa prope forma lucis, vitae veritatisque potiri; ita non dissimili inferendi ratione concludimus, sive dum Socratem nominatum audimus τὸν φιλόσοφον, sive dum Aristidem dictum cernimus τὸν δίκαιον, sive, et multo sane potius, dum Deum vocatum reperimus τὸν ἀγαθὸν, τὸν ἅγιον, τὸν ἀθάνατον, τὸν ὄντα.

278. At vero suppetunt ne in ecclesiasticis monimentis testimonia, quibus ad Virginem designandam tam adiectiva quam substantiva nomina, tam concreta quam abstracta absolute, simpliciter ac, uti loquuntur, *per antonomasiam* usurpentur? Suppetunt omnino, et quidem neque numero pauca, neque obscura et impedita. Hoc insequentibus articulis palam faciam, e quibus duo praeterea illaque non levis sane ponderis exsistent: principio namque exsistet, nos in enarrandis veterum testimoniis hucusque prolatis a germana sinceraque eorumdem interpretatione ne minimum quidem deflexisse: tum vero exsistet, plenitudinem ipsam formamque purissimae sanctitatis ita Virgini diserte adscribi, ut quemadmodum Deus in ordine infinito ipsa est sanctitas et ipsum sanctitatis exemplar, sic Deipara secundum Deum in ordine finito ipsa sit creata sanctitas et forma atque species sanctitatis.

ARTICULUS I.

De appositis negantibus per antonomasiam atque absolute simpliciterque de Virgine adhibitis, eoque pertinentibus ut ipsa cuiusvis expers labis declaretur.

279. Etsi maiores nostri in efferendis beatorum laudibus celebrandisque virtutibus omnia sedulo conquisierint, quae ad creandam illis gloriam pariendumque honorem [1]) conducere posse viderentur; numquam tamen fas sibi integrumque esse existimarunt, infinitis absolutisque appellationibus τοῦ ἀμώμου, τοῦ παναμώμου, τοῦ παναχηράτου, *immaculati et undequaque immaculati atque intacti*, vel Praecursorem, vel Apostolum, vel alium quemvis utcumque sanctissimum significare. Et merito sane, quum illorum nemo, quamquam omnibus auctus virtutibus donisque Spiritus locupletatus infinite simpliciterque fuerit ὁ ἄμωμος, ὁ πανάμωμος, ὁ παναχήρατος, *immaculatus et undequaque immaculatus omnique ex parte intactus*; sed potius illorum quivis ea Adami posteritate contineretur, ad quam pertinent Scripturarum oracula, *in iniquitatibus conceptus sum* et *in quo omnes peccaverunt*. At vero quum significari Deipara debet, maioribus nostris usitatum est atque omnino solemnissimum, vel illam absolutis infinitisque nominibus τῆς ἀχράντου, τῆς ἀμώμου, τῆς παναχράντου, τῆς παναμώμου *intemeratae, immaculatae et penitus intemeratae atque immaculatae* describere, vel haec ipsa nomina ita usurpare, ut iisdem Deipara ab aliis omnino omnibus secernatur.

280. Et re quidem vera infinita absolutaque appellatione τῆς ἀχράντου *intemeratae* describitur Deipara [a]) penes Georgium nicomediensem,

a) Orat. in ingressum Deiparae in Templum, pag. 1086. C-D. apud Combefisium Au-

1) Cuius pientissimae consuetudinis argumentum exhibent prae ceteris splendidissimum Gregorius nazianzenus Orat. VII. al X. quae est funebris in laudem Caesarii fratris, Orat. VIII. al. XI. quae est funebris in patrem, Orat. XXI. in laudem magni Athanasii, Orat. XXIV. al. XVIII. In laudem sancti martyris Cypriani et Orat. XLIII. al. XX. quae est funebris in laudem Basilii magni: Basilius Caesareae in Cappadocia episcopus Hom. V. in martyrem Iulittam, Hom. XVII. XVIII. XXII. In Barlaam martyrem, in Gordium martyrem, in Mamantem martyrem, et Hom. XIX. in sanctos quadraginta martyres: Iohannes chrysostomus in prima ex septem homiliis de laudibus Pauli apostoli, et Hieronymus suo in Paulam romanam epitaphio quod magnificentissimis hisce verbis orditur: « Si cuncta corporis mei membra verterentur in linguas, et omnes artus humana voce resonarent, nihil dignum sanctae ac venerabilis Paulae virtutibus dicerem. »

qui commendata Ioachim et Annae fide, pergit: « Quamobrem etiam *intemeratam illam* gignunt, regenerationis nostrae auctricem, nostraeque reformationis caussam. » Eadem infinita absolutaque appellatione describitur tum [1]) penes Iacobum monachum, tum [2]) in anthologio, ubi citra quodvis additamentum, ἡ ἄχραντος *intemerata illa* Deiparam ostendit. Sed hac ipsa appellatione utitur [3]) Theophanes ut Deiparam secernat inquiens: « Faustis omnibus prosequamur Mariam [a]) *intemeratam illam* et perfecte sanctam. » Utitur [b]) et Iohannes euchaita inquiens: « Nobis fidelibus velut ex perpetuo fonte effundis o innocens medelae flumen, cuius impolluta gratia abluti, *o intemerata*, laudamus partum tuum et superexaltamus in omnia secula. »

281. Porro quae de titulo τῆς ἀχράντου *intemeratae* advertimus, de composito τῆς παναχράντου *penitus intemeratae* repetenda sunt. Is enim ad describendam distinguendamque Deiparam adhibetur a Theophane [c]) his verbis: « Ad te quae *penitus es intemerata* nunc recurro, te deprecor atque tibi confiteor, peccavi. » Adhibetur [d]) in anthologio quum dicitur: « Exsultat nunc Anna sterilitatis soluta vinculis, et nutrit *illam omni ex parte intemeratam.* » Adhibetur [e]) in paracletice in quo legimus: « Concordi voce beatam celebremus Mariam, *illam undequaque intemeratam* eamdemque arcam divinam, quae Legislatorem circumdedit qui propter inenarrabile divinae pie-

ctar. T. I. Διὸ καὶ γεννῶσι τὴν ἄχραντον, τὴν τῆς ἀγεννήσεως πρόξενον ἡμῶν, τὴν τῆς ἀναπλάσεως ἡμῶν αἰτίαν.

a) Antholog. die XVII. Ianuarii Ode ζ΄. pag. 338. col. 2. C. Μαρίαν τὴν ἄχραντον καὶ παναγίαν ἀνευφημήσωμεν.

b) Acoluth. ad Matut. pag. LVII. E. apud Bolland. T. II. Iunii. Ῥεῖθρον ἰάσεων ἡμῖν ἀεννάως τοῖς πιστοῖς, ἁγνὴ, πηγάζεις, οὗ τὴν ἄφθορον χάριν ἀποῤῥυόμενοι ὑμνοῦμεν τὸν τόκον σου, ἄχραντε, καὶ ὑπερυψοῦμεν εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας.

c) Antholog. die V. Decembris Ode γ΄. pag. 166. col. 2. B. Πρὸς σὲ τὴν πανάχραντον νῦν προστρέχω, καὶ δέομαι ὁμολογῶν σοὶ τὸ ἥμαρτον.

d) Antholog. die VIII. Septembris pag. 30. col. 2. D. Εὐφραίνεται νῦν ἡ Ἄννα τῆς στειρώσεως λυθεῖσα δεσμῶν, καὶ τρέφει τὴν πανάχραντον.

e) Paraclit. pag. 143. col. 2. A. Τὴν κιβωτὸν τὴν θείαν τὴν χωρήσασαν τὸν τοῦ νόμου πάροχον, ἡμῶν ἀνομίας πάσας ἀφαιρούμενον δι' εὐσπλαγχνίας θείας ἀδιήγητον πέλαγος, Μαρίαν τὴν πανάχραντον συμφώνως μακαρίσωμεν.

1) Orat. in nativit. Deiparae, pag. 1254. D-E. apud Combefisium Auctar. T. I.

2) Antholog. die VIII. Septembris pag. 31. Col. 1. C.

3) Confer etiam quae prorsus gemina recurrunt die XVIII. Ianuarii Ode ζ΄. pag. 343. col. 2. B.

tatis pelagus praevaricationes nostras omnes tollit.» Et adhibetur [1]) in officio sancti olei, itemque [a]) in officio magni et angelici habitus, in quo ista reperiuntur: «Filium tuum misericordem, o perfecte immaculata deprecare, sacri habitus candidatum ad religionis desideratum finem devotissime pervenire: te namque *prorsus intemeratam* auxiliatricem habemus.»

282. Succedunt epitheta *ἡ ἄμωμος καὶ ἡ πανάμωμος*, *immaculata illa et penitus immaculata*, quorum usum ad describendam distinguendamque Deiparam, plura sunt quae confirmant. Confirmant haec [b]) ex anthologio: «Ad sancta sanctorum sanctissima atque *immaculata* progreditur, ut ibi inhabitet.» Confirmant haec [c]) ex eodem libro: «Laetatur hodie Anna in spiritu exsultans, et contenta gaudet quod compos facta fuerit voti, quo prolem iampridem exoptabat; divinum namque pollicitationis et benedictionis fructum protulit, Mariam *plene immaculatam*, quae nobis Deum genuit, iisque splendescere solem fecit qui in tenebris iacebant.» Tum [d]) haec: «Hodie *illa perfecte immaculata* et innocens e sterili prodit: hodie in eius nativitate omnia exsultant.» Itemque [e]) ista: «Et Gabriel ad te *perfecte immaculatam* mittebatur, ut tibi cibum afferret: caelestia omnia stupebant, quum Spiritum sanctum in te habitare conspicerent. Quare o naevi labisque expers, et in caelo atque in terra Dei mater glorificata, nostrum quoque genus serva.» Confirmant haec [f])

a) Offic. magni et angelic. habit. pag. 502. D. Υἱόν σου τὸν εὔσπλαγχνον, πανάμωμε δυσώπησον, τὸν πιστῶς προσιόντα τῷ θείῳ σχήματι, πρὸς τὸ τῆς ἀσκήσεως φθάσαι πανευλαβῶς πολύευκτον τέλος· σὲ γὰρ τὴν πανάχραντον ἀντιλήπτορα κεκτήμεθα.

b) Antholog. die XX. Novembris Ode α'. pag. 123. col. 1. D. et die XXI. pag. 126. col. 2. B. Ἁγίων εἰς ἅγια ἡ παναγία καὶ ἄμωμος οἰκῆσαι προέρχεται.

c) Antholog. pag. 29. col. 1. B. Ἀγάλλεται σήμερον Ἄννα σκιρτῶσα ἐν πνεύματι, καὶ εὐφραίνεται χαίρουσα τυχοῦσα ἐφέσεως ἥσπερ ἐπεπόθει πάλαι εὐτεκνίας· ἐπαγγελίας γὰρ καρπὸν καὶ εὐλογίας θεῖον ἐβλάστησε Μαρίαν τὴν πανάμωμον, τὴν τὸν θεὸν ἡμῖν τέξασαν, καὶ τὸν ἥλιον λάμψασαν τοῖς ἐν σκότει καθεύδουσιν.

d) Antholog. die VII. Septembris pag. 32. col. 2. B. Σήμερον ἡ πανάμωμος ἁγνὴ προῆλθεν ἐκ τῆς στείρας· σήμερον τὰ πάντα εὐφραίνονται ἐν τῇ αὐτῆς γεννήσει.

e) Antholog. die XXI. Novembris pag. 126. col. 2. D. Καὶ Γαβριὴλ ἀπεστάλη πρὸς σὲ τὴν πανάμωμον, τροφὴν χορίζων σοι· τὰ οὐράνια πάντα ἐξέστησαν ὁρῶντα τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐν σοὶ σκηνῶσαν· διὸ ἄσπιλε, ἀμόλυντε, ἡ ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς δοξαζομένη, μῆτερ θεοῦ, σῶζε καὶ γένος ἡμῶν.

f) Antholog. die IX. Decembris Ode γ'. pag. 181. col. 1. D. Χορὸς προφητικὸς προ-

1) Offic. s. olei pag. 413. C. apud Goarium in euchologio.

ex Andrea melodo: « Propheticus chorus olim praenuntiavit immaculatam illam innocentem puellam Deique filiam, quam sterilis et infecunda Anna suscepit: hanc hodie corde laeti beatam celebremus qui salvati per eam sumus, tamquam solam plene immaculatam. » Confirmant haec [a]) ex Paracletice: « Quum te ligno sponte suffixum *immaculatissima* vidit, tuam plorans laudavit potentiam. » Et [b]) rursum: « O singulare portentum, clamavit *immaculatissima,* quum Filium vidit cruci affixum: qui pugillo universa portat, passionem sustinet, et tanquam reus damnatur, qui omnibus veniam impertit. » Confirmant [c]) haec ex canone sanctorum Iohannis euchaitae: « Te, *o penitus immaculata,* commune decus naturae nostrae, omnes celebramus, labium effecti unum, unumque concentum perficientes. Ut pluvia serotina valde ac temporanea, sic aquarum seculorumque artifex in sinum tuum, *o penitus immaculata,* peropportune descendit, ut deficientes refocillaret. In crucem suffixus qui ex te, Dei genitrix, corpus assumpsit, Adami discerpsit chirographum. Illum nunc precare, *o cuiusvis expers naevi,* ut a cunctis periculis liberet fideles clamantes: benedictus es Deus patrum nostrorum. » Confirmant haec [d]) ex officio funereo monachorum: « Precare filium et Deum, ut defuncto huic in voluptatis loco det requiem, ubi laetantium om-

ἐκήρυξε πάλαι τὴν ἄμωμον, ἁγνὴν καὶ θεόπαιδα κόρην, ἣν Ἄννα συνέλαβε στεῖρα οὖσα καὶ ἄγονος· ταύτην σήμερον ἀγαλλιάσει καρδίας μακαρίσωμεν οἱ δι' αὐτῆς σεσωσμένοι, ὡς μόνην πανάμωμον.

a) Paraclit. pag. 343. col. 2. C. Ἐν ξύλῳ προσπαγέντα σε ἑκουσίως ἡ πανάμωμος ὡς ἑώρακε, θρηνῳδοῦσα ὕμνειτο τὸ κράτος σου.

b) Paraclit. pag. 85. col 2. B. Ὢ θαῦμα καινὸν, ἐβόα ἡ πανάμωμος, σταυρῷ τὸν υἱὸν ἰδοῦσα καθηλούμενον· ὁ δρακὶ τὰ σύμπαντα περιφέρων, πάθος ὑφίσταται, καὶ ὡς κριτὸς κατακρίνεται ὁ πᾶσι παρέχων τὴν συγχώρησιν.

c) Acoluth. ad Matut. apud Bollandum T. II. Iunii Ode α'. pag. L. B. Σὲ τὴν κοινὴν φιλοτιμίαν, πανάμωμε, τῆς ἡμετέρας φύσεως πάντες δοξάζομεν, χεῖλος ἓν γεγονότες, καὶ συμφωνίαν μίαν ἀποτελέσαντες.

Ode δ'. pag. LII. C. Ὡς ὄψιμος ὑετὸς ἐπ' ἐσχάτων ὁ πρώϊμος, ὑδάτων αἰώνων τε δημιουργὸς εἰς τὴν μήτραν σου ἔσταξε, πανάμωμε, κατὰ καιρὸν ἀναψυχῶν τοὺς ἐκλείποντας.

Ode ζ'. pag. LVI. B. Σταυρῷ προσπαγεὶς ὁ ἐκ σοῦ σωματωθεὶς, Θεογεννήτρια, Ἀδὰμ διέῤῥηξε τὸ χειρόγραφον, ὃν νῦν δυσώπει, πανάμωμε, ἅπαντας κινδύνων ῥυσθῆναι τοὺς ἐν πίστει κραυγάζοντας· εὐλογητὸς εἶ ὁ Θεὸς, ὁ τῶν πατέρων ἡμῶν.

d) Offic. funer. Monach. pag. 548. D. apud Goarium in Euchologio. Δυσώπει υἱὸν καὶ Θεὸν τὸν μεταστάντα ἐν τρυφῇ ἀναπαῦσαι, ἔνθα πάντων ἐστὶν εὐφραινομένων ἡ κατοικία, ἁγνὴ, δοξάζειν σὲ, τὴν πανάμωμον.

29

nium habitatio est, o innocens, ut te penitus *immaculatam* celebret. » Tum ista [a]) confirmant quibus Amphilochius nominat « Dei genitricem, *illam vere immaculatissimam* et puram Mariam. »

283. Venio ad simillimum prorsus usum, quo Deipara per antonomasiam ἡ ἀμίαντος, ἡ ἄμεμπτος καὶ ἡ ἄσπιλος *illibata illa, et illa culpae naevique exsors* nuncupatur. Sane Leontius byzantinus [b]) prima eademque sempiterna Verbi generatione eximiis quibusdam depicta coloribus, ad secundam temporalemque progressus', ait: « Neque secundum alteram quidquam aliud genitum sic est sine semine, sine corruptione et supra naturam, et per Spiritum sanctum conceptum, et sine tempore perfectum, formatum, organis instructum et secundum omnem suimetipsius substantialem rationem partibus omnibus expletum in puro sinu *illibatae.* » Porro τῆς ἀμέμπτου *inculpatae* titulo describitur [c]) in Anthologio his verbis: « Quum *illa culpae inscia* te in cruce suspensum vidit, non sine lacrimis clamavit. » Itemque describitur [d]) in Paracletice, ubi Deipara sic loquens inducitur: « Stans iuxta crucem Iesu quae eum peperit, flebat atque clamabat: ego utpote virum nesciens, partus dolores effugi, et quo nunc pacto dolore premor et corde dilaceror quae sum *culpae inscia?* » De titulo autem τῆς ἀσπίλου *inviolatae* conferendi sunt hinc quidem Georgius nicomediensis, inde vero auctor qui Gregorii neocaesariensis nomine allegari consuevit. Ille namque de Virgine trienni in Templo oblata [e]) inquit: « Quippe decebat ut *naevi expers* ternarium numerum in se ipsa praevie honoraret, per quam iis qui erant in mundo, innotuit potentia Trinitatis. » Alter vero de Maria

a) Ex comm. trium Patrum in Cantic. pag. 696. B. apud Gallandium T. VI. Θεοτόκον τὴν ὄντως παναμώμητον, τὴν καθαρὰν Μαρίαν.

b) Advers. Nestor. lib. IV. §. IX. pag. 554. apud Mai Script. Vett. T. IX. Οὔτε κατὰ τὴν δευτέραν (γέννησιν) ἕτερόν τι οὕτως ἀσπόρως καὶ ἀφθόρως καὶ ὑπερφυῶς γεγέννηται, καὶ πνεύματος ἁγίου συλληφθὲν, καὶ ἀχρόνως τελειωθὲν, καὶ μορφωθὲν, καὶ διοργανωθὲν, καὶ εἰς πάντα τὸν ἑαυτοῦ οὐσιώδη λόγον ἀπαρτισθὲν ἐν τῇ ἁγνῇ μήτρᾳ τῆς ἀμιάντου.

c) Anthολog. die IV. Decembris pag. 156. col. 2. D. Ἡ ἄμεμπτος, ὡς εἶδέ σε ἐπὶ σταυροῦ κρεμάμενον, θρηνῳδοῦσα ἀνεβόα κ. τ. λ.

d) Paraclit. pag. 242. col. 2. A. Στᾶσα ἐπὶ σταυροῦ Ἰησοῦ ἡ σὲ τεκοῦσα, θρηνῳδοῦσα ὠδύρετο βοῶσα· ἐγὼ διέφυγον τὰς ὠδῖνας, ὡς ἄνανδρος· καὶ πῶς ἀρτίως τῇ ὀδύνῃ συνέχομαι καὶ σπαράττομαι τὴν καρδίαν ἡ ἄμεμπτος;

e) Orat. in praesent. Deiparae pag. 1887. E. apud Combefisium Auctar. T. I. Ἔδει γὰρ τὸν τρισσὸν ἐν ἑαυτῇ τὴν ἄσπιλον προτιμῆσαι ἀριθμὸν, δι' ἧς τοῖς ἐν κόσμῳ ἡ τῆς τριάδος ἐφανερώθη δύναμις.

Iesum conceptura [a]) sic habet: « Quem tu sancta Virgo portare non posses, nisi omni gloria et virtute pro tempore illo refulgeres. Quibus igitur laudum significationibus atque praeconiis *inviolatam formam* celebremus? quibus spiritualibus canticis gloriosissimam inter angelos glorificemus? »

284. Neque omittenda est descriptio, qua Virgo in Paracletice infinita τῆς πανακηράτου *prorsus intactae* appellatione [b]) significatur: « *Penitus* [1]) *intacta*, innocens et perfecte immaculata exclamabat: universa creatura te, o longanimis, videns in crucem elatum, gaudio gaudet; per te namque, fili dilectissime, redemptionem invenit. » Immo neque omitti debent metaphoricae descriptiones, quibus Deipara absolute simpliciterque dicitur ἡ ἀμίαντος ἀμνὰς, τὸ ἄσπιλον πρόβατον καὶ ἡ ἁγνὴ περιστερά, *agna inviolata, ovis inscia maculae, et innocens columba*. Quum enim substantiva nomina, *agna, ovis, columba*, symbola ex sese sint puritatis atque innocentiae; multo sane illustrius puritatem innocentiamque praeseferent cum iis iuncta appositis quae descripsimus quaeque κατ' ἐξοχὴν adhibentur. Iamvero prior descriptio invenitur [c]) apud Basilium pegoriotem qui ait: « *Agna immaculata* et intactus thalamus Deipara Maria in domum Dei cum gaudio mirabiliter adducitur. » Et [d]) rursum: « *Agna inviolata* et innocens columba adducebatur in domum Dei ut in ea habitaret, quippe praedestinata tamquam labis expers, ut Dei mater fieret. » Cum quibus ista [e]) concinunt: « Impolluta illa Dei agna,

a) Orat. II. in annunt. Deiparae pag. 18. A. Ὃν σὺ ἁγία παρθένε φέρειν οὐκ ἴσχυες, εἰ μὴ πάσης δόξης καὶ ἀρετῆς κατὰ τὸν χρόνον ἐκεῖνον ἐξήστραπτες· ποίοις οὖν ἐπαινῶν νεύμασι καὶ κηρύγμασι τὸν ἄσπιλον ἀνυμνήσωμεν χαρακτῆρα; ποίαις πνευματικαῖς ὑμνῳδίαις δοξάσωμεν τὴν ὑπερένδοξον ἐν ἀγγέλοις;

b) Paraclit. pag. 149. col. 1. A. Χαρὰν ἡ σύμπασα κτίσις ὁρῶσα σὲ χαίρει, μακρόθυμε, σταυρῷ ὑψούμενον· (ἡ πανακήρατος ἁγνὴ ἐβόα καὶ παναμώμος) λύτρωσιν γὰρ εὕρατο διὰ σοῦ, τέκνον φίλτατον.

c) Antholog. die XXI. Novembris pag 130. col. 1. D. Ἡ ἀμίαντος ἀμνὰς καὶ ἀκηλίδωτος παστὰς ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ θεοῦ, ἡ θεοτόκος Μαριὰμ, μετ' εὐφροσύνης εἰσάγεται παραδόξως.

d) Ibid. Ode ϛ'. pag. 132. col. 1. B. Ἡ ἀμίαντος ἀμνὰς καὶ ἁγνὴ περιστερὰ προσηνέχθη κατοικεῖν ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ θεοῦ, ὡς ἄμωμος προορισθεῖσα γενέσθαι μήτηρ θεοῦ.

e) Antholog. die XXI. Novembris Ode γ'. pag. 130. col. 1. B. Ἡ τοῦ θεοῦ ἀμνὰς ἡ

1) Cuius loquutionis quae quantave sit potestas, ex his etiam eruere licet quibus Cyrillus alexandrinus (explanat. in Luc. II. pag. 134. apud Mai in Nov. pp. biblioth. T. II.) agens de verbis evangelistae, *purgationis eorum*, scribit: ἀλλ' οὐδὲ περὶ τοῦ κυρίου τοῦτο εἴρηται, τοῦ ἀκηράτου καὶ ὑπὲρ πᾶσαν καθαρότητα. *Sed neque de Domino id dictum fuit, intacto scilicet et quamlibet munditiam excedente.*

illa intacta columba, tabernaculum Dei capax, gloriae sanctuarium, sibi habitare delegit in tabernaculo sancto. » Posterioris descriptionis auctor est [a]) vulgatus Epiphanius, qui de Deipara scribit: « *Ovis immaculata* quae peperit agnum Christum. » Ad tertiam denique ista pertinent [b]) Andreae melodi: « *Innocentem columbam* Anna in utero concipiens spiritali laetitia repleta fuit, actionesque gratiarum Deo persolvit. »

285. Itaque non solum Deipara est vocarique debet ἄχραντος *intemerata*, verum etiam ἡ ἄχραντος *illa intemerata:* non solum πανάχραντος *penitus intemcrata*, verum etiam ἡ πανάχραντος *illa penitus intemerata:* non solum ἄμωμος καὶ πανάμωμος *immaculata et perfecte immaculata*, verum etiam ἡ ἄμωμος καὶ ἡ πανάμωμος *illa immaculata et perfecte immaculata:* non solum ἀμίαντος *illibata*, verum etiam ἡ ἀμίαντος *illibata illa:* non solum ἀκήρατος *intacta*, verum etiam ἡ ἀκήρατος καὶ ἡ πανακήρατος *illa intacta omnique ex parte intacta:* et ne sim nimius, non solum ἄσπιλος *expers naevi*, verum etiam ἡ ἄσπιλος *illa expers naevi*. Adeo ut aegre invenire liceat epithetum negans, quod ad Deiparam non referatur κατ' ἐξοχήν, quod de ea non usurpetur infinite, et quo ipsa absolute simpliciterque non describatur. Quod nimirum penes maiores nostros obtinuerit, ut si quam infinite atque simpliciter nominatam audirent τὴν ἄμωμον, τὴν ἄσπιλον, *immaculatam, intactam*, ipsam continuo Deiparam intelligerent, ac synonymorum instar haberent hinc quidem τὴν ἀκήρατον καὶ τὴν ἄμεμπτον *illaesam et inculpatam*, inde vero beatissimam Dei genitricem et amantissimam nostrum omnium matrem. Sed neque cogitandi neque loquendi leges hanc synonymiam ferunt, nisi quidquid est labis ac sordium a Deipara alienissimum putetur, et nisi ipsa ab originali corruptela aeque ac a reliquis culpis omnibus integra atque soluta censeatur. Atque hoc maioribus nostris visum prorsus esse, eo etiam nomine perspicue liquet, quod non modo Virginem tradiderint ab Anna genitam et in lucem prolatam *innocentem et penitus immacu-*

ἄσπιλος, ἡ περιστερὰ ἡ ἀμόλυντος, ἡ Θεοχώρητος σκηνὴ, τὸ τῆς δόξης ἁγίασμα ἐν σκηνώματι ἁγίῳ κατοικεῖν ᾑρετίσατο.

a) Orat. de laudibus s. Mariae pag. 294. D. opp. T. II. Τὸ ἄσπιλον πρόβατον, ἡ τὸν ἀμνὸν τεκοῦσα Χριστόν.

b) Antholog. die VIII. Decembris Ode ϛ'. pag. 182. col. I. A. Τὴν ἁγνὴν περιστερὰν συλλαβοῦσα ἐν γαστρὶ, χαρμονῆς πνευματικῆς ἐπληρώθη ἀληθῶς προσάγουσα χαριστηρίους ᾠδὰς ἡ Ἄννα Θεῷ.

latam, verum etiam *ad divinam maternitatem praedestinatam* idcirco docuerint, quod *una omnium cuiusvis expers maculae* apparuerit.

ARTICULUS II.

De appositis affirmantibus iisque per antonomasiam adhibitis et ad describendam secernendamque Deiparam maiorum usu receptis.

286. Quae superiore articulo de *negantibus* epithetis observavimus, ad *affirmantia* quoque epitheta transferri debent. Constat enim ac liquido constat haec etiam usurpari κατ' ἐξοχὴν de Deipara consuevisse, neque his minus quam illis aut Deiparam fuisse absolute descriptam, aut a reliquis omnibus eximio quodam praestantiae gradu simpliciter secretam. Quod ut idoneis confirmem exemplis, ab eo ordiar affirmante epitheto quo Deipara quam toties [1]) *sanctam et vere sanctam* celebratam novimus, praeterea ἡ ἁγία *sancta illa* atque eximie sancta nuncupatur.

287. Atque hoc sane titulo descripta occurrit in homiliis Gregorio neocaesariensi tributis, in quibus [a]) legimus: « Ipse caelestium omnium potestatum dominator ex omni creatura te *sanctam* et ornatissimam elegit, et per sanctum et castum, purum atque impollutum ventrem tuum, fulgidissima margarita in salutem totius terrarum orbis progreditur. » Hoc titulo descripta occurrit [2]) penes Ambrosium et [b]) Georgium nicomediensem qui ait: « In sancta san-

a) Orat. II. pag. 17. C-D. Αὐτὸς ὁ κυριεύων πασῶν τῶν οὐρανίων δυνάμεων ἀπὸ πάσης τῆς κτίσεως σὲ τὴν ἁγίαν καὶ παγκόσμιον ἐκλέλεκται, καὶ διὰ τῆς ἁγίας καὶ ἁγνῆς καὶ καθαρᾶς καὶ ἀμιάντου σου γαστρὸς ὁ φωτιστικὸς μαργαρίτης προέρχεται εἰς σωτηρίαν πάσης τῆς οἰκουμένης.

b) Antholog. die XXI. Novembris pag. 126. col. 2. B. Τῶν ἁγίων εἰς ἅγια ἡ ἁγία καὶ ἄμωμος ἐν ἁγίῳ πνεύματι εἰσοικίζεται, καὶ δι' ἀγγέλου ἐκτρέφεται τῷ ὄντι ὑπάρχουσα ἁγιώτατος ναὸς τοῦ ἁγίου Θεοῦ ἡμῶν, τοῦ τὰ σύμπαντα ἁγιάσαντος ταύτης εἰσοικήσει καὶ θεώσαντος τὴν φύσιν τὴν τῶν βροτῶν ὀλισθήσασαν.

1) Videsis quae attulimus nn., 176. seqq. 231. seqq., quibus adde prorsus gemina quae habentur in epistola Tarasii data ad Alexandrinos et Antiochenos et in concilio nicaeno II. Act. III. pag. 1122. E. Concil. Tom. XII. recitata, in epistola Theodosii monophysitas ad populum alexandrinum, et in eiusdem homilia de ss. Trinitate pagg. 713, 718. apud Mai Spicileg. rom. T. III., in epistola synodica Severi antiocheni ad Iohannem alexandrinum et in eiusdem fidei expositione pagg. 732, 735, 736. ibidem, in epistola paschali Cyrilli alexandrini, interprete Arnobio iuniore, pag. 107. ibidem T. V. et in hymnis Latinorum apud Mone. pag. 306.

2) Opp. T. I. col. 1281. E., et col. 1291. A-B.

ctorum *sancta* et immaculata ingreditur in Spiritu sancto, et per angelum nutritur, ut quae vere sit sanctissimum templum sancti Dei nostri, qui inhabitatione in ipsa universa sanctificat, lapsamque mortalium naturam divinitatis consortem reddit. » Hoc titulo descripta occurrit [a]) in Triodio ubi dicitur: « Videns semetipsam *sancta illa* in proposito castimoniae obfirmatam, animose Gabrieli respondet. » Hoc titulo descripta occurrit [b]) in Paracletice his verbis: « Sanctificavit Deus uterum tuum, *o sancta* et venerabilis, quum in eo habitaret. » Atque huc faciunt ista [c]) Epiphanii: « Quis ullo tempore umquam extitit qui *sanctae* Mariae nomen appellare auderet, et non rogatus subinde Virginis vocabulum adiiceret? » Tum haec quae alibi [d]) scribit: « Sancta Maria Virgo nuncupatur, nec appellatio ista aliquando commutabitur. *Sancta* [1]) namque illa incorrupta permansit. »

288. Altero loco se epithetum offert, quo Virgo appellatione τῆς παναγίας *sanctissimae* aut per antonomasiam describitur, aut a ceteris secernitur. Describitur autem [e]) a Iohanne monacho ubi ait: « Qui sanat antiquam Evae praevaricationem, in te [2]), *perfecte* immaculata et *sancta,* habitavit, totum me hominem lapsum refingens qui est super omnia Deus. » Sed distinguitur [f]) a Leone qui scribit: « Intus in Dei templo templum Dei capax consecratur Virgo *sanctissima;* et iam puellae lampades gestantes in medium prodeunt. » Itemque di-

a) Triod. pag. 314. col. 2. D. Βλέπουσα ἡ ἁγία ἑαυτὴν ἐν ἁγνείᾳ, φησὶ τῷ Γαβριὴλ θαρσαλέως κ. τ. λ.

b) Paraclit. pag. 359. col. 1. A. Ἡγίασεν ὁ Θεὸς τὴν μήτραν σου, ἁγία σεμνὴ, κατοικήσας ἐν αὐτῇ.

c) Haeres. LVIII. al. LXXVIII. pag. 1037. D. opp. T. I. Τίς ποτε, ἢ ἐν ποίᾳ γενεᾷ τετόλμηκε καλεῖν τὸ ὄνομα Μαρίας τῆς ἁγίας, καὶ ἐρωτώμενος οὐκ εὐθὺς ἐπήνεγκε τὸ, παρθένον;

d) Ibid. pag. 1038. A-B. Τῇ ἁγίᾳ Μαρίᾳ προσετέθη τὸ παρθένος, καὶ οὐ τραπήσεται· ἄχραντος γὰρ διέμεινεν ἡ ἁγία.

e) Antholog. die XXVI. Septembris Ode δ'. pag. 61. col. 2. A. Ἰώμενος τὴν τῆς Εὔας ἀρχαῖαν παράβασιν, σὲ τὴν παναμώμητον καὶ παναγίαν κατῴκησεν, ὅλον με τὸν ἄνθρωπον ἀναμορφώσας πεσόντα ὁ ὑπέρθεος.

f) Antholog. die XXI. Novembris pag. 128. Col. 1. B. Ἔνδον ἐν τῷ ναῷ τοῦ Θεοῦ ὁ θεοχώρητος ναὸς ἀνατίθεται παρθένος ἡ παναγία, καὶ νεάνιδες αὐτῆς νῦν λαμπαδηφόροι προπορεύονται.

1) Quae postrema verba pervertit interpres illa sic reddens: *Haec enim perpetuo incorrupta permansit.*

2) Atque haec quidem sua veluti sponte suggerunt, ab eo morbo Virginem fuisse immunem, quem antiqua Evae praevaricatio invexit.

stinguitur [a]) in Anthologio, in quo de ea dicitur: « Ad sancta sanctorum *sanctissima* et immaculata procedit ut in iis habitet, templumque fiat sanctificatum Dei qui est super omnia sanctus. » Huc autem egregie faciunt quae in Euchologio occurrunt de ritu Graecis usitato, quem [1]) Goarius et [2]) Mone illustrant, quique dici consuevit περὶ τῆς ὑψώσεως τῆς παναγίας, ὅταν μέλλει ἀποδημῆσαι τὶς ἐν ταξειδίῳ, *de elevatione panis ἡ παναγία sanctissima, nuncupati, quum quis est iter aggressurus.* Licet enim ἡ παναγία dicatur *buccella panis triangularis*, certoque ritu Virgini dedicata; eiusmodi tamen appellatio in illam dimanat ex Virgine, quae trito vulgatoque apud Graecos loquendi more ἡ παναγία salutatur.

289. Succedit epithetum ἡ ἁγνὴ *innocens illa*, quo κατ' ἐξοχὴν ac proprio singularique sensu adhibito Deiparam exhibent ac demonstrant Iosephus hymnographus, Theodorus studita et Andreas melodus. Iosephus namque [b]) sic habet: « Ecce *o innocens*, ab antiqua maledictione solutum mortale genus, et Satanam ruinae caussam subactum. » Concinit [c]) Theodorus inquiens: « Orta est beata radix Iesse e qua germinavit [3]) *innocens illa*, quae fert divinum florem Christum Dominum. » Concinit Andreas, qui [d]) nunc scribit: « Iustorum, Domine, exaudisti preces, sanctorumque avorum tuorum postulationes explesti, fructumque iis concessisti *innocentem illam* quae te genuit. » Nunc autem [e]) Deiparae conceptum vocat *innocentis illius Deique filiae conceptionem;* ipsamque Deiparam [f]) appel-

a) Antholog. die XX. Novembris Ode α'. pag. 123. col. 1. D. Ἁγίων εἰς ἅγια ἡ παναγία καὶ ἄμωμος οἰκῆσαι προέρχεται, ὑπεραγίου Θεοῦ ὅπως γένηται ναὸς ἡγιασμένος.

b) Antholog. die XVI. Ianuarii Ode γ'. pag. 330. col. 2. D. Ἰδοὺ κατάρας τῆς ἀρχαίας ἐλύθη τὸ βροτεῖον, καὶ κατήργηται Σατὰν, ἁγνὴ, τοῦ πτώματος αἴτιος.

c) Antholog. die XXI. Decembris Ode ϛ'. pag. 220. col. 2. E. Μακαρία πέφυκεν ἡ ῥίζα Ἰεσσαὶ ἐκβλαστήσασα τὴν ἁγνὴν ἄνθος θεῖον φέρουσαν Χριστὸν τὸν κύριον.

d) Antholog. die IX. Decembris Ode α'. pag. 181. col. 1. A. Δικαίων ἐπήκουσας τὰς ἱκεσίας, ἁγίων ἐπλήρωσας τὰς ἐντεύξεις, κύριε, τῶν προπατόρων σου, καὶ τούτοις δέδωκας καρπὸν τὴν σὲ τεκοῦσαν ἁγνήν.

e) Ibid. Ode θ' pag. 183. col. 2. C. Ἡ τῆς ἁγνῆς καὶ θεόπαιδος σύλληψις.

f) Ibid. pag. 184. col. 1. B. Ῥάβδον δυνάμεως, τὴν μόνην ἀπείρανδρον καὶ θεόπαιδα Μαρίαν τὴν ἁγνήν· ἐξ ἧς τὸ ἄνθος προῆλθε Χριστὸς βλαστήσας πᾶσι τὴν ζωὴν καὶ ἀδάπανον τροφὴν καὶ σωτηρίαν τὴν αἰώνιον. Cum his iuverit contulisse quae ex Theophane adducuntur die IV. Ianuarii pag. 36. col. 2. A.

1) Euchology. pagg. 865. seqq.

2) Lateinische und Griechische Messen, pagg. 141. seqq.

3) Ex beata igitur radice Iesse, qua periphrasi Anna significatur, germinavit Deipara. Verum quo pacto? germinavit ne noxia vel innoxia? laesa vel illaesa? Theodori responsio haec est: *germinavit innocens.*

lat « Virgam virtutis, solam viri insciam, Deique filiam Mariam *innocentem illam,* e qua flos extitit Christus omnibus proferens vitam et inconsumptum cibum, aeternamque salutem. » Neque ista dissentiunt [a]) ex Paracletice: « Lacrymarum flumina e meis oculis dimanantium, fili desideratissime, nullum umquam tempus exsiccare penitus poterit, *innocens illa* plorans clamabat. » Et [b]) rursum: « Voluntariam Domini mortem contemplans *innocens illa* et Virgo, maesta atque plorans dicebat. » Quibus haec sunt consona [c]) ex acoluthia officii graeci ad Matutinum: « Maximis ego perturbationum iactatus occulte tempestatibus, te, *o innocens*, ardenter invoco, ne sinas me miserum perire, tu quae misericordiae abyssum genuisti. Praeter te enim spem nullam aliam habeo. Igitur in te confisus non praebebo inimicis materiam gaudii et risus; etenim potes quodcumque vis, ut mater illius qui est omnium Deus. » Atque haec [d]) item Iohannis euchaitae, in quibus illud praeter alia splendet, quod Virgo *κυρίως ἁγνὴ vere ac proprie innocens* salutatur his verbis: « A gravibus tam corporis quam animae periculis et morbis et lapsibus, o incontaminata, eripe me qui pie confiteor esse te *vere innocentem* Dei genitricem. Totam gratiarum abyssum [1]) in te reconditam esse agnoscimus. Propterea, o Deipara, qui ad te prompto erectoque animo confugimus, divino tuo patrocinio servamur. « Tum haec [e]) quibus Iosephus Deiparam vocat *τὴν μόνην ἁγνὴν solam innocentem* scribens: « Exaudivit Deus Annae gemitus, et Dominus illius

a) Paraclit. pag. 242. col. 1. B. Ῥεῖθρα δακρυῤῥοίας ἐμῆς τῆς ἐξ ὀμμάτων μου, υἱὲ ποθεινότατε, ὁ χρόνος ξηρᾶναι ὅλως οὐ κατισχύσει ποτέ· ἡ ἁγνὴ θρηνοῦσα ἀπεφθέγγετο·

b) Ibid. pag. 202. col. 2. B. Τὴν ἐθελούσιον σφαγὴν τοῦ δεσπότου κατανοοῦσα ἡ ἁγνὴ καὶ παρθένος, ὀδυρομένη ἔλεγε δακρύουσα.

c) Apud Bolland. T. II. Iunii pag. XLVII. F. Τρικυμίαις τῶν παθῶν ἀσυνειδήτως ἐγὼ χειμαζόμενος, ἁγνὴ, ἐπικαλοῦμεν σε θερμῶς· μὴ μὲ παρίδῃς τὸν δείλαιον ἀπολέσθαι, ἄβυσσον ἐλέους ἡ τέξασα, πλὴν σοῦ γὰρ ἄλλην ἐλπίδα οὐ κέκτημαι· μὴ οὖν ἐχθροῖς ἐπίχαρμα καὶ γέλως, ὁ πεποιθὼς σοι ὀφθήσομαι· καὶ γὰρ ἰσχύεις ὅσα καὶ βούλεις, ὡς μήτηρ οὖσα τοῦ πάντων θεοῦ.

d) Can. Deiparae pag. 117. in Thesaur. hymnolog. T. III. Τὸν εὐσεβῶς σε θεοτόκον κυρίως ἁγνὴν ὁμολογοῦντα, ἄχραντε, ψυχῆς καὶ σώματος χαλεπῶν ἐκ κινδύνων καὶ νόσων καὶ πταισμάτων σὺ μὲ διάσωσον· ὅλην ἐν σοὶ τῶν χαρισμάτων ἄβυσσον ἀποκειμένην ἔγνομεν· διὸ προσφεύγοντες, θεοτόκε, προθύμως τῇ θείᾳ σκέπῃ σου τῇ θείᾳ διασωζόμεθα.

e) Antholog. pag. 181. col. 2. B. Ὑπήκουσε τῆς Ἄννης θεὸς τοὺς στεναγμοὺς, καὶ

1) Quod *tota gratiarum abyssus* recondita in Virgine fuerit, quodque nullo ipsa fuerit destituta charismate, propterea *κυρίως ἁγνὴ vere ac proprie innocens* nuncupatur et creditur.

orationem recepit, et depulsis infecunditatis tenebris splendere mirabiliter fecit lumen fecunditatis: quapropter concipit *illam solam innocentem.* »

290. De usu autem prorsus gemino tituli τῆς πανάγνου *innocentissimae*, testes adsunt fide dignissimi Germanus constantinopolitanus, Georgius nicomediensis et Basilius pegoriotes. E quibus [a]) Basilius ait: « Videntes angeli ingressum *illius innocentissimae*, obstupuerunt quomodo Virgo in sancta sanctorum ingrederetur. » Georgius [b]) vero inquit: « Siquidem ad hoc electi erant *innocentissimae illius* parentes (Ioachimus et Anna); quorsum eis ad illud usque tempus occlusa manserunt fecunditatis dona, plurimamque aetatem prole carentes egerunt? » Patrocinatur [c]) Germanus scribens: « Effloruit odoriferum pomum, divina rosa apparuit, faetoremque exstinxit peccati nostri *illa perfecte innocens* [1]) et mater Verbi: ipsam super extollimus in omnia secula. » Tum ista patrocinantur [d]) ex Paracletice: « Mundus, o Verbum, per tuam crucem misericordiam consequutus est, clamabat [2]) *illa perfecte innocens.* » Accedit [e]) Iohannes euchaita inquiens: « Pro nobis te, *o undequaque innocens*, celebrantibus deprecare incarnatum ex impolluto tuo et pretioso sanguine, ut simus a delictis amarisque morbis immunes. » Et [f]) rursum: « Te

προσέσχε κύριος δεήσεως αὐτῆς, καὶ ἀτεκνίας τὸ νέφος διασκεδάσας φωτὶ αὐγάζει εὐτεκνίας παραδόξως· ὅθεν συλλαμβάνει τὴν μόνην ἁγνήν.

a) Antholog. die XXI. Novembris Ode θ′. pag. 130. col. 2. A. Ἄγγελοι τὴν εἴσοδον τῆς πανάγνου ὁρῶντες ἐξεπλήττοντο πῶς ἡ παρθένος εἰσῆλθεν εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων.

b) Orat. in praesentat. Deiparae pag. 1078. A. apud Combefisium Auctar. T. I. Εἰ γὰρ εἰς τοῦτο ἔτυχον εἶναι ἐξειλεγμένοι φάσκοντες οἱ τῆς πανάγνου γεννήτορες, πῶς αὐτοῖς μέχρις ἐκείνου τὰ τῆς παιδοποιΐας ἀπεκλείσθη χαρίσματα, καὶ ἄγονος τὸ πλεῖστον τοῦ βίου διήνυον.

c) Antholog. die VII. Septembris Ode η′. pag. 18. col. 1. D. Ἤνθησε τὸ μῆλον τὸ εὐῶδες, τὸ ῥόδον τὸ θεῖον πεφανέρωται, καὶ τὸ δυσῶδες ἔπαυσε τῆς ἁμαρτίας ἡμῶν, ἡ πάναγνος καὶ μήτηρ τοῦ λόγου· ἣν ὑπερυψοῦμεν εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας.

d) Paraclit. pag. 148. col. 2. C. Ὁ κόσμος ἠλεήθη, λόγε, τῇ σταυρώσει σου, ἡ πάναγνος ἐβόα.

e) Can. Deiparae pagg. 117-118. in Thesauro hymnolog. T. III. Ὑπὲρ ἡμῶν τῶν σε ὑμνούντων δυσώπησον τὸν σαρκωθέντα, πάναγνε, ἐκ τῶν ἀχράντων σου καὶ τιμίων αἱμάτων, ῥυσθῆναι ἐκ πταισμάτων καὶ νοσημάτων πικρῶν.

f) Acoluth. ad matut. pag. LVII. E. apud Bollan. T. II. Iunii. Πύργον ἰσχύος ἀσφα-

1) Peccatum nostrum, peccatum humanitatis atque omnibus commune ipsum est peccatum origine contractum. Atqui prae hoc eodem peccato Virgo dicitur ἡ πάναγνος *illa omni ex parte innocens.*

2) Videsis etiam quae habentur pag. 256. col. 1. C.

securam fortitudinis turrim et crepidinem et custodiam et defensionem possidentes, per fidem nunc servamur. Laudamus partum tuum, *o penitus innocens*, et superexaltamus in omnia secula. »

291. Quid quod Deipara proprio veluti nomine appellatur ἡ καθαρὰ, ἡ πανίερος, ἡ σεμνὴ, ἡ ὡραῖα, *illa pura*, *perfecte sacra*, *venerabilis*, et *formosa?* Profecto τὴν καθαρὰν *puram illam* vocat Iosephus [a]) his verbis: « Receptaculum lucis quae divine, o penitus immaculata, ex te quae *pura* es, refulsit, animae meae oculos illumina, ignorantiae tenebras depelle et peccati caliginem dissipa. » Vocat [b]) τὴν σεμνὴν *venerandam illam*, ubi ait: « Te innocentem Domini columbam, *venerandam* [1]) et immaculatam et inter mulieres pulcram, ut quae Deum pepereris, beatam fideliter dicimus, o divinitus beatificata. » Germanus [c]) vero postquam monuit, in Deipara expleta fuisse divina mysteria, continuo illam dicit *perfecte sacram, animatumque Domini templum*. At Georgius [d]) de ipsa scribit: « Est haec Regina, quae [2]) adstitit a dextris Dei, quae, inquam, decori proxima ac splendori; *formosa* per naturam [3]) et maculae incapax. » Eodem [e]) haec

λῆ, καὶ κρηπῖδα, καὶ φρουρὰν, καὶ προστασίαν κεκτημένοι σε, πίστει διασωζόμεθα νῦν· ὑμνοῦμεν τὸν τόκον σου, πάναγνε, καὶ ὑπερυψοῦμεν εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας.

a) Men. die XI. Octobris Ode θ'. pag. 81. col. 1. D. Φωτὸς δοχεῖον τοῦ ἀναλάμψαντος θεοπρεπῶς ἐκ σοῦ τῆς καθαρᾶς, παναμώμητε, τῆς ψυχῆς μου τὰ ὄμματα φώτισον, σκότος τῆς ἀγνωσίας ἀποδιώκουσα, καὶ τῆς ἁμαρτίας τὴν ἀχλὺν ἐξαφανίζουσα.

b) Men. die XXIII. Decembris Ode α'. pag. 188. col. 1. B. Σὲ τὴν ἁγνὴν τοῦ δεσπότου περιστερὰν, τὴν σεμνὴν καὶ ἄμωμον καὶ καλὴν ἐν γυναιξὶ, ὡς τὸν ὅλων τέξασαν θεὸν, μακαρίζομεν πιστῶς, θεομακάριστε.

c) Orat. in praesentat. Deiparae pag. 1414. C. apud Combefisium Auctar. T. I. Τὴν πανίερον καὶ τὸν ναὸν τὸν ἔμψυχον κυρίου.

d) Orat. in Deiparae ingress. in Templum pag. 1098. E. apud Combefisium Auctar. T. I. Αὕτη ἐστὶν ἡ ἐκ δεξιῶν θεοῦ παρεστῶσα βασίλισσα· ἡ πλησίον τῷ κάλλει καὶ τῇ λαμπρότητι· ἡ ὡραῖα τῇ φύσει, καὶ μώμου ἀνεπίδεκτος.

e) Acoluth. ad maior. vesper. pag. XXXIV. A. apud Bollau. T. II. Iunii. Τίς μὴ μακαρίσει σὲ, παναγία παρθένε; τίς μὴ ἀνυμνήσει σοῦ τὸν ἀλόχευτον τόκον; ὁ γὰρ ἀχρόνως ἐκ πατρὸς ἐκλάμψας υἱὸς μονογενὴς, ὁ αὐτὸς ἐκ σοῦ τῆς ἁγνῆς προῆλθεν, ἀφράστως σαρκωθείς· φύσει θεὸς ὑπάρχων, καὶ φύσει γενόμενος ἄνθρωπος δι' ἡμᾶς· οὐκ εἰς δυάδα προσώπων τεμνόμενος, ἀλλ' ἐν δυάδι φύσεων ἀσυγχύτως γνωριζόμενος· αὐτὸν ἱκέτευε, σεμνὴ παμμακάριστε, ἐλεηθῆναι τὰς ψυχὰς ἡμῶν.

1) Sed in Triodio pag. 418. col. 2. D. vocatur ἡ πάνσεμνος his verbis: Μὴ παρίδῃς ἁμαρτωλῶν ἱκεσίας ἡ πάνσεμνος, ὅτι ἐλεήμων ἐστὶ καὶ σώζειν δυνάμενος ὁ καὶ παθεῖν ὑπὲρ ἡμῶν καταδεξάμενος. *Ne despicias peccatorum preces, quae prorsus es venerabilis: nam misericors est et ad salvandum potens, qui et pati pro nobis sustinuit.*

2) Ps. XLIV. 10.

3) Sed τῇ φύσει *natura* sunt omnes *deformes*, qui vitiati originis culpa concipiuntur.

spectant ex acoluthia graeci officii ad maiores vesperas: « Quis te, Virgo sanctissima, non beatam praedicet? Quis non celebret tuum sine virili ope partum? Qui enim ante omne tempus ex Patre effulsit Filius unigenitus, ille idem ex te quae *innocens* es, prodivit ineffabiliter incarnatus; natura Deus exsistens, et natura propter nos homo factus; non in duas divisus personas, sed in duabus naturis inconfuse cognoscendus. Hunc ora, *o augusta beatissima,* ut nostrarum animarum misereatur. » Atque eodem haec [a]), praecinente Iosepho: « Propter malignam inimici suggestionem prima omnium mater mortem invexit, sed [1]) haec *innocens* vitam pariens nos corruptione mortuos vivificavit. Et cogitationibus perditus et carnalibus infectus sordibus ad te *vere puram et intaminatam atque innocentem* me recipio. Sis servi tui auxiliatrix. »

292. Cognatum est appositum τῆς καλῆς *pulcrae,* quo patres Deiparam frequenter secernunt. Secernit [b]) Anastasius antiochenus inquiens: « A te deinceps audiet femineus sexus: avete feminae, quae gaudii principium susceperitis, solam illam inter virgines gratia plenam, *illam pulcram,* immaculatam, sanctam, Dei genitricem Mariam. » Secernit [c]) Iohannes damascenus qui scribit: « Caelestium puellarum chorus divinissime te cantibus *pulcram* inter mulieres celebrant, o Dei genitrix regina, te divinitatis pulcritudine venustam: Verbum enim pulcri effectorem supra mentis intelligentiam peperisti. » Secernit [d]) Philotheus qui Deiparam alloquens ait: « Verbum, o puella, in sinu tuo habitans illum effecit vas unguenta-

a) Paraclit. pag. 296. col. 1. D-E Ἐκ πονηρᾶς συμβουλίας τοῦ δυσμενοῦς ἡ προμήτωρ θάνατον ἐπεισῆξεν, ἀλλ' αὐτὴ τὴν ζωὴν κυήσασα ἁγνὴ, νεκρωθέντας τῇ φθορᾷ ἡμᾶς ἐζώωσας· καὶ λογισμοῖς ὀλισθαίνων, καὶ μολυσμοῖς σαρκικοῖς σπιλούμενος ἐπὶ σὲ τὴν καθαρὰν ἀληθῶς καὶ ἄσπιλον ἁγνὴν καταφεύγω· βοηθὸς γένου τῷ δούλῳ σου.

b) Orat. in annunciat. Deiparae §. II. pag. 263. A-B. apud Gallandium T. XII. Ἀπὸ σοῦ λοιπὸν τὸ θῆλυ γένος ἀκούσει· χαίρετε γυναῖκες, ἀρχὴν τοῦ χαίρειν λαβοῦσαι τὴν μόνην ἐν παρθένοις κεχαριτωμένην, τὴν καλὴν, τὴν ἄσπιλον, τὴν ἁγίαν, τὴν θεομήτορα Μαριάμ.

c) Men. die XI. Ianuarii Ode α'. pag. III. col. 2. B. Νεανίδων θείων ὁ χορὸς ἐνθεαστικώτατα ἐν γυναιξὶ σὲ καλὴν ᾀσματίζουσι, θεοτόκε δέσποινα, καλλοναῖς ὡραϊζομένην θεότητος· τὸν καλλοποιὸν γὰρ λόγον ὑπὲρ λόγον ἀπεκύησας.

d) Antholog. die XXVI. Octobris Ode ϛ'. pag. 85. col. 1. D. Ὁ λόγος ἐν μήτρᾳ σοῦ, κόρη, σκηνώσας εἴργασται ταύτην μυροθήκην καιροῦ μύρου· ὅθεν παρθένοι ἁγίων θείων ψυχαὶ ὀπίσω σοι ἔδραμον θερμῶς, εἶ καλὴ, βοῶσαι σοὶ, εἶ καλὴ κόρη, δέσποινα.

1) Nullum ergo ex maligna inimici suggestione detrimentum cepit Virgo, nulloque propterea originis naevo corrupta fuit.

rium opportuni unguenti: idcirco virgines animae sanctorum divinorum post te cupide cucurrerunt tibi acclamantes, *pulcra* es, *pulcra* es puella regina. » Graeci vero appellatione τῆς παγκάλου *pulcherrimae* illam secernunt in Menaeis [a]) in quibus legimus: « Salve quae solis formam praefers, currus solis impervius, quae incomprehensibilem solem emicare fecisti. Salve mens splendescens divinis fulgoribus, quae vere instar auri refulges, *tota pulcra,* perfecte immaculata quaeque lucem occasus insciam fidelibus protulisti. »

293. Cum his vero iungi testimonia debent, quibus Virgo κατ' ἐξοχὴν dicitur et per antonomasiam salutatur ἡ πανύμνητος, ἡ εὐλογημένη, ἡ κεχαριτωμένη, καὶ ἡ θεαρχικωτάτη, *illa celeberrima, benedicta, gratia plena et divinorum operum principium atque caput*. Et ad priorem quidem appellationem ista pertinent [b]) Theophanis: « Luca apostole, modum rationemque explicasti ineffabilis et divinae conceptionis illius, quae est *celeberrima,* innocens. » Ad alteram referuntur quae idem habet, quaeque Iohannes monachus iterat. Ille enim [c]) inquit: « Mortuam mortalium naturam tu *benedicta* erexisti, ut quae Altissimi virtutem, o perfecte illibata, supra naturam pepereris. » Iohannes vero [d]) de ea scribit: « In rubo incombusto et stillante rorem camino praemonstrata es mater illibata sine semine pariens Verbum incarnatum, o innocens *benedicta.* » Hinc in acoluthia officii graeci ad matutinum [e]) legimus: « Sanctiore statu excidi, quia misere otio torpebam. Sed me reduc, *o benedicta* atque omni ex parte innocens, meque tui filii mandatis accommoda. » Sequitur tertia appella-

a) Men. die XXI. Iulii pag. 106. col. 2. B. Χαίροις ἡλιόμορφε, ἡλίου ἄδυτον ὄχημα, ἡ τὸν ἥλιον λάμψασα τὸν ἀπερινόητον· χαῖρε νοῦς ἀστράπτων θείαις φρυκτωρίαις, ἡ ὄντως χρυσαυγίζουσα, ἡ πάγκαλος καὶ πανάμωμος, ἡ τὸ φῶς τὸ ἀνέσπερον τοῖς πιστοῖς ἐξαστράπτουσα.

b) Antholog. die XVIII. Octobris Ode α'. pag. 73. col. 2. D. Τῆς ἀνεκφράστου καὶ θείας συλλήψεως τῆς πανυμνήτου ἁγνῆς τὸν τρόπον διεσάφησας, ἀπόστολε Λουκᾶ.

c) Antholog. die XVI. Novembris Ode δ'. pag. 119. col. 2. A. Τὴν τεθανατωμένην φύσιν βροτῶν ἡ εὐλογημένη ἀνύψωσας, τὴν τοῦ ὑψίστου ὡς κυήσασα ἰσχὺν ὑπερφυῶς, πανάχραντε.

d) Men. die XXVI. Decembris Ode ζ'. pag. 241. col. 2. C. Ἐν τῇ ἀφλέκτῳ βάτῳ, καὶ δροσοβόλῳ καμίνῳ σὺ προγραφεῖσα μήτηρ ἄχραντε, ἀσπόρως ἐκύησας σεσαρκωμένον θεὸν, ἁγνὴ εὐλογημένη.

e) Acoluth. ad matut. pag. LIV. A. apud Bolland. T. II. Iunii. Ἱερᾶς πολιτείας ἐκπέπτωκα ῥαθυμῶν ὁ δείλαιος· ἀλλ' ἐπανάγαγε, εὐλογημένη πάναγνε, προσταγαῖς τοῦ υἱοῦ σου ῥυθμίζουσα.

tio, de qua abunde testantur Iohannes damascenus quaeque in Menaeis atque in Pentecostario recurrunt. Testatur [a]) Iohannes his verbis: « Propterea universa creatura tripudio gestit mihi acclamans: ave tu quae *gratia es plena.* » Et [b]) rursum: « Angeli autem una cum pastoribus celebrant illibatum tuum partum, *o gratia plena.* » Testantur [c]) Menaea in quibus dicitur: « Te pulcrorum caussam beatam celebrantes, una cum Angelo tibi semper acclamamus: ave tu quae *gratia es plena.* In Pentecostario [d]) autem haec habetur fusa ad Virginem precatio: « Sanctissima Dei mater, Christianorum murus tuere populum tuum ad te pro more intense clamantem: repelle turpes superbasque cogitationes, ut tibi dicamus, ave quae *plena es gratia.* » De quarta audiendus est [e]) Iohannes monachus qui de Deipara ait: « Incomprehensibilis est quae divinorum operum [1]) caput est ac principium. » Quo praeconio nihil verius, quum in acoluthia officii ad matutinun [f]) ipsa simpliciter dicatur *ἡ ἀνωτέρα χερουβίμ potior Cherubim:* « Appropinquante legis plenitudine tu quae es *Cherubim potior* peperisti incarnatum ex te Filium Dei unigenitum, quem servis tuis reconcilia. »

294. Reliqua sunt praeconia quae Deiparae per antonomasiam deferuntur, et quibus ipsa absolute simpliciterque nuncupatur *ἡ πάν-*

a) Men. die XXVI. Decembris pag. 232. col. 2. C. *Διὰ τοῦτο συγχορεύει πᾶσα κτίσις βοῶσα μοι· χαῖρε ἡ κεχαριτωμένη.*

b) Ibid. *Ἄγγελοι δὲ μετὰ ποιμένων ὑμνοῦσι τὸν ἄχραντον τόκον σου, ἡ κεχαριτωμένη.*

c) Men. die XIX. Martii Ode γ'. pag. 81. col. 2. C. *Ὡς αἰτίαν σε τῶν καλῶν μακαρίζοντες ἀεὶ σὺν τῷ Ἀγγέλῳ βοῶμεν σοι· χαῖρε ἡ κεχαριτωμένη.*

d) Pentecostar. pag. 163. col. 2. C. *Μῆτερ θεοῦ παναγία, τὸ τεῖχος τῶν χριστιανῶν ῥῦσαι λαόν σου συνήθως κραυγάζοντα σοὶ ἐκτενῶς· ἀντιτάχθητι αἰσχροῖς καὶ ἀλαζόσι λογισμοῖς, ἵνα βοῶμεν σοι· χαῖρε ἡ κεχαριτωμένη.*

e) Pentecostar. pag. 223. col. 2. C. *Ἄληπτός ἐστιν ἡ θεαρχικωτάτη.*

f) Acoluth. ad matut. pag. LIII. A. apud Bollan. T. II. Iunii. *Νόμου τὸ πλήρωμα ἡ ἀνωτέρα Χερουβὶμ τέτοκας τὸν τοῦ θεοῦ ἐκ σοῦ σαρκωθέντα υἱὸν μονογενῆ, ὃν ὑπὲρ τῶν δούλων τῶν σῶν ἐξιλέωσαι.*

1) Ubi, nisi coniectura fallor, Virgo dicitur *θεαρχικωτάτη* significationa non admodum ab ea dissimili, qua Num. XXIV. 20. Amalech vocatur רֵאשִׁית גּוֹיִם *principium gentium*, idest, gens una e nobilissimis; qua hippopotamus Iob. XL. 19. audit רֵאשִׁית דַּרְכֵי־אֵל *principium viarum Dei*, idest, unum ex Dei operibus praestantissimis; qua Prov. VIII. 22. de sapientia scriptum legimus, יְהוָה קָנָנִי רֵאשִׁית דַּרְכּוֹ *κύριος ἔκτισε (ἔκτησε, ἐκτήσατο) με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ*, *Dominus possedit me principium viarum suarum*; et qua Christus ad Coloss. I. 15. nuncupatur *πρωτότοκος πάσης κτίσεως*, *primogenitus omnis creaturae*, idest prae omnibus creaturis excellens et *πρωτεύων* *primatum obtinens.*

σεμνος, ἡ πάνσεπτος, ἡ πολυώνυμος, ἡ μακαρία καὶ ἡ ἀειμακάριστος, *illa undequaque venerabilis, multis praedita nominibus, beata, semperque beata.* Et praeconio quidem τῆς πανσέμνου καὶ τῆς πανσέπτου *illius undequaque venerandae et augustae* honestatur [a]) his verbis: « Quia non habemus fiduciam propter multa delicta nostra; ideo tu, Virgo Deipara, obtestare illum qui est ex te genitus: multum enim apud clementem Dominum potest matris deprecatio. Supplices peccatores ne despicias, *o tu undequaque augusta,* quia qui lubenter pro nobis passus est, idem et misericors est et vult nos salvare. » Itemque his quae [b]) Leontius byzantinus adversus Nestorianos pugnans scribit: « Verum ex necessitate non iam matrem hominiparam, sed matrem dumtaxat Deiparam nominamus et colimus *illam omni ex parte venerabilem.* Quum enim eum qui ex ipsa prodit noverimus hinc quidem secundum naturam humanum, inde vero secundum consortium divinum; idcirco ipsum totum Deum perfectum glorificamus et adoramus. » Sed praeconio τῆς πολυωνύμου illam ornat insignitque [c]) Iohannes damascenus inquiens: « Nunc iam ea laudetur, quae *multiplici* tum *nomine* tum lumine insignis est, et super universam simul creaturam sublimissima. » Praeconio τῆς μακαρίας illam effert [d]) Modestus qui scribit: « *Beata* vero *illa* materno semper capta divinoque desiderio, in eum (Christum) respiciens e sancto egressa est corpore, et beatissimam sanctissimamque suam animam [1]) in eius manus commendavit. » In Anthologio [e]) tandem praeconio τῆς ἀειμακαρίστου salu-

a) Acoluth. officii graeci ad minores horas pag. LXXII. A. penes Bolland. T. II. Iunii. Ὅτι οὐκ ἔχομεν παῤῥησίαν διὰ τὰ πολλὰ ἡμῶν ἁμαρτήματα, σὺ τὸν ἐκ σοῦ γεννηθέντα δυσώπισον, θεοτόκε παρθένε· πολλὰ γὰρ ἰσχύει δέησις μητρὸς πρὸς εὐμένειαν δεσπότου· μὴ παρίδῃς ἁμαρτωλῶν ἱκεσίας ἡ πάνσεμνος· ὅτι ἐλεήμων ἐστὶ καὶ σώζειν βουλόμενος ὁ καὶ παθεῖν ὑπὲρ ἡμῶν καταδεξάμενος.

b) Adver. Nestorianos lib. IV. §. XXXVII. pagg. 575-576. apud Mai Scriptt. Vett. T. IX. Ἐξ ἀνάγκης οὐκέτι καὶ ἀνθρωποτόκον μητέρα, ἀλλὰ θεοτόκον μητέρα μόνον ὀνομάζομέν τε καὶ προσκυνοῦμεν τὴν πάνσεπτον· καὶ γὰρ ἐξ αὐτῆς προελθόντος, τὸ μέν τοι κατ' οὐσίαν, τὸ δὲ κατὰ μετουσίαν θεῖον εἰδότες, ὅλον αὐτὸν θεὸν τέλειον δοξάζομεν καὶ προσκυνοῦμεν.

c) Serm. in annunt. Deiparae pag. 835. C. opp. T. II. Νῦν ἐπαινείσθω ἡ πολυώνυμος ὄντως καὶ πολυόμματος, καὶ πάσης ὁμοῦ τῆς κτίσεως ὑπερτάτη.

d) Encom. in b. Virginem pag. 48. C. Ἡ δὲ μακαρία συνεχομένη ἀεὶ τῷ θεομητρικῷ θείῳ πόθῳ πρὸς αὐτὸν θεασαμένη ἐξῄει τοῦ σώματος ἁγίου, εἰς χεῖρας αὐτοῦ παραθεμένη τὴν παμμακάριστον αὐτῆς καὶ παναγίαν ψυχήν.

e) Antholog. pag. 123. col. 2. A. Δυνάμωσον, δέσποινα, τὸ ἀσθενὲς τῆς καρδίας

1) Ps. XXX. 6.

tatur his verbis: « Robora atque confirma, o regina, infirmitatem cordis mei passionibus circumacti, ut fide te affectuque beatam celebrem, te *illam semper beatam* [1]) omnique ex parte immaculatam. »

295. His autem veterum testimoniis, aliisque bene multis quae addi nullo negotio possent, monemur I. penes maiores nostros obtinuisse, ut Deipara proprio veluti nomine appellaretur ἡ ἁγία, ἡ παναγία, ἡ ἁγνὴ, ἡ πάναγνος, ἡ ὡραῖα, ἡ καλὴ, ἡ πάγκαλος, *illa sancta et undequaque sancta, illa innocens et perfecte innocens, illa venusta, illa pulcra omnique ex parte pulcra;* adeo ut hisce auditis appellationibus, mentem continuo species atque imago Virginis occuparent. Quare II. monemur penes eosdem obtinuisse, ut eodem pacto Deipara diceretur ἡ καλὴ *pulcra*, quo ea dicitur [2]) ἡ παρθένος *Virgo:* et eodem pacto vocaretur ἡ ἁγνὴ *innocens* aut ἡ ὡραῖα *venusta*, quo Unigenitus caro factus [3]) ὁ Χριστὸς *ille Christus*, ὁ προφήτης, *Propheta ille*, ὁ ἅγιος καὶ δίκαιος *iustus ille sanctusque*, et ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς *Pastor ille bonus*, de quo tot tantaque divini vates praenunciarunt. At vero cum hac loquendi ratione maiorum usu comprobata, tria perspicue iunguntur atque cohaerent. Et iunctum inprimis est atque consertum, Deiparam prae *sanctis* omnibus, puris, benedictis atque beatis ita excellere atque eminere, ut ipsa per antonomasiam sit nomineturque ἡ ἁγία, ἡ καθαρὰ, ἡ εὐλογημένη καὶ ἡ μακαρία, *sancta illa, pura, benedicta ac beata*. Iunctum deinde est atque consertum, sanctimoniam, puritatem, innocentiam et gratiam ea plenitudine convenire Deiparae, eaque perfectione illi competere, ut nomen ex hisce mutuetur. Iunctum postremo est atque consertum, nihil posse a Deipara cogitari alienum magis magisque seiunctum, quam quidquid innocentiae, puritati et gratiae adversatur ac repugnat. Si quid enim huiusmodi vel semel unoque temporis ictu Deipara contraxisset, dici quidem

μου, καὶ στήριξον πάθεσι περιτρεπόμενον, ὅπως πίστει σὲ καὶ πόθῳ μακαρίζω τὴν ἀειμακάριστον καὶ παναμώμητον.

1) Sed qui dici Virgo simpliciter potuit ἡ ἀειμακάριστος *illa semper beata*, si quando fuit infelix ac misera? Eiusmodi autem dubio procul fuisset, si originis labem contraxisset. Ab hac igitur immunis fuit, fuit ἡ παναμώμητος *undequaque immaculata*, et fuit ἡ ἀληθῶς δεδοξασμένη *vere glorificata* divinitus, quemadmodum graeca ecclesia in acoluthiis anonymis ad Anthologii calcem pag. 81. col. 2. D. canit: ἵνα σὲ δοξάζω, παρθένε, τὴν ἀληθῶς δεδοξασμένην, πάσης ἀδοξίας με ῥῦσαι καὶ ἁμαρτίας, καὶ δόξης μέτοχον ἐπουρανίου ποίησον τὸν προσφυγόντα τῷ ἐλέει σου. *Ut te glorificem, o Virgo, vere glorificatam, me libera ab omni dedecore et peccato, ac me ad pietatem tuam confugientem caelestis gloriae redde participem.*

2) Matth. I. 23. coll. Is. VII. 14.

3) Matth. XVI. 16, Luc. II. 26, Ioh. I. 21, X. 11, Act. III. 14.

posset sanctificata, purificata et caelesti aucta pulcritudine; sed proprie credi vocarique non posset ἡ ἁγία, ἡ καθαρὰ, ἡ ὡραῖα, *sancta illa, pura, venusta,* multoque minus ἡ ὡραῖα φύσει καὶ ἀειμακάριστος, *illa venusta per naturam semperque beata* et de qua Fulgentius [1]) merito affirmaret: « Ipsa quippe acceptio carnis fuit conceptio virginalis. Neque enim in utero *sanctae illius* et matris et virginis illa spiritalis et ex Deo Patre sine initio genita Verbi Dei natura poterat absque carne temporaliter concipi, sicut nec caro sine Verbi Dei unitione potuit aliquatenus nullius viri coitu seminata in intimo vulvae virginalis innasci. Hanc ergo carnem tunc ex se *natura* Virginis concipientis exhibuit, quum in eam Deus concipiendus advenit. »

ARTICULUS III.

De nominibus substantivis et abstractis Deiparae tributis et ad eius innocentiam efferendam sanctitatemque demonstrandam maiorum suffragio usurpatis.

296. Non grammatice minus quam logice ab invicem distant nomina *sanctum et sanctitas, innocens* et *innocentia, pulcrum* et *pulcritudo.* Priora enim eademque *adiectiva* et *concreta* non unum potius quam alterum expressae qualitatis gradum esse ostendunt atque significant; sed posteriora eaque *substantiva* et *abstracta* ipsam summam plenitudinemque commemoratae perfectionis demonstrant. Horum namque nominum ea vis est atque insita potestas, ut ipsam rei ἰδέαν, speciem, formamque sistant, neque aliis tribui idcirco possint nisi qui rem totam possideant, eiusque plenitudine ditentur. Quare Iohannes de Deo loquens ut propriam eiusdem caritatem patefaceret, non modo [a]) scripsit, *quia caritas ex Deo est,* et ex Deo ceu fonte dimanat, sed continuo [b]) insuper adiecit, *quoniam Deus caritas est*, ipsaque in eo caritatis forma splendet, speciesque subsistit. Et Paulus [c]) gemino loquendi modo de Christo docuit, eum esse non potentem dumtaxat atque sapientem, sed omnino *Dei virtutem*

a) I. Ioh. IV. 7. Ὅτι ἡ ἀγάπη ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐστι.
b) Ibid. v. 8. Ὅτι ὁ Θεὸς ἀγάπη ἐστίν.
c) I. Cor. I. 24. Χριστὸν Θεοῦ δύναμιν καὶ Θεοῦ σοφίαν.

1) De incarnat. et grat. Iesu Christi cap. III.

et Dei sapientiam. Hinc tritum illud vulgatumque: *tu quantus quantus nil nisi sapientia es.*

297. Iamvero non pauca nomina puritatem, innocentiam, sanctitatem, venustatem, caelestemque pulcritudinem exprimentia simili sensu, similique abstracta ipsius formae significatione Deiparae tributa, et ad eam describendam secernendamque in ecclesiasticis monimentis adhibita recurrunt. Et principio recurrit [1]) τῆς ἁγνείας *innocentiae* nomen, quo utitur Andreas melodus [a]) inquiens: « Anna divina insignis mente et sponsae genitrix praeter spem atque ex promissione, ex sinu tuo produxisti florem natura virgineum et divinitus germinantem *innocentiae* pulcritudinem: idcirco te omnes beatam celebramus tamquam radicem vitae nostrae. » Et [b]) rursum: « Tuum innocentissimum *innocentiae* hospitium, o innupta, ego sordidus atque immundus laudare non valeo: propterea Spiritus infusione me purga ut te glorificem. »

298. Ad haec quemadmodum [c]) Paulus de Christo affirmat, *habitare in ipso omnem plenitudinem divinitatis corporaliter;* ita de Virgine verba faciens [d]) Theophanes inquit: « In te, o Virgo, neque labes prorsus est neque naevus, sed potius habitaculum apparuisti caelestium virtutum, *tota sanctitas*, o immaculatissima. » Ephraemo autem [e]) Deipara est *totius sanctitatis et gratiae receptaculum.* Quare [f]) in Menaeis simpliciter appellatur *delubrum totius sanctitatis.*

299. Cum his autem testimonia conspirant, quibus Deipara ἁγίασμα *sanctuarium* dicitur, et quibus ἡ πάσης ἁγιστείας ἀνάπλεως καὶ πάσης καθαρότητος καὶ ἁγιασμοῦ, *plena omni sanctitate et puritate* nuncu-

a) Antholog. die VIII. Septembris Ode θ'. pag. 27. col. 2. B. Ἐβλάστησας νυμφοτόκε Ἄννα θεόφρον ἐκ μήτρας παρ' ἐλπίδα καὶ ἐξ ἐπαγγελίας παρθενόφυτον ἄνθος, θεόβλαστον ἁγνείας κάλλος· διὸ σὲ πάντες μακαρίζομεν ὡς ῥίζαν τῆς ζωῆς ἡμῶν.

b) Antholog. die XXVI. Ianuarii Ode α'. pag. 330. col. 2. B. Ἁγνείας τὸ πάναγνον ὁ ῥυπαρός τε καὶ ἄναγνος ἐγὼ ἐνδιαίτημα μέλπειν οὐ σθένω σου, ἀπειρόγαμε· διό με τῇ χωνείᾳ τοῦ πνεύματος κάθαρον, ἵνα δοξάζω σε.

c) Coloss. II. 9. Ὅτι ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς.

d) Antholog. die XIII. Novembris Ode γ'. pag. 113. col. 1. B. Μῶμος ἐν σοὶ καὶ μολυσμός οὐκ ἔστιν ὅλως, παρθένε, ἐνδιαίτημα δὲ μᾶλλον ἐφάνης οὐρανίων ἀρετῶν, ἡ πᾶσα ἁγιωσύνη, πανάμωμε.

e) Precat. XI. ad b. Virg. pag. 551. B. Τὸ πάσης ἁγιωσύνης καὶ χάριτος δοχεῖον.

f) Men. die VI. Octobris Ode η'. pag. 36. col. 2. B. Πάσης ἁγιωσύνης τέμενος.

1) Phavorinus ex II. Cor. VII. 1. τὴν ἄγνειαν ita declarat, ut ipsa sit ἐλευθερία παντὸς μολυσμοῦ σαρκὸς καὶ πνεύματος, *integritas a quavis labe carnis et spiritus.*

patur. Apposite [a]) Basilius pegoriotes: « Hodie innocentissima Virgo, *sanctuarium* gloriosum sacrumque donarium, dicata in templo Dei Deo soli nostrum omnium regi ad inhabitandum custoditur, quemadmodum ipse novit. » Apposite [b]) Iosephus confessor, ubi Deiparam vocat « *Sanctuarium* intelligibile eius qui omnes sanctificat. » Praeclare [c]) Iohannes damascenus: « Ave *sanctuarium,* divinis lymphis scaturiens fons, *omni plena sanctimonia.* » Praeclare [d]) Georgius nicomediensis: « Oportebat ut pellucidum *illud sanctuarium* a quavis peccati communione liberum servaretur. » Praeclare [e]) Leontius Neapolis Cypri episcopus: « Qui demum, quam obumbravit virtus Altissimi, *omni munditia et sanctitate plena* non sit? » Neque minus praeclare [1]) Ambrosius: « Sed ipse quoque unigenitus Filius tuus venturus in terras suscipere quod amissum est, puriorem carnis suae generationem reperire non potuit, quam ut habitationi propriae *caelestis aulam Virginis* dedicaret, in qua esset et immaculatae castitatis *sacrarium* et Dei templum. »

300. Praeterea si Basilium pegoriotem audimus, Deipara est ἄμωμον ἱερεῖον *immaculatum sacrarium;* de ea namque [f]) scribit: « Virgines ad Virginem, matres ad matrem pie accurrite, ut nobiscum honoretis eam quae genita est [2]) tamquam *immaculatum sacrarium.* » Sin autem Maximo taurinensi, magnoque Leoni fidem adiungimus, Deipara non tam virgo quam *ipsa virginitas* existimanda est. Ille

a) Antholog. die XXI. Novembris Ode ς'. pag. 131. col. 1. C. Ἁγίασμα ἔνδοξον καὶ ἱερὸν ἀνάθημα σήμερον ἡ πάναγνος παρθένος ἀνατεθεῖσα ἐν τῷ ναῷ τοῦ θεοῦ, τῷ παμβασιλεῖ ἡμῶν Θεῷ μόνῳ εἰς ἐνοίκησιν συντηρεῖται, ὡς οἶδεν αὐτός.

b) Men. die XVIII. Decembris Ode γ'. pag. 151. col. 2. B. Ἁγίασμα νοητὸν τοῦ πάντας ἁγιάζοντος.

c) Orat. II. in nativ. Deiparae pag. 852. C. opp. T. II. Χαῖρε ἁγίασμα, ἡ κρήνη ἡ θεόβρυτος, ἡ πάσης ἁγιστείας ἀνάπλεως.

d) Orat. in Deiparae ingress. in Templum pag. 1090. C. apud Combefisium Auctar. T. I. Ἔδει ἀκοινώνητον τῆς ἁμαρτίας τὸ διαυγὲς τηρηθῆναι ἁγίασμα.

e) Orat. in Symeonem pag. 686. apud Combefisium Auctar. T. I. Πῶς δὲ ἡ ἐπισκιασθεῖσα τῇ τοῦ ὑψίστου δυνάμει, οὐ πάσης καθαρότητος καὶ ἁγιασμοῦ ὑπάρχει ἀνάπλεως;

f) Antholog. die XXI. Novembris Ode δ'. pag. 131. col. 1. B. Παρθένοι τῇ παρθένῳ, μητέρες τῇ μητρὶ εὐσεβῶς προσδράμετε τιμῆσαι σὺν ἡμῖν τὴν γεννηθεῖσαν ὡς ἄμωμον ἱερεῖον.

1) De institut. virg. c. XVII. n. 105. col. 272.

2) At vero si genita Virgo fuit ὡς ἄμωμον ἱερεῖον *tamquam immaculatum sacrarium*, nulla profecto labes illius originem vitiavit, nullaque culpa conceptum infecit.

namque [1]) scribit: « Dignum est enim, ut Salvatorem quem *virginitas immaculata* genuit, voluntas incorrupta possideat: et sicut Maria eum illibata gestavit, ita et anima nostra illum impolluta custodiat. » Leo autem [2]) sic habet: « Celebrato proximo die, quo *intemerata virginitas* humani generis edidit Salvatorem, Epiphaniae nobis, dilectissimi, veneranda festivitas dat perseverantiam gaudiorum: ut inter cognatarum solemnitatum vicina sacramenta, exsultationis vigor et fervor fidei non tepescat. »

301. Quam vero ampliter quamque magnifice sumendum sit *virginitatis* nomen ad Deiparam describendam usurpatum, ex his plane intelligimus quibus [a]) Georgius nicomediensis ipsam in Templum ingredientem dicit « Pretiosum vas virtutum, quae et *incorruptae puritatis* symbola gereret corpusque a vitiorum commixtione secretum haberet. » Itemque ex his intelligimus quae in Menaeis [b]) de Virgine ex hac vita migrante continentur: « Quae *propter eximiam puritatem* effecta est receptaculum aeternae essentiae, hodie in manibus Filii sanctissimam animam reposuit. »

302. Hinc neque novum neque mirum accidere debet, quod Virgo uti κάλλος, ὡραιότης, κοσμιότης, ἐγκαλλώπισμα, καὶ σέβασμα, *pulcritudo, venustas, decus, ornamentum et veneratio* laudetur. Laudatur autem uti κάλλος *pulcritudo*, [c]) ab Iohanne damasceno his verbis: « O filia

a) Orat. in Deiparae ingress. in Templum pag. 1094. D-E. apud Combefisium Auctar. T. I. Σκεῦος τίμιον ἀρετῶν, σύμβολά τε τῆς ἀκηράτου καθαρότητος φέρουσαν, καὶ τὸ σῶμα ἀνῳκισμένον τῆς τῶν παθῶν ἐπιμιξίας ἔχουσαν.

b) Men. die XIV. Augusti pag. 74. col. 1. B. Ἡ δι' ὑπερβάλλουσαν καθαρότητα τῆς ἀϊδίου οὐσίας δοχεῖον γεγενημένη, ἐν ταῖς τοῦ υἱοῦ χερσὶ σήμερον τὴν παναγίαν παρατίθεται ψυχήν.

c) Orat. in nativit. Deiparae pag. 846. A-B. opp. T. II. Ὦ θυγάτριον ἀξιόθεον, τὸ κάλλος τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, τῆς προμήτορος Εὔας ἐπανόρθωσις· διὰ γὰρ τῆς σῆς τεκνογονίας ἡ πεσοῦσα ἀνώρθωται.

1) Hom. hiemal. XXI. de Epiphan. Dom. V. col. 61. A-C.

2) De Epiphan. Serm I. Haec ipsa loquendi forma usurpatur in sacrament. gregor. pagg. 146, 345. apud Muratorium Liturg. rom. T. II., usurpatur Serm. CXXIV. in nat. Domini VIII. n. 1. penes Augustinum in app. T. V., usurpatur Serm. CXCVIII. de communi virginum n. 2. pag. 460. apud Mai in Nov. pp. biblioth. T. I. « O sancta et immaculata virginitas, quae a Christo eligi meruisti, ut esses corporale Dei templum in quo corporaliter habitavit plenitudo deitatis! O virginitas, quae mundi salutem genuisti, quae universorum Deum et hominem rapuisti! » Usurpatur a Paschasio Ratberto in apere de partu Virginis pag. 13. apud Lucam Acherium Spicileg. T. XII., usurpatur ab Odilone abbate cluniacensi in Serm. de nativ. Virginis pag. 621. apud Martenium in Thesauro anecdot. T. V. et usurpatur in Euchologio pag. 794., et in Liturg. rom. apud Mone Latein. und Griech. Messen. pag. 120. dicitur: *in qua* (nocte) incontaminata virginitas *huic mundo edidit Salvatorem Iesum Christum.*

Deo digna, humanae naturae *pulcritudo,* primigeniae parentis Evae emendatio! tuo namque partu quae ceciderat, erecta est. » Laudatur ut *Iacobi pulcritudo* a Iosepho [a]) qui scribit: « Te, o virgo puella, *Iacobi pulcritudinem* dilexit Deus, qui per te omnes primum [1]) transgressione deformatos ad pulcritudinem revocat. » Et [b]) rursum: « Ave *Iacobi pulcritudo* quam Deus elegit, quam amavit: eorum qui servantur porta, forceps flammifera, maledicti [2]) solutio, o penitus benedicta. » Laudatur [c]) uti *apostolorum pulcritudo* hac prece ad ipsam fusa: « O *apostolorum pulcritudo* Deoque gratissima, me vitae corruptum voluptatibus illumina poenitentiae fulgoribus, ut te glorificem. » Laudatur uti κάλλος καὶ ὡραιότης a Georgio nicomediensi, qui Zachariam de Mariae nuptiis egressuque e Templo anxium sollicitumque ita secum loquentem [d]) inducit: « Quis vero etiam hominum eam sit suscepturus? Quis habeat satis, ut in sua eam tabernacula inducat? Quod satis capax domicilium ad eam recipiendam, cuius non facile admirationem vincens Templum hoc moras tegit, cuius reveretur *summam munditiem,* cuius magnalia miratur, cuius nova et insolita summopere stupet? Quaenam manus ei ministraverint, cui angeli ministrarunt, cui incorporei illi corrogarunt annonam? Quis eius tantam *pulcritudinem* obtueri valebit, quae Dei ipsius oculum delectat, cuius puritate laetatur, cuius sibi *venustate*

a) Paraclit. pag. 184. col. 2. A-B. Τὴν καλλονὴν ἠγάπησε Θεός σε Ἰακὼβ, παρθένε κόρη, ἐπικαλλωπίζων πάντας διὰ σοῦ ἀμαυρωθέντας παραβάσει τὸ πρότερον.

b) Paraclit. pag. 217. col. 1. B-C. Χαίροις ἡ καλλονὴ Ἰακὼβ, ἣν ἐξελέξατο Θεὸς, ἣν ἠγάπησεν· ἡ θύρα τῶν σωζομένων, ἡ φλογοφόρος λαβὶς, τῆς ἀρᾶς ἡ λύσις, παντευλόγητε.

c) Paraclit. pag. 254. col. 2. E. Τῶν ἀποστόλων καλλονὴ, Θεοχαρίτωτε, ὑπάρχουσα, ἀμαυρούμενον ἡδοναῖς με τοῦ βίου μετανοίας λάμπρυνον αὐγαῖς, ὅπως μακαρίζω σε.

d) Orat. in Deiparae ingress. in Templum p. 1131. B-D. apud Combefisium Auctar. T. I. Τίς δὲ καὶ ὑποδεξόμενος ταύτην ἀνθρώπων· τίς ἱκανὸς ἔνδον ταύτην τῶν οἰκείων εἰσάξαι σκηνωμάτων· ποῖον οἰκητήριον ταύτην ἀστενοχωρήτως εἰσδέξοιτο, ἧς ὁ ὑπερθαύμαστος οὗτος ναὸς οὐ ῥᾳδίως τὴν διατριβὴν ὑποστέγει· ἧς τὸ καθαρώτατον σεβάζεται· ἧς τὰ μεγαλεῖα θαυμάζει· ἧς ὑπερεκπλήττεται τὰ παράδοξα; ποῖαι χεῖρες ταύτῃ καθυπουργήσαιεν, ᾗ ἐλειτούργησαν ἄγγελοι· ἣν διῄτησαν ἀσώματοι· τίς τοσαύτης (al. ταύτης) ἐνοπτρίσασθαι κάλλος ἐξισχύσειεν, ἧ τὸ τοῦ θεοῦ ἐπιτέρπεται ὄμμα· ἧς τῇ καθαρότητι ἐπαγάλλεται· ἧς τῇ ὡραιότητι ὡραΐζεται· τίνες ἁπάντων τούτων εὑρεθεῖεν ἐπάξιοι, ὅπως ἂν μὴ τῷ ἀναξίῳ καθυβρισθείη ἡ τοῦ Θεοῦ παρακαταθήκη.

1) Numquam igitur transgressiona deformata fuit Virgo, et numquam ad amissam pulcritudinem revocari debuit.

2) Dicitur Virgo *maledicti solutio*, quod illius vinculo numquam fuerit obligata, et quod verissime sit credaturque παντευλόγητος *undequaque benedicta.*

placet? Quinam his omnibus digni accurrant, ut ne Dei depositum indigna exceptione iniuria afficiatur? »

303. Laudatur uti ὡραιότης *venustas* a Iacobo monacho, qui Annae sibi de filia gratulanti haec verba [a]) tribuit: « Purissimo Regis desiderio devincta est. Ad eius cupiditatem sua ipsius puritatis decora comparavit. Haec Rex concupiscit. Delectatur innocentiae *venustate:* illibatae namque puritatis et veuustatis amator est. Unam quippe illam universis impensius amat, tamquam illius apice et summa ornatam. » A quo pariter uti κοσμιότης καὶ ἐγκαλλώπισμα *decus et ornamentum* laudatur, ubi [b]) iustis in lymbo detentis et natae Deiparae consciis haec verba praebet: « Hanc praeconiis exornavimus, *decus* generis et naturae *ornamentum.* » Dum vero pro omnibus benefactis Deo gratias agit, inter cetera [c]) scribit: « Cumprimis vero huius ratione mysterii (natae Virginis), quodque tale nobis *ornamentum,* intemeratissimam matrem tuam donaveris. »

304. Quoniam autem *veneratio* dignitati ac sanctimoniae gradu atque proportione respondet, exspectandum omnino erat, ut Deipara non *venerabilis* solum sed ipsum prope σέβασμα diceretur. Quo nobilissimo sane titulo eam honestavit [d]) Germanus constantinopolitanus exclamans: « Ave gratia plena, animae gaudium, mundique universi [1]) *universalis veneratio,* et peccatorum omnium mediatrix vere bona. » Hinc non alia verba, quibus absolvam, commodiora iis succurrunt quae habet [e]) Iohannes damascenus ubi Mariam compellans prae stupore ait: « Ave gratia plena, *res et nomen gaudio omni gra-*

a) Orat. in nativit. Deiparae pag. 1270. E. apud Combefisium Auctar. T. I. Τῷ τοῦ βασιλέως καθαρωτάτῳ συνδέδεται πόθῳ· πρὸς τὴν αὐτοῦ ἐπιθυμίαν τὰ οἰκεῖα τῆς καθαρότητος ηὐτρέπισε κάλλη· ἐπιποθεῖ ταῦτα ὁ βασιλεύς· ἐπιτέρπεται ταῖς τῆς ἁγνείας ὡραιότησιν· ἐραστὴς γὰρ τῆς ἀθιγοῦς καθέστηκεν καθαρότητος καὶ ὡραιότητος· καὶ γὰρ ταύτης μᾶλλον ἐρᾶ μόνης, ὡς τῷ ἀκροτάτῳ ἐκείνης κεκοσμημένης.

b) Ibid. pag. 1262. A. Ταύτην ἐγκωμίοις κατεποικίλαμεν, τὴν κοσμιότητα τοῦ γένους, τὸ ἐγκαλλώπισμα τῆς φύσεως.

c) Ibid. pag. 1283. A-B. Ὑπὲρ δὲ τούτου μᾶλλον τοῦ μυστηρίου, καὶ ἀνθ' ὧν τοιοῦτον ἡμῖν ἐγκαλλώπισμα, τὴν σὴν πανάχραντον δεδώρησαι μητέρα.

d) Orat. in annuntiat. Deiparae pag. 1423. C. apud Combefisium Auctar. T. I. Χαῖρε κεχαριτωμένη, ψυχῆς ἀγαλλίαμα, καὶ ὅλου τοῦ κόσμου παγκόσμιον σέβασμα, καὶ ἁμαρτωλῶν ἁπάντων ἡ ὄντως ἀγαθὴ μεσιτεία.

e) Orat. II. in nat. Deiparae pag. 857. B. opp. T. II. Χαῖρε κεχαριτωμένη, τὸ πάσης χαρᾶς χαριέστερον καὶ πρᾶγμα καὶ ὄνομα.

1) Ubi Combefisius verba παγκόσμιον σέβασμα reddit *summe decoram venerationem.*

tiosius. » Et vere *nomen gaudio omni gratiosius*, quando de ipsa cum Iohanne geometra [a]) merito exclametur: « Salve, o puella, naturae decus, creatoris imago quae artem totam optimi artificis complectitur. »

CAPUT VII.

Commemorantur epitheta tum negantia quaeque excessum immunitatis a culpa, tum affirmantia quaeque ὑπερβολὴν sanctitatis demonstrant, maiorumque usu referri ad Deiparam consueverunt.

3o5. Quod de potestate particulae ὑπὲρ extra compositionem novimus, ut illa idem saepissime valeat ac *supra:* unde dicimus ὑπὲρ λόγον *supra vim diccndi omnem*, τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς *quae vires nostras superant*, ὑπὲρ τοὺς ἰδιώτας *supra vulgi captum*, ὑπὲρ τὸν Πρωτέα *ultra Proteum* et magis quam Proteus, et Paulus [1]) tributum Christo nomen vocat ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα *nomen super omne nomen*, quodque aliud quodvis nomen [2]) excedit; idipsum de ea in compositione non minus compertum est atque exploratum. Quare ὑπεραγαπᾷν est *ultra modum amare*, ὑπερφοβεῖσθαι *ultra modum timere*, ὑπερφέρειν πολλῷ τινος *supra aliquem multum excellere*, ὑπερακριβὴς *qui* est *immodice sollicitus*, ὑπέραισχρος *qui* est *immodice turpis*, et ὑπερνέφελος *qui* est *ultra nubes* illasque excedit, unde alexandrinus Cyrillus [b]) de babylonicae turris exstructoribus scripsit: « Turrim *nubibus excelsiorcm* aedificare studebant. » Et [c]) mox: « Qui turrim illam *nubibus excelsiorem* erigere cogitabant. »

3o6. Tum vero eiusmodi epithetis utimur, quum subiectum cui tribuuntur eius est conditionis, ut vel a qualitate nomine expressa, ultra quam dici cogitarique possit, abhorreat, vel illam contra, perfectius quam dici cogitarique possit, in seipso possideat ac praesefe-

a) Hymn. III. in Deiparam vv. 11-12. pag. 440. in biblioth. graeco-lat. T. III.
Χαῖρε, κόρη, φύσεως αὔχημα, ἄγαλμα πλάστου
Δεξάμενον τέχνην πᾶσαν ἀριστοτέχνου.
b) Cont. Iulian. lib. IV. pag. 136. Πύργον ἑαυτοῖς ὑπερνέφελον ἐγείρειν ἐσπούδαζον.
c) Ibid. pag. 157. Οἱ τὸν ὑπερνέφελον πύργον ἀναστῆσαι προτεθυμημένοι.

1) Ephes. II. 9. 2) Hebr. I. 4-5.

rat. Hoc sensu augustam Trinitatem [a]) nuncupatam legimus « Trinitatem superessentialem, superdivinam et superbonam; » priore autem [b]) de christianis mysteriis scriptum reperimus: « Mysticorum oraculorum plusquam indemonstrabile et plusquam et lucens summum fastigium. » Porro neutrum epithetorum genus sive negantium sive affirmantium apud maiores nostros de Deipara disserentes rarum est, immo utrumque in ecclesiasticis monimentis frequenter occurrit. Quod dum ego idoneis exemplis ostendo, illud praeterea innotescet quod numquam satis repeti inculcarique potest. Et *principio* quidem innotescet, nihil sublime, nihil elatum atque magnificum mentem subire, quod maiores nostri Deiparae deferendum non existimarint. Innotescet *deinde* epitheta ab iis Deiparae adscripta, sive eiusmodi sint quae culpam labesque excludant, sive eiusmodi quae sanctimoniam puritatemque affirment, contra eorumdem mentem sententiamque accipi, nisi quo fieri plenius perfectiusque potest intelligantur. Innotescet *postremo* tantum abesse ut quae hucusque deprompsimus sive *superlativa,* sive *cumulata,* sive *abstracta,* videri debeant aut dicta audentius aut laxius exaggerata, ut contra non minimum distent ab ea exprimenda Virginis specie quam patres animo praeceperant.

ARTICULUS I.

De appositis negantibus quae Deiparam a quovis culpae naevo integram solutamque per excessum declarant.

307. Loquitur Andreas cretensis de faustissimo natae Deiparae die, et laetandi gestiendique caussas recensens, inter cetera [c]) scribit: « Omnia igitur exsultent hodie, gestiatque natura, quoniam misertus est Dominus populi sui, erigens nobis cornu salutis in domo David pueri sui, hanc nimirum Virginem *labe superiorem* virique

a) Apud vulgatum Dionysium in ipso exordio operis de mystica Theologia. Τριάδα ὑπερούσιον, καὶ ὑπέρθεον, καὶ ὑπεράγαθον.

b) Apud eumdem ibidem: Ἡ τῶν μυστικῶν λογίων ὑπεράγνωστος, καὶ ὑπερφαὴς καὶ ἀκροτάτη κορυφή.

c) Orat. in nativit. Deiparae pag. 94. D-E. apud Gallandium T. XIII. Οὐκοῦν ἀγαλλιάσθω τὰ σύμπαντα σήμερον, καὶ ἡ φύσις σκιρτάτω· ὅτι ἠλέησε Κύριος τὸν λαὸν αὐτοῦ,

nesciam, ex qua [1]) Christus, gentium salus et exspectatio. » Credi igitur Deipara debet ὑπεράμωμος, non immaculata dumtaxat sed culpa quavis omnique naevo excelsior atque sublimior. Quod Andreas repetit ubi oeconomiam Incarnationis expendens [a]) subdit: « Quum enim, ut dixi, generis Redemtor novam priori nativitatem et fictionem succedaneam voluisset exhibere; quemadmodum illic luto accepto ex illibata virginea terra primum formavit Adamum: sic et heic modo suam ipse incarnationem operatus, pro alia terra, ut ita dicam, mundam hanc *omnique labe superiorem* Virginem ex universa natura eligens, novo modo quod est nostrum ex nobis in ea fingens, novus Adam Adami fictor evasit, ut recens ille et antiquior seculis veteri salutem afferret. »

308. De quo testimonio, ut nunc cetera tacitus praeteream, illud unum observabo quod sua se sponte offert: Deiparam non solum dici καθαράν *puram*, verum etiam ὑπεράμωμον *supra labem omnem evectam*, et quidem sensu illi simillimo quo relatis [2]) Christi verbis, *solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud*, Andreas [b]) subdit: « Neque enim nisi volente ipso et veluti Hebraeis mandante, illud solvere potuissent: templum inquam corporis eius *culpa omni potioris*, quod ex alvo incorruptae huiusce mundaeque nulloque non tempore virginis absque manuum labore ipse sibimet aedificavit. » Ceterum ad hunc ipsum titulum τῆς ὑπεραμώμου *super-immaculatae* adscriptum Deiparae alia similiter pertinent quae [3])

ἐγείρας κέρας σωτηρίας ἡμῖν ἐν οἴκῳ Δαβὶδ τοῦ παιδὸς αὐτοῦ, τὴν ὑπεράμωμον ταύτην παρθένον καὶ ἄνανδρον, ἐξ ἧς ὁ Χριστὸς, ἡ σωτηρία τῶν ἐθνῶν, καὶ ἡ προσδοκία.

a) Ibid. pag. 96. B-C. Βουληθεὶς, ἔφην, τοῦ γένους ὁ λυτρωτὴς, νέαν ἀντεπιδείξασθαι τῆς προτέρας γέννησιν καὶ ἀνάπλασιν· ὥσπερ ἐκεῖ πρότερον ἐκ παρθενικῆς ἀνεπάφου γῆς, πηλὸν ἀνελόμενος, τὸν πρῶτον Ἀδὰμ ἐπλαστούργησεν, οὕτω καὶ νῦν ἐνταῦθα τὴν οἰκεῖαν σάρκωσιν αὐτουργῶν, ἀντ' ἄλλης, ὡς ἂν εἴποιμεν, γῆς τὴν καθαράν τε καὶ ὑπεράμωμον ταύτην παρθένον τῆς ὅλης φύσεως ἐκλεξάμενος, τὸ καθ' ἡμᾶς ἐξ ἡμῶν ἐν αὐτῇ καινοποιήσας, νέος Ἀδὰμ ὁ πλαστουργὸς τοῦ Ἀδὰμ ἐχρημάτισεν, ἵνα τὸν παλαιὸν ὁ πρόσφατος καὶ ὑπέρχρονος ἀνασώσηται.

b) Orat. in natal. Deiparae pag. 180. C. Οὐ γὰρ ἂν αὐτοῦ μὴ βουλομένου, καὶ οἷον ἐπικελεύοντος Ἑβραίοις, τοῦτον λύειν ἠδύναντο· ναὸν λέγων τὸν τῆς ὑπεραμώμου σαρκὸς αὐτοῦ, ὃν ἐκ μήτρας αὐτὸς ἑαυτῷ τῆς ἀμιάντου ταύτης καὶ καθαρᾶς ἀειπαρθένου ἀχειροτεύκτως περιῳκοδόμησεν.

1) In versione apud Gallandium omittitur *Christus*, et propria appositi ὑπεραμώμου vis negligitur.

2) Ioh. II. 19.

3) Paraclit. pag. 274. col. 2. D. Matthaeus Cantacuzenus in cant. cantic. pag. 30. de propheta scribit: κατανοήσας δ' αὐτὴν τῆς παγκοσμίου σωτηρίας

in Paracletice non minus quam in Menaeis continentur. In his enim [a]) legitur: « Ave innocens, res nova auditu: ave sanctum paradisi lignum divinitus plantatum: ave malignorum daemonum expultrix: ave gladius anceps inimici caput mirabili tuo partu resecans: o sanctissima et *macula superior* [1]) nos abalienatos revoca. » Quare Iohannes damascenus [b]) Virginem salutans inquit: « Te praefiguravit transitus ille antiqui Israelis per mare, sicut enim ille sicco pede humidam abyssum pertransiit; ita et tu, *o labe superior*, sine semine genuisti. »

309. Sed in iisdem Menaeis aliud illudque geminum recurrit appositum, quo Deipara *ὑπεράχραντος super-illibata* et omnino praestantior quam ut violari potuerit, semel iterumque nuncupatur. Atque huc certe ista [c]) faciunt: « Non currus igniformis te, sicuti iustum Eliam, ex hac terra transtulit; sed ipsemet iustitiae sol sanctissimam tuam animam, tamquam *labe superiorem*, in propriis suscipiens manibus in semetipso conquiescere fecit, teque ineffabiliter, o intemerata, honoravit transferens in gaudium cogitatione maius. » Huc [d])

a) Men. die V. Martii ad vesp. pag. 17. col. 2. C. Χαῖρε ξένον ἄκουσμα ἁγνή· χαῖρε ξύλον ἅγιον τοῦ παραδείσου θεόφυτον· χαῖρε ἐξάλειψις πονηρῶν δαιμόνων· χαῖρε ξίφος δίστομον, ἐχθροῦ τὴν κεφαλὴν ἀποτέμνουσα τῷ ξένῳ τόκῳ σου· παναγία ὑπεράμωμε, ξενωθέντας ἡμᾶς ἀνακαλέσαι.

b) Can. in s. Basilium Ode α'. pag. 714. apud Mai Spicileg. T. IX. Σὲ προεζωγράφει ἡ ἐν τῇ θαλάσσῃ ἐκείνη διάβασις τοῦ παλαιοῦ Ἰσραήλ· καὶ γὰρ ἐκεῖνος ἀβρόχως τὸν ὑγρὸν βυθὸν ἐπέζευσεν, ὡς αὐτὴ γεγέννηκας ἀσπόρως, ὑπεράμωμε.

c) Men. die XVIII. Augusti ad vesperas pag. 102. col. 2. C. Οὐχ ἅρμα πυρίμορφον τῶν ἀπὸ τῆς γῆς σε μετέστησεν, ὡς Ἠλίαν τὸν δίκαιον· ἀλλ' αὐτὸς ὁ ἥλιος τῆς δικαιοσύνης ἐν χερσὶ οἰκείαις τὴν παναγίαν σου ψυχὴν, ὡς ὑπεράχραντον προσλαβόμενος, ἐν ἑαυτῷ κατέπαυσε, καὶ παραδόξως σε, ἄχραντε, μεταστήσας ἐτίμησεν ἐν χαρᾷ ὑπὲρ ἔννοιαν.

d) Antholog. die IX. Septembris ad vesperas pag. 29. col. 1. D. Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννα μεταστάντες πρὸς οὐρανίους σκηνὰς σὺν τῇ αὐτῶν θυγατρὶ, ὑπεραχράντῳ παρθένῳ, μετ' ἀγγέλων χορεύουσιν, ὑπὲρ τοῦ κόσμου πρεσβείας ποιούμενοι· οἷς καὶ ἡμεῖς συνελθόντες εὐ-

ὑπεράμωμον θεοτόκον, ὡς αἰτίαν γεγενημένην, πρὸς αὐτὴν διαπρυσίως ἐβόησεν· ὅλη καλὴ ἡ πλησίον μου, καὶ μῶμος οὐκ ἔστιν ἐν σοί. *Considerans autem ipsam Deiparam superimmaculatam universalis salutis caussam exstitisse, ad eam divino succensus spiritu exclamavit dicens:* tota pulcra es proxima mea, et macula non est in te. Et pag. 49. enarrans verba, εἰς κῆπον καρύας κατέβην, in *hortum nucis descendi*, ait: κῆπον καρύας τὴν ὑπεράμωμον αὐτοῦ μητέρα κἂν τούτοις εἴρηκεν. Hortum nucis, *his etiam ipsius matrem omni labe superiorem expressit.* Porro Hippolytus thebanus in comm. chronico de Christi prosapia p. 27. apud Henricum Canisium lectt. antiq. T. III. P. I. memorat ἀνάληψιν τῆς δεσποίνης ἡμῶν ὑπεραμώμου, *assumptionem Dominae nostrae perquam immaculatae.*

1) Numquam igitur Virgo fuit a Deo aliena, revocari numquam debuit, et idcirco παναγία καὶ ὑπεράμωμος salutatur.

ista quae subdimus: « Ioachim et Anna ad caelestia evecti tabernacula una cum ipsorum filia, virgine *supra modum illibata*, choros cum angelis agunt et pro mundo deprecantur. Ad eos et nos pie accedamus, et canentes dicamus: o vos qui per Dei filiam et innocentissimam Mariam maiores Christi fuistis, pro animabus nostris intercedite. » Hinc solemni usu [a]) recepta precatio: « O Maria currus immaculatus et mentem omnem puritate superans, me multis afflictum expugnatumque peccatis ad uberem poenitentiam dirige tua omni ex parte validissima tutela; potes enim utpote eius mater qui omnia potest. »

ARTICULUS II.

De appositis affirmantibus quibus Deiparae innocentia summa et sanctitas omnino maxima non citra excessus significationem tribuuntur.

310. Orationes omnino plures in Deiparae laudem a maioribus habitae hanc vel huic similem [b]) inscriptionem praeseferunt: « Oratio in nativitatem *super-sanctae* dominae nostrae Deiparae: Encomium in nativitatem *super-sanctae* Deiparae: Encomium in *super-sanctae* Deiparae dominae nostrae annunciationem: Encomium in dormitionem *super-sanctae* Deiparae dominae nostrae: Encomium in natalem diem *super-sanctae* Dominae nostrae Deiparae: Oratio in *super-sanctam* Deiparam Mariam: et Oratio in conceptionem san-

σεβῶς ὑμνοῦντες λέγομεν· οἱ διὰ τῆς θεόπαιδος καὶ πανάγνου Μαρίας προπάτορες Χριστοῦ χρηματίσαντες, πρεσβεύσατε ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ἡμῶν.

a) Paraclit. pag. 16. col. 1. D. Μαρία τὸ ἄμωμον καὶ νοῦν πάντα ὑπερκείμενον τὸ καθαρότητος ὄχημα, περικρατούμενον πολλαῖς ἁμαρτίαις καὶ στενοχωρούμενον πρὸς πλάτος μετανοίας με ἴθυνον πανσθενετάτῃ σου προστασίᾳ· καὶ γὰρ δύνασαι οἷα μήτηρ τοῦ πάντα ἰσχύοντος.

b) Andreas cretensis, Ἐγκώμιον εἰς τὸ γενέθλιον τῆς ὑπεραγίας θεοτόκου. Εἰς τὸν εὐαγγελισμὸν τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου. Εἰς τὴν κοίμησιν τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου. Εἰς τὸ γενέσιον τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου. Apud Gallandium T. XIII. pagg. 93, 98, 147, 175.

Basilius seleuciensis, Λόγος εἰς τὴν ὑπεραγίαν θεοτόκον Μαρίαν. Apud Combefisium Auctar. T. I. pag. 569.

Georgius nicomediensis, Ἐγκώμιον εἰς τὴν σύλληψιν τῆς ἁγίας Ἄννης τῆς μητρὸς τῆς ὑπεραγίας θεοτόκου. Apud Combefisium Auctar. T. I. pag. 1118. itemque pagg. 1070-1091.

Nicetas paphlagonus, Λόγος εἰς τὸ γενέσιον τῆς ὑπεραγίας θεοτόκου. Apud Combefisium Auctar. T. III. pag. 437.

ctae Annae matris *super-sanctae* Deiparae. » Cum his autem componi debent simillimae inscriptiones [a]) quae in vetustis codicibus continentur: « Narratio et historia, quomodo genita sit *super-sancta* Deipara in nostram salutem. Historia Iacobi fratris Domini de nativitate *super-sanctae* [1]) Deiparae. Historia Iacobi apostoli de nativitate *super-sanctae* dominae nostrae Deiparae. Sancti Iacobi fratris Domini sermo historicus de nativitate *super-sanctae* Deiparae. Sermo sancti, gloriosi et celeberrimi apostoli Iacobi fratris Domini, quem scripsit de orbitate Ioachim et sterilitate Annae, de utriusque lamentationibus et precibus, et de conceptione *super-sanctae* Deiparae eiusque nativitate. » Inter ceteras ergo Deiparae appellationes ea etiam connumerari debet, qua ὑπεραγία *super-sancta*, et sanctitate insignis prae creaturis reliquis excellentiore nuncupatur.

311. Quem titulum illi praeterea deferunt liturgica monimenta, sicuti ex iis compertum est quae [2]) in Chrysostomi missa, quaeque [3]) in officio sancti olei, in [4]) officio pro novitio monasticum habitum suscipiente, in [5]) officio parvi habitus, et [6]) in officio communis supplicationis frequentantur. In hisce namque monimentis aut Deipara simpliciter ὑπεραγία audit, aut [b]) ea sic invocatur « *super-sancta* Deipara salva nos » aut [c]) eius nomine ita Deus exoratur: « Sana quoque servum tuum hunc a detinente illum corporis et animae infirmitate, et vivifica illum per Christi tui gratiam, inter-

a) Ex codd. scriptis saec. X, XI, XII, XIII, XIV. apud Carolum Thilo in Proleg. ad cod. apocryph. novi Testamenti pagg. LIII. LV. Διήγησις καὶ ἱστορία, πῶς ἐγεννήθη ἡ ὑπεραγία θεοτόκος εἰς ἡμῶν σωτηρίαν. Ἱστορία Ἰακώβου ἀδελφοθέου εἰς τὴν γέννησιν τῆς ὑπεραγίας θεοτόκου. Ἱστορία Ἰακώβου τοῦ ἀποστόλου εἰς τὸ γενέθλιον τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου. Τοῦ ἁγίου Ἰακώβου τοῦ ἀδελφοθέου λόγος ἱστορικὸς εἰς τὸ γενέσιον τῆς ὑπεραγίας θεοτόκου. Λόγος τοῦ ἁγίου, ἐνδόξου καὶ πανευφήμου ἀποστόλου Ἰακώβου τοῦ ἀδελφοθέου· ὅτι εἶπε περὶ τῆς ἀτεκνίας Ἰωακεὶμ καὶ τῆς στειρώσεως Ἄννης, καὶ περὶ θρηνήσεως καὶ προσευχῆς αὐτῶν, καὶ περὶ τῆς συλλήψεως τῆς ὑπεραγίας θεοτόκου, καὶ περὶ τῆς γεννήσεως αὐτῆς.

b) Ὑπεραγία θεοτόκε σῶσον ἡμᾶς.

c) Ibid. Ἴασαι τὸν δοῦλόν σου τόνδε, ἐκ τῆς περιεχούσης αὐτὸν σωματικῆς καὶ ψυχικῆς ἀσθενείας, καὶ ζωοποίησον αὐτὸν διὰ τῆς χάριτος τοῦ Χριστοῦ σου πρεσβείαις τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου, ἀειπαρθένου Μαρίας.

1) Cf. simillimum exemplum in syllog. inscriptt. ch. P. I. cap. II. pag. 160. D. apud Mai Scriptt. vett. T. V.

2) Inter opp. Chrysostomi T. II. coll. 780, 782, 789, 803.

3) Apud Goarium in Euchology. pag. 417. C.

4) Ibid. pag. 469. A-B.

5) Ibid. pag. 477. C. et pag. 727. D. in off. pro infirmis.

6) Ibid. pagg. 856. D. 859, A. C.

cessionibus *super-sanctae* dominae nostrae Deiparae et semper virginis Mariae. »

312. Liturgicis monimentis patrocinantur libri ecclesiastici, eaque inprimis patrocinantur quae continentur [a]) in Anthologio, ubi sub rubrica τοῦ συναξαρίου dicitur: « Octava eiusdem mensis (Septembris) nativitas *super-sanctae* [1]) dominae nostrae Dei genitricis semperque virginis Mariae. » Patrocinantur deinde quae in Menaeis repetuntur, sive quum in illis [b]) canitur: « Te, o sola innocens, hymnis extollimus *super-sanctam* Deiparam, celsiorem supernis ordinibus et omni creatura. » Sive quum [c]) ex Iosepho hymnographo ista recitantur: *super-sancta* quae super-sanctum Verbum peperisti, sanctifica animas et corpora omnium nostrum, qui te labis perfecte insciam beatam celebramus. » Sive quum [d]) eodem praeeunte dicitur: « Virgo *super-sancta,* divinum athletarum decus quae Christum peperisti, hunc pulcritudine venustum deprecare ut animam nostram pulcram reddat. » Neque praeteriri Zonaras [2]) debet, qui Deiparam non semel ὑπεραγίαν *super-sanctam* compellat.

313. Succedunt patres, e quorum nobilissimo coetu Petrus siculus [e]) ait: « Age nunc de *super-sancta* penitus immaculata Domina nostra, vere proprieque Deipara semperque virgine Maria quae-

a) Antholog. pag. 25. col. 2. C. Τῇ ὀγδόῃ τοῦ αὐτοῦ μηνὸς τὸ γενέσιον τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας.

b) Men. die V. Augusti Ode θ'. pag. 34. col. 2. A. Σὲ τὴν ὑπεραγίαν Θεοτόκον, τὴν ἀνωτέραν τῶν ἄνω τάξεων, μόνη ἁγνὴ, καὶ πάσης κτίσεως, ὕμνοις μεγαλύνομεν.

c) Men. die XIII. Ianuarii Ode γ'. pag. 122. col. 1. B. Ὑπεραγία ὑπεράγιον λόγον κυήσασα, καθαγίασον ἡμῶν καὶ τὰς ψυχὰς καὶ τὰ σώματα, τῶν μακαριζόντων σὲ τὴν παναμώμητον.

d) Men. die VI. Martii Ode α'. pag. 22. col. 2. D. Ὑπεραγία παρθένε, τῶν ἀθλητῶν θεῖον ἐγκαλλώπισμα, ἡ κυήσασα Χριστὸν τὸν ὡραῖον κάλλεσιν αὐτὸν καλλιῶσαι τὴν ἐμὴν ψυχὴν ἱκέτευε.

e) Con. Manich. Serm. II. n. 1. pag. 66. apud Mai in Nov. PP. Biblioth. T. IV. Par. II. Φέρε τῶν περὶ τῆς ὑπεραγίας παναμώμου δεσποίνης ἡμῶν, κυρίως καὶ ἀληθῶς Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, παρ' ἡμῖν μὲν ἀναμφιβόλων, παρ' αὐτοῖς δὲ ἀμφιβαλλομένων ζητημάτων ἀπαρξώμεθα.

1) Et in Paraclit. pag. 308. col 2. D. coniunctim celebratur veluti ὑπεραγία καὶ παναμώμος *super-sancta et labis funditus expers.* Ceterum constat, quod etiam Goarius in Eucholog. pag. 904. animadvertit, *festum nativitatis Mariae* graece appellari τὸ γενέσιον τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου. Neque alius est sermonum in hoc festum titulus, veluti Iohannis damasceni, λόγος εἰς τὸ γενέσιον τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου.

2) Canon. in Deiparam pagg. 465, 472. apud Cotelerium Tom. III. Monum. Eccles. graecae.

stiones nobis quidem non dubias, Manichaeis tamen in controversiam vocatas, adgrediamur. » Neque aliter a) hierosolymitanus Sophronius qui ad Deiparam conversus scribit: « Deum sanctum sanctorum *o super-sancta* peperisti, atque hunc sponte vita functum et e mortuis resurgentem videns, laetitia impleta es. » Consentit b) Germanus antistes constantinopolitanus inquiens: « Canamus tubis, quia regina omnium mater Virgo benevola est, et benedictionibus coronat laudatores suos. Reges principesque concurrant, atque excitato plausu venerentur reginam, quae peperit regem gaudentem a morte victos benigne solvere. Pastores ac magistri, pastoris boni *super-sanctam* matrem una efferamus laudibus. Candelabrum aureum, nubem illuminantem, excelsiorem Cherubim, animatam arcam, igniforme Altissimi solium, urnam auream mannae receptricem, vitalem Verbi tabulam, omnium Christianorum praesidium sacro celebrantes carmine sic dicamus: palatium Verbi nos abiectos caelorum regno dignare; non est enim quidquam quod te intercedente fieri non possit. » Hinc

a) Triod. pag. 186. apud Mai, Spicileg. rom. T. IV. Ἅγιον ἁγίων ὑπεραγία τεκοῦσα Θεὸν, τοῦτον θνήξαντα ἐθελουσίως, καὶ ἐκ νεκρῶν ἀναστάντα ἰδοῦσα, εὐφροσύνης πεπλήρωσαι.

b) Γερμανοῦ πατριάρχου Θεοτόκιον, in thesaur. Hymnolog. pagg. 79-80. T. III.

Σαλπίσωμεν ἐν σάλπιγγι ᾀσμάτων·
Προκύψασα γὰρ ἡ παντάνασσα μητροπάρθενος
Ταῖς εὐλογίαις, καταστέφει τοὺς εὐφημοῦντας αὐτήν·
Βασιλεῖς καὶ ἄρχοντες συντρεχέτωσαν,
Καὶ τὴν βασιλίδα κροτήτωσαν ἐν ὕμνοις,
Βασιλέα τέξασαν τοὺς θανάτῳ κρατουμένους
Πρὶν ἀπολῦσαι φιλανθρώπως εὐδοκήσαντα.
Ποιμένες καὶ διδάσκαλοι τὴν τοῦ καλοῦ ποιμένος
Ὑπεραγίαν μητέρα συνελθόντες εὐφημήσωμεν.
Τὴν λυχνίαν τὴν χρυσαυγῆ,
Τὴν φωτοφόρον νεφέλην,
Τὴν τῶν Χερουβὶμ ὑπερτέραν,
Τὴν ἔμψυχον κιβωτὸν,
Τὸν πυρίμορφον τοῦ δεσπότου θρόνον,
Τὴν μανναδόχον χρυσέαν στάμνον,
Τὴν ζωηφόρον τοῦ λόγου πλάκα,
Ἁπάντων τῶν χριστιανῶν τὸ καταφύγιον
Ἄισμασι θεηγόροις ἐγκωμιάζοντες
Οὕτως εἴπωμεν· παλάτιον τοῦ λόγου,
Ἀξίωσαν τοὺς ταπεινοὺς ἡμᾶς τῆς οὐρανῶν βασιλείας·
Οὐδὲν γὰρ ἀδύνατον τῇ μεσιτείᾳ σου.

Ephraem [a]) ut Deiparam pro facultate ornet, omnia quae potest congerens epitheta clamat: « Domina mea *super-sancta* Deipara et gratia plena, Dei genitrix *super-benedicta,* caelo gratissima Dei mater, vas divinitatis unigeniti tui Filii. »

314. Quum vero toties Deipara nominetur ὑπεραγία *super-sancta,* et quum eiusmodi titulo iam inde a seculo quarto honestata fuerit; pronum est inferendo concludere: I. quaecumque Deiparae tributa legimus affirmantia epitheta, numquam posse ultra quam deceat amplificari atque extendi: ad haec II. eiusdem sanctitatem esse penitus incomparabilem, humanasque cogitationes praetergredi, atque ideirco ab omni culpae naevo longissime distare: postremo III. non satis ad veritatis leges [1]) Morcellium, postquam ipse monuit in Kalendario Ecclesiae constantinopolitanae a se edito, quinquies scriptum reperiri τὴν ἁγίαν θεοτόκον, *sanctam Deiparam,* bis τὴν παναγίαν θεοτόκον *sanctissimam Deiparam,* nusquam τὴν ὑπεραγίαν *super-sanctam,* subiecisse: « In Concilio Nicaeno II. in quo saepe eiusdem laudes celebrantur, nondum tamen ea appellatio audita: tantum in Tarasii litteris [b]) legas, *exopto autem et advocationem sanctissimae atque intemeratae perpetuaeque virginis Mariae.* Quin eam vocem nec apud Hesychium, nec apud Suidam invenies. Seculo tamen X. in usu erat, et in Menologio basiliano non semel occurrit, saepissime in Graecorum libris, qui post ea tempora scripta sunt. »

315. Ab epitheto quod expendimus, vix illud differt quo Deipara vocatur ὑπέραγνος *super innocens,* eique innocentia defertur eo usque excellens ut omnem praetergredi modum videatur. Gradus vero innocentiae tam singularis tamque eximius Deiparae defertur [c]) in Anthologio his verbis: « Pastores [2]) ac magistri in unum convenientes extollamus pulcri pastoris *superinnocentem* matrem, candelabrum aureo nitens fulgore, nubem lucem ferentem, animatam arcam

a) Precat. IV. pag. 528. Δέσποινα ὑπεραγία μου Θεοτόκε καὶ κεχαριτωμένη, Θεογεννήτρια ὑπερευλογημένη, Θεοχαρίτωτε Θεομῆτερ, δοχεῖον τῆς Θεότητος τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ.

b) Act. III. pag. 232. Ἐξαιτοῦμαι δὲ καὶ τὰς πρεσβείας τῆς τε παναγίας, ἀχράντου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας.

c) Antholog. die VI. Decembris Ode θ'. pag. 179. col. 1. D. Ποιμένες καὶ διδάσκαλοι

1) Comm. ad diem I. et II. Septemb. pag. 117.

2) Sunt haec ad ea quam simillime expressa quae nuper ex Germano retulimus, quaeque habet Nicetas in comm. ad Gregorii nazianzeni carmina pag. 398. apud Mai Spicileg. T. V.

caelis ampliorem, thronum Domini igniformem, vas aureum manna continens, clausam Verbi portam, Christianorum omnium perfugium divinis cantibus celebrantes dicamus: o Verbi palatium nos humiles abiectosque dignos redde caelorum regno, nihil enim tua mediatione non potes. » Et [a]) rursum, quamquam verborum forma tantisper immutata: « Gabriel non sine stupore conspiciens tuae virginitatis pulcritudinem, *innocentiamque supra modum splendidam*, ad te, o Deipara, clamavit: cuiusmodi encomium te dignum adhibebo? Quove te nomine distinguam? Anceps haereo et mentis inops; quare ut iniunctum mihi erat, ad te clamo ave gratia plena. » Defertur [b]) a Theodoro studita qui ait: « Agite puris mentibus intaminatisque labiis celebremus immaculatam et *superinnocentem* matrem Emmanuelis. » Defertur [c]) ab Iohanne damasceno qui canone in sanctum Nicolaum Myrae praesulem canit: « Te, o celebratissima, praemonstravit rubus igne circumdatus: te *o superinnocens*, urna manna continens, mensam praesignavit gestantem Deum; tu enim nobis puram suavitatem effudisti. » Defertur [d]) a Germano qui Virginem sistit « Divinarum virtutum magnificentia exaltatam, et puritate praecellentem Mariam *superinnocentem* illam et superimmaculatam Dei genitricem. » Itemque defertur [e]) a Iacobo monacho qui Annae votum his con-

τὴν τοῦ καλοῦ ποιμένος ὑπέραγνον μητέρα συνελθόντες εὐφημήσωμεν, τὴν λυχνίαν τὴν χρυσαυγῆ, τὴν φωτοφόρον νεφέλην, τὴν τῶν οὐρανῶν πλατυτέραν, τὴν ἔμψυχόν τε κιβωτὸν, τὸν πυρίμορφον τοῦ δεσπότου θρόνον, τὴν μανναδόχον χρυσέαν στάμνον, τὴν κεκλεισμένην τοῦ λόγου πύλην, ἁπάντων Χριστιανῶν τὸ καταφύγιον, ᾄσμασι θεηγόροις ἐγκωμιάζοντες οὕτως εἴπωμεν· παλάτιον τοῦ λόγου ἀξίωσον τοὺς ταπεινοὺς ἡμᾶς, τῆς οὐρανῶν βασιλείας· οὐδὲν γὰρ ἀδύνατον τῇ μεσιτείᾳ σου.

a) Antholog. die XII. Decembris pag. 192. col. 2. A. Τὴν ὡραιότητα τῆς παρθενίας σου, καὶ τὸ ὑπέρλαμπρον τὸ τῆς ἁγνείας σου ὁ Γαβριὴλ καταπλαγεὶς, ἐβόα σοι θεοτόκε· ποῖον σοι ἐγκώμιον προσαγάγω ἐπάξιον; τί δὲ ὀνομάσω σε; ἀπορῶ καὶ ἐξίσταμαι· διὸ ὡς προσετάγην βοῶ σοι· χαῖρε ἡ κεχαριτωμένη.

b) Antholog. die XXII. Decembris pag. 224. col. 1. B. Καθαραῖς ψυχαῖς καὶ ἀρρυπώτοις χείλεσι δεῦτε μεγαλύνωμεν τὴν ἀκηλίδωτον καὶ ὑπέραγνον μητέρα τοῦ Ἐμμανουήλ.

c) Can. in s. Nicolaum Ode γ'. pag. 723. apud Mai Spicileg. T. IX. Σὲ προεδήλου βάτος, πανύμνητε, πυρὶ σπαργανουμένη· σὲ προετύπου στάμνος ἡ μαννοδόχος, ὑπέραγνε, τὴν θεοδόχον τράπεζαν· σὺ γὰρ ἐπήγασας γλυκασμὸν ἡμῖν ἀκήρατον.

d) Orat. in s. Mariae zonam pag. 232. Τὴν τῇ μεγαλοφυΐᾳ τῶν ἐνθέων ὑπερηρμένην ἀρετῶν, καὶ τῇ καθαρότητι ὑπερέχουσαν Μαρίαν τὴν ὑπέραγνον καὶ ὑπεράμωμον θεοτόκον.

e) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1271. E. apud Combefisium Auctar. T. I. Ἀθιγὴν χῶρος, καὶ τοὺς ὑπεράγνους ὑποδεχέσθω πόδας· ἀκοινώνητος διαγωγὴ τὴν ἀκηλίδωτος διατηρείτω περιστεράν.

ceptum verbis proponit: « Illibatus [1]) locus *superinnocentes* quoque suscipiat pedes. Vitae ratio ab hominum convictu seiuncta intaminatam servet columbam. »

316. Hinc non rarae apud veteres sunt phrases, quibus Deipara *super ipsam puritatem pura atque innocens* perhibetur. Et eiusmodi sane illam perhibet [a]) Germanus dum memorat « Splendidissimum specimen supereminentis eius puritatis. » Et multo etiam evidentius Germano antiquior [b]) Ephraemus inquiens: « Sanctissima domina Dei genitrix, quae sola animo et corpore purissima, *sola supergressa puritatem* et pudicitiam et virginitatem. » Quae insigniter expoliuntur opportuna eorum comparatione, quae [2]) ad Lucae verba, *et postquam impleti sunt dies purgationis eius*, Cyrillus alexandrinus [c]) scribit: « Etenim si verba, *purgationis eorum*, de sancta Deipara, vel de beato Iosepho, vel de ipso Domino cxistimet aliquis dici, irreligiosus erit .... Sed neque de Domino id dictum fuit, immaculato scilicet [3]) *et quamlibet munditiem excedente.* »

317. Ad eamdem classem revocari debent quae Georgius nicomediensis [d]) simul componens Annae et Deiparae conceptum, scribit: « Hic (in Annae conceptu) meritorum et precum fructus; illic (in conceptu Mariae) propter virtutem comparatione maiorem et *superexcellentem puritatem* inexplicabilis (Christi) novatur conceptus: « Et ad hanc pariter revocari debent quae Theodoritus enarrans

a) Orat. in Deiparae praesent. pag. 1411. B. apud Combefisium Auctar. T. I. Γνώρισμα τηλαυγὲς τῆς ὑπερβαλλούσης αὐτῆς καθαρότητος.

b) Precatio I. pag. 524. B. opp. graec. T. III. Παναγία δέσποινα Θεοτόκε, ἡ μόνη καθαρωτάτη καὶ ψυχὴν καὶ σῶμα, ἡ μόνη ἐπέκεινα καθαρότητος καὶ σωφροσύνης καὶ παρθενίας.

c) Explanat. in Luc. II. pag. 133-134. apud Mai in nova PP. biblioth. T. II. Εἰ γὰρ τὸ περὶ τοῦ καθαρισμοῦ αὐτῶν, περὶ τῆς ἁγίας Θεοτόκου, ἢ περὶ τοῦ μακαρίου Ἰωσὴφ, ἢ περὶ τοῦ Κυρίου νομίσει τις λέγεσθαι, ἀσεβήσει.... ἀλλ᾽ οὐδὲ περὶ τοῦ κυρίου τοῦτο εἴρηται, τοῦ ἀκηράτου καὶ ὑπὲρ πᾶσαν καθαρότητα.

d) Orat. in concept. et nativit. Deiparae pag. 1066. B. apud Combefisium Auctar. T. I. Ἐνταῦθα κατορθωμάτων καὶ προσευχῆς καρπὸς, ὁ τόκος· ἐκεῖ δι᾽ ἀσύγκριτον ἀρετὴν καὶ ὑπερβάλλουσαν καθαρότητα ἡ ἀνερμήνευτος καινοτομεῖται κύησις.

1) Quae Combefisius more suo sic reddit. « Locus illibatus praecastos suscipiat pedes. Nihil communis vitae ratio incontaminatam columbam conservet. »

2) Luc. II. 22.

3) Gemina plane phrasi et unius Christi ac Deiparae propria utriusque innocentia et puritas significantur. Nullum autem omnino naevum Christus contraxit, nullamque labem recepit. Patet igitur quid sequum sit de Deipara arbitrari.

verba [1]) Psalmi, *Veritas de terra orta est*, sic [a]) habet: « Et *decies quidem millies pura est* Deipara; verumtamen ex Adamo, ex Abrahamo, ex David, ex ipsa [2]) igitur certe orta est quae vere est Veritas. » Quibus explanandis illustrandisque non minimum ista conducunt, quae ex Germano constantinopolitano Antistite [b]) in Anthologio referuntur: « Ex iustis, Ioachimo videlicet atque Anna, ortum nobis est universale gaudium, celebratissima Virgo: ipsa *propter excessum puritatis* animatum Dei templum evadit, et sola secundum veritatem Dei genitrix agnoscitur. » Porro facilius est quaecumque maxime infensa sunt sociare, quam vel tenuissimam culpae umbram, labisque speciem cum tanto sanctitatis puritatisque excessu coniungere.

ARTICULUS III.

De ceteris appositis iisque affirmantibus quibus sanctitas atque excellentia Deiparae omnem supergressa modum confirmatur.

318. Cum sanctitate atque innocentia duo potissimum cohaerent, hinc quidem superna et caelestis benedictio, veluti princeps illius caussa et origo, inde vero gloria et celebratio, tamquam effectus et signum. Sicut enim innocentia et sanctitas proficisci aliunde non possunt quam ab eo qui est ter sanctus et totius sanctitatis largitor et auctor; ita laus et gloria non aliter cum sanctitate iunguntur, ac umbra corpus comitetur. Quum igitur Virgo ex fide atque

a) Comm. in Ps. LXXXIV. 12. pag. 1207. opp. T. I. Καὶ μυριακίς ἐστι καθαρὰ ἡ Θεοτόκος· ἀλλ' ὅμως ἐκ τοῦ Ἀδάμ, ἐκ τοῦ Ἀβραάμ, ἐκ τοῦ Δαβίδ, ἐξ αὐτῆς γ' οὖν ἀνέτειλεν ἡ ὄντως ἀλήθεια.

b) Antholog. die VII. Septembris pag. 16. col 1. C. Ἡ παγκόσμιος χαρὰ ἐκ τῶν δικαίων ἀνέτειλεν ἡμῖν, ἐξ Ἰωακεὶμ καὶ τῆς Ἄννης ἡ πανύμνητος παρθένος· ἥτις δι' ὑπερβολὴν καθαρότητος, ναὸς Θεοῦ ἔμψυχος γίνεται, καὶ μόνη κατὰ ἀλήθειαν Θεοτόκος γνωρίζεται.

1) Ps. LXXXIV. 12.

2) Horum autem verborum eam dedimus interpretationem, in qua particulae καί, ἀλλ' ὅμως, γ' οὖν vulgatam obviamque significationem tuentur. Quaeri tamen potest, utrum verba ἐξ αὐτῆς ad Θεοτόκον vel satius ad γῆν referenda sint. Et spectato quidem verborum ordine non diffiteor multo illa commodius ad Θεοτόκον quam ad γῆν referri; sed ductus sermonis et Theodoriti ratio postulare videntur, ut *ad terram* referantur. Illi namque propositum erat explanare verba, ἀλήθεια ἐκ τῆς γῆς ἀνέτειλεν. Explanat vero inquiens: « Veritas orta est ex Maria supra

sententia maiorum non modo sit dicique debeat *sancta* et *sanctissima,* verum etiam *super-sancta* modumque omnem communis sanctitatis excedens: et non modo sit dicique debeat *innocens* atque *innocentissima,* verum etiam *super-innocens* et supra fines omnes creatae innocentiae provecta, superest ut ad eiusdem fidei sententiaeque normam ipsa non modo sit voceturque *benedicta* et *plene benedicta,* verum etiam *superbenedicta:* non modo *gloriosa* et *gloriosissima,* verum etiam *supergloriosa:* et non modo *laudabilis* atque *laudabilissima,* sed *quavis laude superior* et *quibusvis praeconiis excelsior atque sublimior.*

319. Atque profecto vocatur Deipara ὑπερευλογημένη *superbenedicta* [a]) in Paracletice his verbis: « Tu es o Virgo Dei genitrix *superbenedicta.* » Et [b]) rursum: « Quomodo te, Deipara, celebremus? Immo quomodo, *o superbenedicta,* incomprehensibile tui partus mysterium extollamus? » Vocatur [c]) ὑπερευλογημένη *superbenedicta* in Octoecho: « O deipara Virgo *superbenedicta.* » Vocatur ὑπερευλογημένη *superbenedicta* in Menaeis, in quibus haec e Theophane [d]) sumpta habentur: « Te, o Virgo *superbenedicta* innocentissima, fide atque amore ut augustam Dei matrem laudantes, nos a periculis serva. » Atque ista pariter [e]) ex eodem accepta leguntur: « In generationibus generationum mater virgo apparuisti, *o benedicta super quam quod possit intelligi,* quod supra naturam, o Virgo, Deum verbum incarnatum pepereris. » Tum ista [f]) ex Iohanne damasceno: « Annue precibus nostris qui servi

a) Paraclit. pag. 265. col. 2. B. Ὑπερευλογημένη ὑπάρχεις, θεοτόκε παρθένε.

b) Paraclit. pag. 247. col. 2. C. Πῶς σε μακαρίσωμεν θεοτόκε; πῶς δὲ ἀνυμνήσωμεν, ὑπερευλογημένη, τὸ ἀκατάληπτον μυστήριον τῆς κυοφορίας σου;

c) Octoech. pag. 10. col. 2. E. Ὑπερευλογημένη ὑπάρχεις θεοτόκε παρθένε.

d) Men. die I. Decembris Ode α'. pag. 4. col. 1. A. Ὑπερευλογημένη παρθένε πάναγνε, τοὺς σὲ πίστει καὶ πόθῳ, οἷα θεοῦ μητέρα σεπτὴν, ὑμνοῦντας διάσωσον τῶν κινδύνων.

e) Men. die II. Decembris Ode ζ'. pag. 9. col. 2. D. Ἐν γενεαῖς γενεῶν μήτηρ παρθένος ὤφθης, εὐλογημένη ὑπὲρ ἔννοιαν, τὸν λόγον κυήσασα σεσαρκωμένον θεὸν ὑπερφυῶς, παρθένε.

f) Men. die IX. Martii Ode γ'. pag. 42. col. 1. A. Νεῦσον δεήσεσιν ἡμῶν, τῶν σῶν δούλων, ἀγαθὴ θεοκυῆτορ, καὶ δεινῶν τὰς ἐφόδους, καὶ πειρασμῶν προσβολὰς ταχέως κατάπαυσον, δέσποινα· ἵνα σὲ τιμῶμεν, ὑπερευλογημένη.

modum omnem pura. Sed Maria licet purissima, suam tamen ex Davide, Abrahamo, Adamo atque adeo *ex terra* originem duxit. Ἐξ αὐτῆς γ' οὖν ἀνέτειλεν ἡ ὄντως ἀλήθεια, *certe igitur ex ipsa* (dubio procul *terra*) *orta est quae vere est veritas.* » Quae quum ita sint, pronum est intelligere quid de hisce existimandum sit quae *in indice rerum* ad opera Theodoriti Ludovicus Schulze opinatur inquiens: « Forte, κἂν μορ. ἐστι (pro ἢ more Nostri) quia ὅμως sequitur: etsi centies pura sit Maria, tamen est ex Adamo, Abrahamo, Davide: ergo non potest esse iustitia et veritas, quae a caelo venerit. »

tui sumus, o benigna Dei genitrix, et malorum aditus tentationumque impetus celeriter seda, o Domina, ut te, *superbenedicta*, honore prosequamur. » Itemque ista [a]) ex Iosepho confessore: « Huc adeste, innocentem illam puellam Deique genitricem divinis canticis celebremus dicentes: ave, Virgo, per quam concessum est gaudium naturae hominum, *o superbenedicta*. »

320. Accedunt liturgica monimenta, in quibus nunc memoratur [b]) intercessio « Gloriosissimae, celeberrimae, *superbenedictae* et gratia plenae dominae nostrae Dei genitricis semperque virginis Mariae, » et nunc etiam vehementius Deipara audit *πανυπερευλογημένη* *penitus superbenedicta*, uti quum [c]) exoratur Deus « Intercessionibus *penitus superbenedictae* [1]) gloriosae dominae nostrae Deiparae et semper virginis Mariae, et omnium sanctorum. » Hinc titulus [d]) apud Petrum siculum inscriptus « Adversus Manichaeos, qui non confitentur *superbenedictae* semperque virginis dominae nostrae, proprie vereque Deiparae dignitatem. » Hinc verba [e]) Leonis Augusti: « Quid vero is, qui magna tibi magnus Filius fecit, *o superbenedicta*, tibi hodie facit? » Hinc quae in canticum canticorum [f]) Matthaeus cantacuzenus scribit: « Non composita serie assumptionem carnis a Deo Verbo propheta refert, sed ut ei dictabat Spiritus sanctus. Modo quidem seipsam introducens de ea disserentem: modo vero novam Dei ex gentibus coactam ecclesiam: interdum autem *superbenedictam* Dei Verbi matrem. » Quae autem quantaque fuerit innocentia cum tanta

a) Men. die IV. Iulii Ode *η'*. pag. 19. col. 1. C. *Δεῦτε τὴν ἁγνὴν καὶ Θεοτόκον κόρην ὑμνήσωμεν λέγοντες ἐνθέοις ᾄσμασι· χαῖρε παρθένε, δι' ἧς χαρὰ ἐδόθη φύσει τῶν ἀνθρώπων, ὑπερευλογημένη.*

b) In Missa Chrysostomi pag. 803. E. opp. T. XII. *Τῆς πανενδόξου, πανυμνήτου, ὑπερευλογημένης καὶ κεχαριτωμένης δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας.*

c) Euchol. pag. 728. A. et pag. 862. B. *Πρεσβείαις τῆς πανυπερευλογημένης ἐνδόξου δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, καὶ πάντων σου τῶν ἁγίων.*

d) Conl. Manich. Serm. II. n. 1. pag. 66. apud Mai in nova pp. Biblioth. T. IV. P. II. *Κατὰ Μανιχαίων, τῶν μὴ ὁμολογούντων τὴν ὑπερευλογημένης καὶ ἀειπαρθένου δεσποίνης ἡμῶν κυρίως καὶ ἀληθῶς Θεοτόκου Μαρίας δόξαν.*

e) Orat. in dormit. Deiparae pag 1739. A. apud Combefisium Auctar. T. I. *Τί σοι ὁ τὰ μεγαλεῖα ποιήσας μέγας υἱὸς, ὑπερευλογημένη, σήμερον ποιεῖ;*

f) In cant. cantic. pag. 17. *Οὐ κατ' εἱρμὸν τὴν τοῦ θεοῦ λόγου σάρκωσιν ὁ προφήτης*

1) Videsis etiam offic. lavipedii pag. 746. C. et offic. sanctae Pentecostes pag. 756. B-C., ubi intercessio postulatur *τῆς παναγίας ἀχράντου ὑπερευλογημένης ἐνδόξου δεσποίνης ἡμῶν*, *sanctissimae illibatae superbenedictae gloriosae Dominae nostrae.*

divinae benedictionis ubertate conserta, quemadmodum suapte sponte innotescit, ita non obscure his verbis [a]) declaratur: « Hunc diem festivum agimus propter generationem *super-sanctae* dominae nostrae Dei genitricis, quoniam hi (Ioachimus et Anna) conciliatores facti sunt universalis salutis per suam ipsorum filiam [1]) *omnino superinnocentem sanctam* Dei genitricem. »

321. Quamquam nescio an non hoc ipsum multo etiam declaretur evidentius [b]) a Dionysio praesule alexandrino, ubi ait: « Et sicut ipse solus (Filius) novit modum conceptus et ortus sui, servans matrem incorruptam, *a pedibus usque ad caput benedictam.* » Eodem igitur recidunt formulae quibus Virgo dicitur ὑπερευλογημένη, πανυπερευλογημένη, καὶ εὐλογημένη ὑπὲρ ἔννοιαν, *superbenedicta, penitus superbenedicta et ultraquam intelligi possit benedicta,* et quibus ipsa affirmatur ἀπὸ ποδῶν ἕως κεφαλῆς εὐλογημένη, *a pedibus ad caput usque benedicta.* Verum quid sibi istud vult? Aut quo ista pertinet splendidissima loquutio? Quemadmodum deprompta ea est [2]) ex Scripturis in quibus de israelitico populo legimus, *super quo percutiam vos ultra, addentes praevaricationem? omne caput languidum, et omne cor moerens. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas;* ita ex sese atque ex insita verborum potestate significat, nullam exstitisse in Deipara partem, non internam non externam, non magnam et nobilem, non parvam et ignobilem, quam benedictio non occupaverit,

ἐμφαίνει· ἀλλ᾽ ὡς ἰδίου τούτῳ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· ποτὲ μὲν ἑαυτὸν παρεισάγων περὶ ταύτης διαλεγόμενον· ποτὲ δὲ τὴν νέαν τοῦ θεοῦ τῶν ἐθνῶν ἐκκλησίαν· ἄλλοτε δὲ τὴν ὑπερευλογημένην τοῦ θεοῦ λόγου μητέρα.

a) Antholog. die IX. Septembris pag. 31. col. 1. C. Ταύτην ἑορτάζομεν διὰ τὴν γέννησιν τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου· ὅτι πρόξενοι οὗτοι τῆς παγκοσμίου σωτηρίας, διὰ τῆς πανυπεράγνου ἁγίας αὐτῶν θυγατρὸς τῆς θεοτόκου γεγόνασι.

b) Epist. adv. Paulum samosatenum pag. 278. A. Καὶ ὡς οἶδεν αὐτὸς μόνος τὸν τρόπον τῆς συλλήψεως καὶ γενέσεως αὐτοῦ, φυλάττων ἄφθαρτον τὴν μητέρα ἀπὸ ποδῶν ἕως κεφαλῆς εὐλογημένην.

1) Maria ergo *reconciliatione* non eguit. Eguisset autem, si in universalem praevaricationem offendisset.

2) Is. I. 5-6. Ubi Hieronymus in commentario ait: « Est sensus: non invenio quam plagis vestris possim adhibere medicinam; omnia membra vestra plena sunt vulnerum, nullam partem corporis, quae non sit ante percussa, reperio. » Et mox: « Per metaphoram docet, quod a Principibus usque ad extremam plebem, a Doctoribus usque ad imperitum vulgus, in nullo sit sanitas, sed omnes ad impietatem pari ardore consentiant. » Hinc pergit: « Servat coeptam translationem, *a pedibus usque ad verticem* (מִכַּף־רֶגֶל וְעַד רֹאשׁ) idest, ab imo usque ad summum, ab extremis usque ad primos, toto confossi sunt corpore. »

quaeque fuerit maledicto subiecta. Cui significationi lux additur, si eorum habeatur ratio quae de hominum genere tradit [a]) Cyrillus hierosolymitanus inquiens: « Maximum erat humani generis vulnus, *a pedibus usque ad caput nihil in ipso integrum erat.* » Idem igitur exsistit habitus inter Deiparam hominumque genus, qui obtinet inter corpus a pedibus ad caput usque benedictum, et corpus in quo a pedibus usque ad caput nihil integri reperitur. Sed universale humani generis vulnus, quamquam actualibus culpis amplificatum et auctum, suam tamen ducit originem, suumque principium ex eo peccato derivat [1]) quod omnes in Adamo peccaverunt, quo [2]) omnes nascuntur filii irae, et de quo [3]) scriptum est: « Ecce agnus Dei, ecce qui tollit *peccatum mundi.* » Nihil igitur manifestius, quam Deiparam *a pedibus usque ad caput benedictam,* ab hoc vulnere fuisse integram et ab huius peccati maledicto liberam atque solutam.

322. Tam eximiae singularique benedictioni, qua factum est ut Deipara ex ordine appellaretur *benedicta, undequaque benedicta, illa benedicta, superbenedicta, penitus superbenedicta et a pedibus ad caput usque benedicta,* non potuit ea gloria non respondere qua ita diceretur *gloriosa et gloriosissima,* ut pariter *τῆς ὑπερενδόξου supergloriosae* nomine cohonestaretur. Atque hoc sane nomine cohonestatam ipsam legimus in titulis sermonum, qui ad eius celebrandas dotes habebantur. Speciminis loco sint tum Pseudo-Chrysostomi [b]) oratio *in annuntiationem supergloriosae dominae nostrae Deiparae,* tum [c]) inscriptio codicis seculi XI. quae sic habet, *generatio Mariae sanctae Deiparae et supergloriosae matris Iesu Christi.* Eodem nomine cohonestatam legimus [4]) in Paracletice in [5]) Octoecho et [6]) in Triodio, quibus in libris ista repetuntur: « Tu o Deipara Virgo

a) Catech. XII. §. VII. pag. 166. C. *Μέγιστον ἦν τὸ τραῦμα τῆς ἀνθρωπότητος, ἀπὸ ποδῶν ἕως κεφαλῆς οὐκ ἦν ἐν αὐτῷ ὁλοκληρία.*

b) Inter opp. Chrysost. T. II. col. 797. A. *Λόγος εἰς τὸν εὐαγγελισμὸν τῆς ὑπερενδόξου δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου.*

c) Apud Thilo in proleg. ad cod. apocryph. novi Testam. pag. LIII. *Γέννησις Μαρίας τῆς ἁγίας Θεοτόκου καὶ ὑπερενδόξου μητρὸς Ἰησοῦ Χριστοῦ.*

1) Rom. V. 12.

2) Ephes. II. 3.

3) Ioh. I. 29.

4) Paraclit. pag. 64. col. 2. A. Ὑπερδεδοξασμένη ὑπάρχεις, Θεοτόκε παρθένε.

5) Octoech. pag. 10. col. 2. D. consonat memorata saepius Acoluthia apud Bollandianos T. II. Iunii pag. LXXII.

6) Triod. pag. 83. col. 2. A.

supra modum glorificata exsistis. » Cohonestatam legimus [a]) in Menaeis, in quibus ista habentur: « Qui per te salvati sumus, te, sanctissima Virgo, cum affectu in canticis divinitus inspiratis Verbi matrem extollimus: largire itaque, Dei genitrix, indignis famulis tuis propitiationem et pacem et lucem: quaecumque enim volueris potes et vales, ut quae omnium sis domina, *supergloriosa* puella. » Cohonestatam legimus in Panoplia dogmatica, quae recentior seculo VII. haberi nequit, et in qua [b]) dicitur: « Quandoquidem haud hypostasis est vel persona illud quod de sancta *supergloriosa* Virgine sumptum fuit, quomodo Theodorus ac Nestorius impii blasphemaverunt, sed substantia hominis fuit. » Et ne pluribus utamur in re abunde explorata, hoc nomine quinquies et decies cohonestatam ipsam legimus [1]) apud Modestum hierosolymitanum, cui nihil fuisse videtur antiquius quam Deiparam ὑπερένδοξον *supergloriosam* salutare. Hinc Georgius nicomediensis [c]) ad verba [2]) psalmi, *gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei,* scribit: « Gloriosa *super omnem quae refertur gloriam.* Gloriosa supernis virtutibus: pretio habita et concupita congeneribus hominibus: desiderabilis patriarchis: veneranda prioribus patribus: perscripta ac vestiganda prophetis. Propter haec laetantur universa creata: congaudent his exercitus angelici: his una gloriatur mundus universus. » Atque hinc [d]) deprecatio in Missali

a) Men. die VIII. Decembris Ode Θ′. pag. 69. col. 2. B. Λόγου Θεοῦ μητέρα σὲ ἀνυμνοῦμεν σὺν πόθῳ ἐν θεοπνεύστοις ᾄσμασι, παναγία παρθένε, οἱ διὰ σοῦ σεσωσμένοι· νέμοις οὖν, θεοτόκε, τοῖς ἀναξίοις δούλοις σου ἱλασμὸν καὶ εἰρήνην καὶ φωτισμόν· ὅσα γὰρ θέλεις, δύνασαι καὶ ἰσχύεις, ὡς πάντων οὖσα δέσποινα, ὑπερένδοξε κόρη.

b) Panopl. dogmat. q. X. n. 4. pag. 638. apud Mai in nov. pp. Biblioth. Tom. II. Ἐπειδὴ οὐχ᾽ ὑπόστασίς ἐστιν ἢ πρόσωπον τὸ ἀναληφθὲν ἐκ τῆς ἁγίας καὶ ὑπερενδόξου παρθένου, καθὼς Θεόδωρος καὶ Νεστόριος οἱ ἀσεβεῖς ἐβλασφήμησαν, ἀλλ᾽ οὐσία ἀνθρώπου.

c) Orat. in concept. et in nativit. Deiparae pag. 1066. D-E. apud Combefisium Auctar. T. I. Δεδοξασμένα ὑπὲρ πᾶσαν διηγουμένην δόξαν· δεδοξασμένα ταῖς ἀνωτάτω δυνάμεσι· τετιμημένα καὶ ποθητὰ τοῖς ὁμογενέσιν ἀνθρώποις· ἐπιθυμητὰ πατριάρχαις· σεπτὰ προπάτορσιν· ἀνάγραπτα καὶ ζητητέα προφήταις· διὰ ταῦτα πᾶσα κτίσις εὐφραίνεται· τούτοις ἀγγελικαὶ συνήδονται στρατιαί· τούτοις ὁ σύμπας ἐναβραΐζεται κόσμος.

d) Apud Assemanum in cod. lit. T. IV. P. IV. pag. 85. Αἰτούμεθα τυχεῖν καὶ τῆς ἐκ δεξιῶν σου παραστάσεως ἐν τῇ ἡμέρᾳ σου τῇ φοβερᾷ καὶ δικαίᾳ, διὰ τῶν πρεσβειῶν καὶ ἱκεσίων τῆς ὑπερενδόξου δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, καὶ πάντων τῶν ἁγίων σου.

1) Orat. in beatam Virginem, pagg. 24. D., 54. C.

2) Ps. LXXXVI. 3.

alexandrino ex liturgia sancti Basilii: « Oramus ut ad dexteram tuam consistere mereamur in die tua tremenda et iusta, per intercessiones et supplicationes *supergloriosae* dominae nostrae Deiparae semperque Virginis Mariae, et omnium sanctorum tuorum. »

323. Fieri autem non potuit, ut Virgo *ὑπερένδοξος supergloriosa* diceretur, quin simul *ὑπερύμνητος potior omni laude* appellaretur. Et innumera profecto sunt veterum testimonia, quibus hoc etiam titulo decoratur. Hoc namque illam decorat [a]) Iosephus confessor inquiens: « Domina *laude quavis superior* cum supra rationem genuisti qui in sanctis requiescit: ideo te hymnis extollimus. » Et [b]) rursum: « O Virgo *omni superior laude* quae Deum omni laude superiorem peperisti, intercessionibus tuis illos qui te laudant consortes redde lucis, et ab inferno igne et omnibus inimici malis libera. » Eodem illam decorat [c]) Psellus his verbis: « Oratorum ora melos resonantia tubis gratiosius, te Dei montem inumbratum, o immaculata, *celebrare pro dignitate non possunt.* » Quibus ista gemina sunt [d]) ex Basilio seleuciensi: « O Virgo sanctissima, ut quis honesta quaeque ac gloriosa de te loquatur, haud quidem ille a veritate aberrabit, *sed pro merito satis haud fecerit.* » Tum haec [e]) ex Germano constantinopolitano: « Tu merito [1]) dixisti, fore ut te omnes hominum generationes beatam dicant, te *quam nemo digne magnificare potest.* » Nec mirum auctore [2]) Paulo diacono esse debet « Si haec Virgo sanctissima suis in laudibus humanae vocis modos

a) Men. die XXXI. Maii Ode θ'. pag. 114. col. 1. C. Ὑπερύμνητε δέσποινα τὸν ἐν τοῖς ἁγίοις ἀναπαυόμενον ὑπὲρ λόγον ἀπεκύησας· διὰ τοῦτο ὕμνοις σὲ γεραίρομεν.

b) Men. die IV. Maii Ode ζ'. pag. 14. col. 1. B. Ὑπερύμνητε παρθένε ὑπερύμνητον θεὸν ἀποκυήσασα, τοὺς ὑμνοῦντας σε κοινωνοὺς ἀνάδειξον φωτὸς, καὶ ῥῦσαι γεέννης καὶ φλογὸς καὶ πάσης βλάβης τοῦ ἐχθροῦ ταῖς ἱκεσίαις σου.

c) Apud Allatium de Symeonum scriptis pag. 239. Ῥητόρων στόματα σαλπίγγων ᾄδοντα εὐηχέστερα μέλη, ἀνευφημεῖν ἐπαξίως, ἄχραντε, ἀδυνατοῦσι τοῦ θεοῦ σε ὄρος τὸ κατάσκιον.

d) Orat. in ss. Deipar. et Domini incarnat. pag. 522. B. apud Combefisium Auctar. T. I. Ὦ παναγία παρθένε, περὶ ἧς ὁ πάντα λέγων σεμνά τε καὶ ἔνδοξα, οὐ διαμαρτάνει μὲν τῆς ἀληθείας· διαμαρτάνει δὲ τῆς ἀξίας.

e) Orat. in dormit. Deiparae pag. 1446. C. apud Combefisium Auctar. T. I. Σὺ εἶπας δικαίως, μακαρίζειν σε πάσας τὰς τῶν ἀνθρώπων γενεάς· σὲ τὴν μὴ παρ' οὐδενὸς ἀξίως μεγαλυνομένην.

1) Luc. I. 48.

2) Serm. in Virginis assumpt. pag. 267. B-C. apud Martenium Vett. Scriptt. T. IX.

exsuperat, quando ipsam etiam humani generis excellentibus meritis transcendit naturam. » Et eo usque transcendit, ut illam [1]) Petrus venerabilis *supercaelestem* Virginem nominet: Theophanes [a]) vero appellet τὴν ὑπερθαύμαστον κόρην *superadmirabilem puellam* inquiens: « O Dei vates *superadmirabilem puellam* in typicis cognoscens symbolis exclamasti, benedicite opera Domini Dominum. » Quare hoc restat unum, ut [b]) cum Ignatio melodo exclamemus: « *O super omnem modum mirabilis* Dei mater, me poenitentiae radiis illumina, caliginem malorum meorum, quae immensa sunt, dissipa, et malignas cordis mei cogitationes, o puella, fac abigas. »

CAPUT VIII.

Proponuntur receptae apud maiores formulae, quibus non citra comparationis respectum significatur, Deiparam esse puriorem, sanctiorem atque celsiorem tum omnibus generatim hominibus, iisque nominatim qui inter homines prae ceteris claruerunt, tum omnibus supernis virtutibus, universisque creaturis, adeo ut ipsa altera secundum Deum puritate, sanctitate atque excellentia affirmetur.

324. Si ea investigemus quae nos movent *ad comparatas dicendi formulas* usurpandas, facile comperiemus illas a nobis propterea adhiberi, quod arduum non raro sit quae mente intelleximus, absolute simpliciterque efferre, et quod insita comparationibus similitudine non decus modo atque splendor orationi addantur, verum etiam praeceptae animo notitiae plenius evidentiusque explicentur. Huic legi quo humanus sermo obstringitur, morem gessit Christus dum Iohannis [2]) praestantiam his verbis declaravit: « Amen dico

a) Men. die XVII. Decembris Ode θ'. pag. 137. col. 1. B-C. Τὴν ὑπερθαύμαστον κόρην, θεηγόρε, τυπικοῖς ἐν συμβόλοις κατανοήσας ἐκραύγαζες· εὐλογεῖτε τὰ ἔργα κυρίου τὸν κύριον.

b) Men. die XI. Septembris Ode δ'. pag. 79. col. 1. C. Ἡ πανυπερθαύμαστος μήτηρ θεοῦ, λάμψον μετανοίας ἀκτῖνα μοι· λῦσον τὸν ζόφον τῶν ἀμέτρων μου κακῶν· τοὺς πονηροὺς ἀπέλασον, κόρη, λογισμοὺς τῆς καρδίας μου.

1) Serm. in laudem sepulcri Domini pag. 1422. D. apud Martenium Thesaur. anecdot. T. V.

2) Matth. XI. 11.

vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Iohanne Baptista. » Eidemque legi morem gessit Paulus [1]) quum Christi dignitatem prae angelis praeque Moyse asserturus, principio scripsit: « Tanto melior angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen hereditavit. » Tum [2]) subiecit: « Amplioris enim gloriae iste (Christus) prae Moyse dignus est habitus, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit illam. »

325. Maiores itaque nostri, qui de innocentia, sanctitate ac praestantia Virginis nullas prorsus reliquas fecerunt *absolutas* dicendi formas sive negantes aut affirmantes, sive positivas aut superlatas, sive abstractas aut concretas, sive seiunctas aut copulatas, sive non citra significationem excessus universim adhibitas; suarum quoque partium esse duxerunt *comparatis* etiam *loquutionibus* uti, quibus Deiparae speciem suis animis obversantem expolirent atque splendidius patefacerent. Ac me sane fugit, an vel unum *comparatarum formularum* genus neglexerint, quod ad colorandam Deiparae imaginem conducere posse arbitrarentur. *Illam enim dixerunt hominibus generatim omnibus puriorem atque sanctiorem: illam speciatim puriorem sanctioremque iis ex hominibus dixerunt, qui veluti astra inter ceteros emicarunt: illi innocentiam sanctitatemque vindicarunt ea potiorem, qua caelestes spiritus resplendent: illamque sanctitate atque innocentia eo usque creatis naturis omnibus praetulerunt, ut alteram secundum Deum unanimes confirmaverint.*

326. Haec autem quae paucis complexi sumus, totidem articulis plenius explicabimus, simulque evincemus: I. a traditione maiorum atque ab ipsa idcirco veritate illos omnes vehementissime dissidere, qui normam aestimandae definiendaeque sanctitatis et innocentiae, quae propria est Deiparae, ex reliquo hominum genere mutuantur: II. cum traditione maiorum atque cum ipsa idcirco veritate illos omnes perfectissime conspirare, qui eam Deiparae tribuunt sanctitatem, eamque asserunt innocentiam, qua neque purior neque maior secundum Deum aut prius exstiterit, aut deinceps exstitura sit: proindeque III. non minus a traditione maiorum quam ab exploratissima veritate illorum opinionem abhorrere, qui Deiparam vel temporis momento infectam culpa, corruptamque peccati labe comminiscuntur.

1) Hebr. I. 4. 2) Hebr. III. 3.

ARTICULUS I.

De loquutionibus comparatis quibus Deipara sanctior, innocentior et sublimior omnibus generatim hominibus perhibetur.

327. Non unus neque pauci, sed innumeri propemodum sunt homines, qui non aliam contraxere maculam nisi quae *originalis* nuncupatur. Eiusmodi namque merito habentur qui non loquendo sed moriendo confessi sunt: et eiusmodi quotquot ex hac antea mortalitate migrarunt, quam integro expeditoque rationis usu potirentur. Ut quis igitur omnibus purior hominibus dici vere atque infinite possit, id exigi atque omnino postulari videtur, ut ne originalis quidem corruptionis naevum labemque contraxerit. Atqui insignissima praesto sunt veterum suffragia, quae Deiparam omnibus puriorem hominibus infinite testantur. Ex his ego illud principio commemorabo, quod auctor homiliae in Christi generationem Basilio [a]) tributae praebet his verbis: « Quoniam vero *illa hominum aetas nihil puritati Mariae aequandum habebat,* sic ut Spiritus sancti susciperet operationem; electa idcirco est beata Virgo. » Illud deinde subiiciam quod exhibet [b]) Petrus Argorum Episcopus inquiens: « Quandoquidem enim nos qui ob peccatum morti corruptionique damnati eramus, Dei incarnatione indigebamus, atque oportebat ut quae horum magnalium administra futura erat, *puritate* [1]) *omnes antecelleret,* tamquam ea quae fieret, o mirum, mater Dei; necesse profecto erat, ut huius [2]) quoque Dei genitricis parentes longe aliis essent meliores, tamquam Dei, qui ex illa nasceretur, progenitores. »

a) Hom. I. in Christi generat. n. 3. pag. 598. B. inter opp. Basilii T. II. Ἐπειδὴ δὲ ὁμότιμον τῆς καθαρότητος Μαρίας οὐκ εἶχεν ἡ κατ᾽ ἐκείνην γενεὰ τῶν ἀνθρώπων, ὥστε ἐνέργειαν τοῦ πνεύματος ὑποδέξασθαι, ἐξελέγη ἡ μακαρία παρθένος.

b) Orat. in concept. s. Annae n. 9. Ἐπεὶ γὰρ ἐδεήθημεν θεοῦ σαρκουμένου διὰ τὴν ἁμαρτίαν θανάτῳ κατακριθέντες καὶ τῇ φθορᾷ, ἔδει δὲ τὴν τὸ τοιοῦτον διακονήσασαν κρείττονα πάντων ἀνθρώπων ὑπάρχειν εἰς καθαρότητα, ὡς γενησομένην, ὢ τοῦ θαύματος, μητέρα θεοῦ· ἔδει πάντως καὶ τοὺς ταύτης γεννήτορας θεοτόκου, ὡς τῶν ἄλλων εἶναι κρείττο-

1) Quosnam homines Petrus significat scribens, *oportuisse ut quae incarnationis administra futura erat, puritate eos omnes antecelleret?* Dubio procul illos ipsos quos antea dixerat *ob peccatum morti corruptionique damnatos*. Hi vero sunt omnes quos originalis culpa vitiavit. Oportuit ergo ut Virgo omnes originali culpa vitiatos puritate antecelleret. Scilicet oportuit ut originali culpa nullatenus inficeretur.

2) Omittit Piazza in versione non citra significationis detrimentum, particulam καί.

Neque illud tacebo quod [a]) in Paracletice occurrit: « Quae *pulcra et immaculata et innocens es inter mulieres*, libera miseram animam meam a vitiorum corruptela, atque ut tuo interventu innocenter vivam, meos gressus feliciter dirige. » Consonant haec [b]) quae in eodem libro habentur, quaeque in Menaeis atque in Triodio repetuntur: « O Deipara, *mulierum sanctissima*, mater thori nescia, deprecare quem peperisti regem et Deum, ut nos pro sua benignitate servet. » Atque haec [c]) item consonant ex usitatis apud Coptos Virginis praeconiis: « Multae mulieres fuerunt honore affectae; tu illis omnibus celsior es, tu virginum gloria, o Maria Deipara. »

328. His addi ea debent, quibus Deipara universis hominibus *gloriosior, sanctior, puriorque* coniunctim celebratur. Sic autem illam celebrat qui Gregorii neocaesariensis nomine circumfertur, ubi [d]) de Christi incarnatione scribit: « Per sanctum et innocentem, purum et impollutum sinum tuum fulgidissima margarita in salutem totius terrarum orbis progreditur: quoniam et tu sancta *omni humana natura gloriosior* [1]) *et purior et sanctior* effecta es. » Sic illam celebrat [e]) Iohannes monachus inquiens: » Tu *vere superior mortalibus* et angelis honoratior apparuisti, o puella Dei genitrix: omnium enim creatorem in utero suscepisti, et materiali indutum carne absque

νας, θεοῦ τοῦ ἐξ αὐτῆς τεχθησομένου προπάτορας. Forte loco suo mota est particula ὡς, et ante θεοῦ collocari debet.

a) Paraclit. pag. 191. col. 2. D. Ἡ καλὴ καὶ ἄμωμος, ἁγνὴ ἐν γυναιξὶ, τὴν ταλαίπωρόν μου ψυχὴν ἐμπάθους μωμήσεως νῦν ἐλευθέρωσον, καὶ ἁγνῶς βιῶσαί με, μεσιτείαις σου, εὐόδωσον.

b) Paraclit. pag. 155. col. 1. D. coll. Men. die XXV. Octobris pag. 146. col. 1. E. et Triod. pag. 49. col. 2. B. Ἐν γυναιξὶν ἁγία, θεοτόκε μήτηρ ἀνύμφευτε, πρέσβευε ὃν ἔτεκες βασιλέα καὶ θεὸν, ἵνα σώσῃ ἡμᾶς, ὡς φιλάνθρωπος.

c) Theotoc. pag. 123. D.

Ⲁⲟⲩⲙⲏϣ ⲛ̀ⲥϩⲓⲟⲙⲓ ϭⲓⲧⲁⲓⲟ: ⲁⲣⲉϭⲓⲥⲓ ⲛ̀ⲑⲟ ⲉϩⲟⲧⲉ ⲉⲣⲱⲟⲩ ⲧⲏⲣⲟⲩ: ⲛ̀ⲑⲟ ⲡⲉ ⲡϣⲟⲩϣⲟⲩ ⲛ̀ⲛⲓⲡⲁⲣⲑⲉⲛⲟⲥ ϯⲑⲉⲟⲧⲟⲕⲟⲥ Ⲙⲁⲣⲓⲁ:

d) Orat. II. in annunciat. Mariae pag. 17. C-D. Διὰ τῆς ἁγίας καὶ ἁγνῆς καὶ καθαρᾶς καὶ ἀμιάντου σου γαστρὸς ὁ φωτιστικὸς μαργαρίτης προέρχεται εἰς σωτηρίαν πάσης τῆς οἰκουμένης· ἐπειδὴ πάσης τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως καὶ σὺ, ἡ ἁγία, ἐνδοξοτέρα καὶ καθαρωτέρα καὶ ὁσιωτέρα γεγέννησαι.

e) Antholog. die VI. Decembris Ode δ'. pag. 175. col. 1. C. Σὺ ὄντως ἐπέκεινα βροτῶν, ἀγγέλων τε ὑπέρτιμος, θεογεννῆτορ κόρη πέφηνας· τὸν πάντων γὰρ ποιητὴν ἐν γαστρὶ συνείληφας, σάρκα ὑλικὴν ἠμφιεσμένον τεκοῦσα δίχα σπορᾶς, ὢ καινοπρεποῦς θεωρήματος.

1) Hinc Alexander monachus penes Nicetam diaconum cui debemus syllogem interpretationum in Lucam, Deiparam vocat pag. 636. apud Mai Scriptt. vett. T. IX. τὴν θαυμασιωτάτην γυναικῶν Μαρίαν.

semine peperisti. O portentum inauditum! » Sic illam celebrat auctor commentarii in Canticum canticorum ex tribus patribus decerpti, qui [a]) ait: « Inter tot animas omnium hominum qui salvantur *omnibus super terram hominibus superior, ut electa columba, est una illa sola,* quae Christum genuit virgo mater, Cherubim et Seraphim verissime purior. « Neque secus illam celebrat [b]) Pseudo-Iustinus inquiens: « Et quia non quamlibet mulierem elegerat Deus, ut Christi mater fieret, sed *eam quae mulieres omnes virtutibus superabat;* propterea Christus voluit ut mater sua [1]) ab hac etiam virtute beata praedicaretur, per quam consequuta est ut virgo mater fieret. » Succedunt Gregorius antiochenus et Hildephonsus toletanus, quorum ille [c]) Christum exhibet Deiparam his verbis alloquentem: « O mulierum omnium optima, en tibi adest virgo novus filius. Ecce autem tibi, o discipule, parens virgo. » Alter vero [2]) semel iterumque exclamat: « O beatissima et sanctissima omnium feminarum Maria. » Neque suam mentem aliter promit antiquus auctor homiliae in vigilia nativitatis Domini, quum [3]) auditores compellans ait: « Quaeritis fortasse, qualis mater? Quaerite prius qualis filius. Non habet filius in hominibus parem, non habet mater in mulieribus similem. Speciosus ille prae filiis hominum, speciosa illa quasi aurora consurgens. » Quocum praeclare consentiunt Guerricus abbas et Petrus Damiani, ille [4]) ubi Virginem vocat *sanctarum sanctissimam;* hic [5])

a) Ex comm. trium patrum in Cant. cantic. pag. 696. D. apud Gallandium Tom. VI. Τῶν σεσωσμένων οὖν τοσούτων πεφηνότων ἁπάντων ὑπερέχουσα τῶν ἐπὶ γῆς ἀνθρώπων, ὡς ἐκλεκτὴ περιστερὰ, τυγχάνει μία μόνη, ἡ τὸν Χριστὸν γεννήσασα παρθενομήτωρ, ἡ Χερουβὶμ καὶ Σεραφὶμ ὄντως καθαρωτέρα.

b) Quaest. et respons. ad Orthodoxos, resp. ad q. CXXXVI. pag. 501. A. C. inter opp. Iustini. Καὶ ἐπειδὴ οὐ τὴν τυχοῦσαν γυναῖκα ἐπελέξατο ὁ θεὸς γενέσθαι μητέρα τοῦ Χριστοῦ, ἀλλὰ τὴν πασῶν γυναικῶν ταῖς ἀρεταῖς ὑπερκειμένην· διὰ τοῦτο καὶ ὁ Χριστὸς ἀπὸ ταύτης τῆς ἀρετῆς ἐβούλετο μακαρίζεσθαι τὴν μητέρα αὐτοῦ, δι' ἧς ἠξιώθη παρθένος μήτηρ γενέσθαι.

c) Tragoed. Christ. pat. vv. 727-730. pag. 1248.

Ἴδ', ὦ γυναικῶν ἐξ ἁπασῶν βελτίων,
Ὁ παρθένος πάρεστιν υἱὸς σοὶ νέος.
Ἰδοὺ δὲ καί σοι, μύστα, μήτηρ παρθένος.

1) Virtutem significat, qua Matth. XII. 47. voluntatem Dei explemus.

2) Serm. I. in Deiparae assumpt. pag. 667. col. 2. B. et Serm. IV. pag. 670. col. 1. B. apud Combefisium in Biblioth. concionat. T. VII.

3) In Alcuini Homiliar. pag. 53. col. 1. A.

4) Serm. in Virginis purificat. pag. 245. col. 2. B-C. apud Combefisium in Biblioth. concionat. T. VI.

5) Opp. T. IV. pag. 9. col. 2. E.

ubi de Virgine ait: « Beata Dei genitrix, virgo Maria, templum Dei vivi, aula regis aeterni, sacrarium Spiritus sancti. Tu virga de radice Iesse, tu cedrus in Libano, tu rosa purpurea in Ierícho, tu cypressus in monte Sion, quae singulari privilegio meritorum sicut nescis in hominibus comparem, ita nihilominus et angelicam superas dignitatem. »

329. Hinc hominibus omnibus *gratiosiorem* illam Sophronius [a]) vocat, ubi [1]) ad Angeli verba, *invenisti enim gratiam apud Deum*, scribit: « Invenisti gratiam, *quam e mulieribus omnino nulla invenit:* invenisti gratiam, *quam nemo vidit:* invenisti gratiam, *quam nemo recepit.* » Hinc [b]) Gregorius nyssenus eam nominat *omnibus pulcriorem splendidioremque* dum ait: « Super creaturam omnem pulcritudine excellis: super homines splendore nites. » Hinc vulgatus neocaesariensis Gregorius [c]) negat, ullum ex universis hominibus ei similem reperiri: « Nam similis ei ex universis generationibus nulla umquam est reperta. » Hinc idipsum longe plenius negat [2]) Sedulius exclamans: « Salve parens optima tanti Regis puerperio consecrata, quae beati ventris honore conspicuo simul et mater esse probaris et virgo*: cui nulla penitus aequalis femina reperitur,* quae tuum decus similiter praecesserit aut sequatur: *sola placens singulariter Christo, nulli compararis exemplo.* » Eodem vero haec [d]) ex Paracletice perspicue referuntur: « Beata in omnibus generationibus apparuisti, Deum namque vere beatum, o intemerata, ineffabiliter peperisti. » Eodem haec [e]) ex Menaeis: « Ne audeat profana manus animatam

a) Orat. in annunciat. Deiparae apud Nicodemum in Hermen. can. pag. 213. Εὗρες χάριν, ἣν γυναικῶν οὐδεμία τὸ σύνολον εὕρηκεν· εὗρες χάριν, ἣν οὐδεὶς ἐθεάσατο· εὗρες χάριν, ἣν οὐδεὶς ἐδέξατο.

b) Apud Nicodemum pag. 214. Ὑπὲρ τὴν κτίσιν ἐκαλλωπίσθης· ὑπὲρ τοὺς ἀνθρώπους ἐφαιδρύνθης.

c) Orat. I. in annunciat. Mariae pag. 11. A. Οὐ γὰρ ὁμοία αὐτῇ ἐκ πασῶν γενεῶν τὶς γεγόνεν πώποτε.

d) Paraclit. pag. 319. col. 2. E. Μακαρία γενεαῖς ἐν πάσαις ὤφθης, τὸν θεὸν γὰρ ὄντως μακάριον ἀνερμηνεύτως ἐκύησας, ἄχραντε.

e) Men. die XXI. Novembris pag. 159. col. 2. D. Ὡς ἐμψύχῳ θεοῦ κιβωτῷ ψαυέτω μηδαμῶς χεὶρ ἀμυήτων· χείλη δὲ πιστῶν τῇ θεοτόκῳ ἀσιγήτως φωνὴν τοῦ ἀγγέλου ἀναμέλποντα, ἐν ἀγαλλιάσει βοάτω· ὄντως ἀνωτέρα πάντων ὑπάρχεις, παρθένε ἁγνή.

1) Luc. I. 30. apud Gallandium T. IX.
2) Paschal. Oper. lib. II. cap. III. pag. 575.

Dei arcam attingere; sed fidelium labia indesinenter angeli vocem canentia iucunde clament: vere o innocens Virgo potior es omnibus. » Eodem haec [a]) ex Gregorio antiocheno: « Salve, o puella, omnium laetitia, mater virgo, decora super omnes virgines, caelestibus eminentior ordinibus, domina, omnium regina, humani generis gaudium. » Eodem haec [1]) ex ecclesiastica Sequentia:

» Palmam praefers singularem,
» Nec in terris habes parem,
» Nec in caeli curia:
» Laus humani generis,
» Virtutum prae ceteris
» Habens privilegia.

Eodem haec [2]) ex Petro Damiani:

» Beata Dei genitrix,
» Nitor humani generis,
» Per quam de servis liberi,
» Lucisque sumus filii.

Quibus finem iis impono, quae [b]) Georgius nicomediensis tribuit angelis Deiparam ita compellantibus: « O quae visa es vasculum gratia plenum! O terrena natura *suas ipsius rationes supergressa!* O quae incomparabiliter eius mensuram superasti! »

a) Tragoed. Christ. pal. vv. 2591-2598. pag. 1354.

Χαῖρ᾽, ὦ κόρη πάγχαρτε, μήτηρ παρθένε,
Καλλίστα πασῶν παρθένων ὑπερτάτη,
Οὐρανιώνων ταγμάτων ὑπερτέρα,
Δέσποινα, παντάνασσα, χάρμα τοῦ γένους.

b) Orat. in Deiparae ingress. in Templum pag. 1118. D-E. apud Combefisium Auctar. T. I. Ὦ χάριτος πλῆρες δοχεῖον φαινόμενον· ὦ γηρᾶς φύσεως τὰ οἰκεῖα ὑπεραναβάσης γνωρίσματα· ὦ ἀσυγκρίτως τὰ μέτρα ταύτης ὑπερνικώσης. Iure igitur meritoque Iohannes damascenus Orat. in Deiparam pag. 849. B. scripsit: Σὲ ἀξίως πᾶσαι αἱ γενεαὶ μακαρίζουσιν, ὡς ἐπίλεκτον δόξαν τῆς ἀνθρωπότητος. *Digne te beatam praedicant omnes generationes, ut eximium humani generis decus.*

1) Thesaur. hymnolog. pag. 82. T. II.

2) Opp. T. IV. pag. 10. col. 1. D.

ARTICULUS II.

De loquutionibus comparatis quibus Deipara purior, sanctior et sanctissimis quibusque inter homines superior celebratur.

330. Quamquam neque haberi neque dici vere quis possit universis hominibus purior, sanctior atque sublimior, quin illius puritas, sanctitas atque excellentia singulis quibusque potior putetur atque dicatur, praecidendis nihilominus difficultatibus, reique vehementius stabiliendae non minimum conducit, si ille idem purissimis purior, sanctissimis sanctior, et summis celsior credatur atque appelletur. Ad eum prope modum, quo strenuissimi ducis virtus praeclarius extollitur et plenius commendatur, si non omnibus modo fortior militibus, sed ipso etiam Alexandro atque Caesare valentior depraedicetur. Haec autem ipsissima est ratio, quam sibi maiores nostri in celebranda Deiparae innocentia, sanctitate atque praestantia sectandam esse existimarunt. Neque enim satis illis fuit Deiparam puriorem sanctioremque hominibus generatim omnibus nuncupare, sed eam ipsis quoque purissimis et sanctissimis longe puriorem sanctioremque iteratis testificationibus docuerunt.

331. Et docuit sane qui [a]) Gregorii neocaesariensis nomine citari solet, ubi de Virgine loquens ait: « Thronus revera et hic erat cherubicus, thronus regalis, sanctus sanctorum, solus super terram gloriosus, *sanctis sanctior,* in quo requievit Christus Deus noster. » Docuit [b]) Basilius pegoriotes qui in prece ad Virginem scribit: « *Sancta sanctorum* et Dei genitrix Maria, tuis intercessionibus, o innocens, expeditos nos redde ex tendiculis inimici, omniumque haeresum atque afflictionum, nos inquam qui imaginem tuae sanctae formae fideliter veneramur. » Docuit [c]) Iohannes monachus qui de

a) Orat. I. in Deiparae annunciat. pag. 14. D, 15. A. Θρόνος ἀληθῶς καὶ οὗτος χερουβικός· θρόνος βασιλικός· ἅγιος ἁγίων· ἔνδοξος μόνος ἐπὶ τῆς γῆς· τῶν ἁγίων ἁγιώτερος, ἐν ᾧ ἀνεπαύσατο Χριστὸς ὁ θεὸς ἡμῶν.

b) Antholog. die XXI. Novembris Ode θ'. pag. 135. col. 1. C. Ἡ τῶν ἁγίων ἁγία καὶ θεομήτωρ Μαρία, ταῖς ἱκεσίαις σου, ἁγνὴ, ἐλευθέρωσον ἡμᾶς ἐκ τῶν παγίδων τοῦ ἐχθροῦ καὶ πάσης αἱρέσεως καὶ θλίψεως, τοὺς πιστῶς προσκυνοῦντας τὴν εἰκόνα τῆς ἁγίας σου μορφῆς.

c) Antholog. die VIII. Septembris Ode α'. pag 25. col. 1. C. Ἡ ἁγία τῶν ἁγίων ἐν ἁγίῳ ἱερῷ βρέφος ἀνατίθεται, ἀνατραφῆναι ἐκ χειρὸς ἀγγέλου.

Virgine adhuc tenella in Templo oblata inquit: « *Sancta sanctorum* in sancto Templo puella offertur, ut angelica manu nutriatur. » Quibus haec sunt [a]) prorsus simillima: « Quum sis *sancta sanctorum*, o venerabilis, in sancto Templo habitare dilexisti. » Item haec [b]) ex Octoecho: « *Sancta sanctorum*, o Deipara omni laude maior, ex te prodiit gentium exspectatio, et fidelium salus et redemptor et vitae largitor Dominus, quem exora ut servos tuos salvet. » Atque ista [c]) rursum Andreae cretensis: « Sapientes genitores tui, o inviolata, te *sanctam sanctorum* in Dei Templo obtulerunt, ut sancte educareris et in matrem ipsi adornareris. »

332. Ceterum Andreas [d]) etiam alibi Deiparam vocat « Sanctis omnino omnibus sanctiorem. » Cum eo consentit [e]) Basilius seleuciensis qui ipsam tradit « Omnino praecellere sanctis quos honoramus. » Consentit [f]) Stephanus sabbaita inquiens: « Te *sanctam sanctorum*, o Virgo illibata, agnoscimus, ut quae sola [1]) Deum immutabilem sinu gestaveris. » Consentit [g]) Georgius nicomediensis, qui Virginem vix dum triennem cum sanctissimis quibusque conferens tandem concludit: « Nimirum ad horum evaserat *summum verticem*. » Consentit [h]) Tarasius a quo eadem appellatur *sanctorum sancta*, im-

a) Antholog. pag. 130. col. 2. D. Ἁγία τῶν ἁγίων ὑπάρχουσα σεμνὴ, ἐν ναῷ ἠγάπησας ἁγίῳ κατοικεῖν.

b) Octoech. pag. 5. col. 1. E. Ἁγίων ἁγία, θεοτόκε πανύμνητε, ἡ προσδοκία τῶν ἐθνῶν, καὶ σωτηρία τῶν πιστῶν ἐκ σοῦ ἀνατέταλκεν, ὁ λυτρωτὴς καὶ ζωοδότης καὶ κύριος, ὃν ἐκδυσώπει σωθῆναι τοὺς δούλους σου.

c) Antholog. die VIII. Septembris Ode ϛʹ. pag. 25. col. 1. C. Ἁγίαν τῶν ἁγίων ὑπάρχουσαν οἱ σώφρονες πατέρες σου, ἄχραντε, ἀνέθεντό σε ἐν οἴκῳ κυρίου, ἀνατραφῆναι σεμνῶς, καὶ εἰς μητέρα ἑτοιμασθῆναι αὐτῷ.

d) Orat. in Mariae nativ. pag. 179. E. apud Gallandium T. XIII. Τῶν ἁγίων ἁπάντων ἁγιωτέραν.

e) Orat. in ss. Deiparam et Domini incarnat. p. 595. E. apud Combefisium Auctar. T. I. Ὑπερανέχει τοὺς ὅσους τιμῶμεν ἁγίους.

f) Men. die IV. Decembris Ode ζʹ. pag. 20. col. 2. D. Ἁγίων ἁγίαν σε κατανοοῦμεν, ὡς μόνην κυήσασαν Θεὸν τὸν ἀναλλοίωτον, παρθένε ἀμόλυντε.

g) Orat. in Deiparae ingress. in Templum pag. 1126. E. apud Combefisium Auctar. T. II. Πρὸς γὰρ τὸ ἀκρότατον τούτων ἀπήντησεν.

h) Orat. in Virginis praesentat. Αὕτη γὰρ ἡ τῶν ἁγίων ἁγία, ἡ ἀκηλίδωτος τοῦ λόγου παστάς.

1) Hac sententiarum copulatione monemur. I. non minus singularem at privam Virginis sanctitatem credi oportere, ac singularis et priva eiusdem sit divina maternitas: et II. praestantiam sanctitatis Virginis propriam, eo quo decet modo, praestantiae divinae maternitatis respondere.

maculatus Verbi thalamus. » Consentit [1]) Paulus diaconus qui de Virgine ait: « Quam talem utique aeterna Sapientia [2]) effecit, quae digna omnino esset ex qua ipse carnem assumeret, inaestimabile scilicet pretium salutis humanae. Quid dignius hac Virgine? Quid sanctius in humani generis serie [3]) potuit exoriri? cui nullus patriarcharum, nullus prophetarum, nullus antiquorum, nullus sequentium patrum, *nullus prorsus poterit hominum comparari.* » Et [4]) alibi, ipsius esse proprium scribit, quod *prae ceteris sanctior* credatur et sit. Neque minus consentit [a]) Pseudo-Chrysostomus, qui laudatis sanctorum praestantissimis infert: « Sed nihil exaequandum Deiparae Mariae. »

333. Cuius incomparabilis praestantiae verissimam originem pandit [b]) Sophronius, ubi angelicum [5]) expendens oraculum, *invenisti enim gratiam apud Deum,* ait: « Multi quidem ante te et alii extiterunt sancti, sed nullus prae te gratia repletus fuit: nemo prae te beatificatus: nemo prae te sanctificatus: nemo prae te [6]) praepurificatus: nemo prae te superexaltatus. Etenim nemo prae te ad Deum propius accessit: nemo prae te Dei gratiam accepit. *Omnia superas quae sunt apud homines selectissima: omnia vincis dona quae a Deo cuivis collata fuerint.* » Quare Dionysius alexandrinus ad ista

a) Orat. in Deiparam pag. 236. D. inter opp. Chrysostomi T. VIII. P. II. Ἀλλ᾽ οὐδὲν τοιοῦτον, οἷον ἡ Θεοτόκος Μαρία.

b) Orat. in Deiparae annunciat. apud Nicodemum pag. 213. Πολλοὶ μὲν πρὸ σοῦ καὶ ἄλλοι γεγόνασιν ἅγιοι, ἀλλ᾽ οὐδεὶς κατὰ σὲ κεχαρίτωται· οὐδεὶς κατὰ σὲ μεμακάρισται· οὐδεὶς κατὰ σὲ καθηγίασται· οὐδεὶς κατὰ σὲ προκεκάθαρται· οὐδεὶς κατὰ σὲ ὑπερύψωται· οὐδεὶς γὰρ τῷ Θεῷ κατὰ σὲ προσπέλασεν· οὐδεὶς κατὰ σὲ Θεοῦ χάριν ἐδέξατο· πάντα νικᾷς τὰ παρ᾽ ἀνθρώποις ἐξαίρετα· πάντα νικᾷς τὰ πρὸς Θεοῦ δοθέντα τοῖς πᾶσι δωρήματα.

1) Serm. in Virginis assumpt. pag. 268. A-B. apud Martenium Vett. scriptt. T. IX.

2) *Effecit* itaque non refinxit. Refinxisset antem, non effecisset, si culpa originis Virginem maculasset.

3) Atqui in humani generis serie exortus est Iohannes cognomento Baptista, idemque in materno utero sanctificatus. Si ergo ipso etiam sanctior credi Deipara debet, hoc unum est reliquum, ut nullo umquam infecta naevo censeatur.

4) Hom. in evang. *intravit Iesus in quoddam castellum*, n. 5. pag. 274. C. apud Martenium Vett. scriptt. T. IX. Quo referri item possunt quae Theodorus studita Mariam Magdalenam cum Maria Deipara contendens lib. II. epist. CXXVIII. pag. 679. E. opp. Sirmondi T. V. scribit: σὺ οὖν ὦ καλλίστη γυναικῶν, μακαρία ὡς ἀληθῶς, καὶ τρισμακαρία, ὅτι τὴν ἀγαθὴν μερίδα ἐξελέξω, μετὰ Μαρίαν ἐκείνην τὴν ἀοίδιμον. *Tu ergo, feminarum praestantissima, beata revera et ter beata, quia optimam partem elegisti post Mariam illam celeberrimam.*

5) Luc. I. 30.

6) Sed quorsum de Virgine usurpatur comparata loquutio, οὐδεὶς κατὰ σὲ προκεκάθαρται, *nemo prae te praepurificatus?* Quod reliqui iusti post contractam labem purificentur, at vero Deipara *praepurificata fuerit*, ne ulla omnino labe pollueretur.

respiciens Christi [1]) verba, *quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in caelis est, ipse meus frater et soror et mater est:* modumque refellens explicandae Incarnationis per σχετικὴν inhabitationem [2]) scribit: « Haec enim fuga generationis est: siquidem iam inde habitat, in quibus multae reperientur matres: una autem sola Virgo [2]) filia vitae genuit Verbum vivens. »

334. Hinc numquam Deipara cum uno alterove ex sanctis nominatim componitur, quin eiusdem praestantia disertissimis verbis depraedicetur. Eiusdem prae Sara excellentiam depraedicat [3]) Ambrosius his verbis: « Suscipe me non ex Sara, sed ex Maria, ut incorrupta sit Virgo, sed Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati. » Prae Ioachimo et Anna depraedicat [b]) Iohannes Euboeae episcopus in Oratione quam nos primi edimus, inquiens: « Beatos vos appello Ioachim et Anna, quia vere quae ex vobis procreatur, beatior erit. » Et prae omnibus patriarchis atque prophetis gratiam sanctitatemque Deiparae extollit vulgatus neocaesariensis Gregorius, qui [c]) illis commemoratis, pergit: « Porro ad Mariam virginem *solam sanctam* Gabriel archangelus claro lumine venit, ave gratia plena, eidem annuncians. » Hinc solemne est [d]) Coptis Virginem his laudum praeconiis celebrare: « Tu es sanctis omnibus ad orandum pro nobis accomodatior, gratia plena. Tu prae patriarchis nimium

a) Epist. adv. Paulum samosat. pag. 213. A. Αὕτη γὰρ φυγὴ γενέσεως· ἐπεὶ ἄρα ἄνωθεν ἐνοικεῖ, ἐν οἷς εὑρεθήσονται πολλαὶ μητέρες· μία δὲ μόνη παρθένος θυγάτηρ ζωῆς ἐγέννησε τὸν ζῶντα λόγον.

b) Orat. in annunt. sanctorum iustorum Ioachimi et Annae, et in nativit. Deiparae Μακάριοι ὑμεῖς Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννα· ὅτι ὄντως ἡ ἐξ ὑμῶν τικτομένη μακαριωτέρα ἔσται.

c) Orat. I. in annunciat. Mariae pag. 13. C. Πρὸς Μαριὰμ παρθένον μόνην τὴν ἁγίαν, Γαβριὴλ ὁ ἀρχάγγελος φωτιστικῶς παραγίνετο, τὸ, χαῖρε κεχαριτωμένη, αὐτῇ εὐαγγελιζόμενος.

d) Theotoch. pag. 68. D.

Ⲧⲉⲟⲓ ⲛ̀ϩⲓⲕⲁⲛⲟⲥ ⲉϩⲟⲧⲉ ⲛⲏ ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ⲧⲏⲣⲟⲩ : ⲉ̀ⲣⲉⲧⲱⲃϩ ⲉ̀ϫⲱⲛ : ⲱ ⲑⲏ ⲉⲑⲙⲉϩ ⲛ̀ϩⲙⲟⲧ ⳾

Ⲧⲉϭⲟⲥⲓ ⲉⲙⲁϣⲱ ⲉ̀ϩⲟⲧⲉ ⲛⲓⲡⲁⲧⲣⲓⲁⲣⲭⲏⲥ : ⲟⲩⲟϩ ⲧⲉⲧⲁⲓⲏⲟⲩⲧ ⲉ̀ϩⲟⲧⲉ ⲛⲓⲡⲣⲟⲫⲏⲧⲏⲥ ⳾

1) Matth. XII. 50.

2) Propemodum diceret, multas Christus habuit habebitque matres *habitatione*, in omnibus namque habitavit ac porro habitabit sanctis mulieribus quae fuerunt aut erunt. Sed una est naturalis eiusdem mater *generatione*, quae non minus a reliquis matribus distat, quam *filia vitae* et numquam obnoxia morti ab iis secernatur quas in ipso conceptu mors sibi subiecit.

3) In Ps. CXVIII. Serm. XXII. n. 30. col. 1255.

exaltaris, et prae vatibus honoraris. » Atque hinc solemne est [a]) Graecis cum Iohanne euchaita in haec verba crumpere: « Pius coetus cum praeconio agit memoriam iustorum, quibuscum Dei mater, *tamquam ipsorum caput,* merito glorificatur, ultimum, primum mediumque ordinem occupans et gloriae particeps. » Iamvero inter sanctos, prae quibus sanctior atque gratiosior Deipara haberi debet, quum ii omnes censentur quibus Dei civitas numquam non resplenduit, tum ille etiam numeratur de quo Angelus ad Zachariam [1]) dixit: « Erit enim magnus coram Domino: et vinum et siceram non bibet *et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suae.* » Si ergo Deipara est omnibus sanctior, omnibus purior, omnibus gratiosior, prae omnibus superexaltata, omniaque vincit quae sunt penes homines selectissima; non ex utero tantum, sed ex ipso conceptu praepurificata et Spiritu sancto plena credatur oportet.

ARTICULUS III.

De loquutionibus comparatis quibus Deipara celsior, purior, sanctiorque angelis effertur.

335. Etsi de Deo rerum universitatis conditore Augustinus [2]) verissime scripserit, *in ipsa nihil melius institutum quam spiritus, quibus intelligentiam dedit, et suae contemplationis habiles, capacesque sui praestitit;* haec tamen neque debent neque possunt sic intelligi, ut e sua primatus praerogativa excidisse Virgo censeatur. Omnium namque suffragatione patrum non universis tantum praecellit hominibus quamquam sanctissimis, et ad praeclarissimum quemdam gloriae splendorem evectis; sed ipsis quoque angelis celsior, sublimior, gloriosior, purior, sanctior, sacratior, venustior et pulcritudine potior existimanda est. Quod ne praeter fidem auctorita-

a) Can. sanct. in Acoluth. ad matut. apud Bolland. T. II. Iunii pag. L. C. Μνήμην δικαίων ὁ θεόφρων σύλλογος μετ' ἐγκωμίων τελεῖ, οἷς ἡ Θεοῦ μήτηρ, ὡς αὐτῶν κεφάλαιον εἰκότως συνδοξάζεται, τελευταίαν καὶ πρώτην καὶ μέσην τάξιν ἐπέχουσα, καὶ τῆς εὐφημίας μετέχουσα.

1) Luc. I. 15.

2) De civ. Dei lib. XXII. cap. I. n. 2.

temque maiorum scripsisse videar, singula quaeque idoneis eorumdem testimoniis comprobabo.

336. Itaque Deiparam esse angelis sublimiorem, celsiorem potiorique gloria fulgentem inprimis tradit [a]) Gregorius nyssenus, qui explanans [1]) verba *invenisti gratiam apud Deum,* scribit: « Ne timeas [2]) Maria, invenisti enim gratiam apud Deum: super creaturam omnem pulcritudine excelluisti: super omnes homines splendida effecta es: super solem enituisti: *super angelos exaltata es.* Non suscepta es in caelo, sed degens in terra caelestem Dominum Regemque ad te ipsam attraxisti. » Tradit deinde [b]) Georgius nicomediensis qui angelos sic loquentes inducit: « Novum ac stupendum quod cernitur, nobisque ignotum: *femina apparet nobis vi intelligentiae superior:* in haec una invalida sunt nostrae naturae praeclara dona. » Tradit [c]) Modestus hierosolymitanus Antistes, qui illam dicit « Beatam ab angelis et hominibus celebratam in gloriam eius, qui *super caelestes et terrestres ordines eam magnificavit.* » Tum [d]) subdit angelos missos « Ad eam, *quae tum ipsis, tum omnibus caelestibus Potestatibus* [3]) *superior est.* » Consonat [e]) Gregorius antiochenus, cui Deipara est *caelestibus superior ordinibus.* Consonat [f]) Andreas cretensis inquiens: « Divinitus sapientes genitores (Ioachimus et Anna) rece-

a) Orat. in Deiparae annunciat. apud Nicodemum pag. 214. *Μὴ φοβοῦ Μαριάμ· εὗρες γὰρ χάριν παρὰ τῷ θεῷ· ὑπὲρ τὴν κτίσιν ἐκαλλωπίσθης· ὑπὲρ τοὺς ἀνθρώπους ἐφαιδρύνθης· ὑπὲρ τὸν ἥλιον ἔλαμψας· ὑπὲρ τοὺς ἀγγέλους ὑψώθης· οὐκ ἀνελήφθης εἰς οὐρανούς, ἀλλ' ἐπὶ τῆς γῆς ἱσταμένη τὸν οὐράνιον δεσπότην καὶ βασιλέα ἐπεσπάσω πρὸς σεαυτήν.*

b) Orat. in Deiparae ingressum in Templum pag. 1118. A. apud Combefisium Auctar. T. I. *Παράδοξον τὸ βλεπόμενον, καὶ ἡμῖν ἀγνοούμενον· γυνὴ τῆς ἡμῶν νοήσεως κρείττων ὁρᾶται· ἐν ταύτῃ μόνῃ τὰ τῆς ἡμετέρας φύσεως ἐξησθένησε πλεονεκτήματα.*

c) Encom. in Deiparam pag. 20. B. *Μακαριζομένην ὑπὸ ἀγγέλων καὶ ἀνθρώπων εἰς δόξαν τοῦ μεγαλύνοντος αὐτὴν ὑπὲρ τὰ οὐράνια καὶ ἐπίγεια τάγματα.*

d) Ibid. pag. 36. D. *Πρὸς τὴν ὑπερτέραν αὐτῶν, καὶ πασῶν τῶν οὐρανίων δυνάμεων.*

e) Tragoed. Christ. pat. v. 2605. *Οὐρανίων ταγμάτων ὑπερτέρα.*

f) Antholog. die VII. Septembris Ode ϛ'. pag. 25. col. 1. B. *Ἐδέξαντο οὐράνιον δῶρον ἀξιόθεον τῆς θεομήτορος οἱ θεόφρονες γεννήτορες, αὐτῶν τῶν Χερουβὶμ ὑπέρτερον ὄχημα, τὴν τοῦ λόγου καὶ κτίστου λοχεύτριαν.*

1) Luc. I. 30.

2) Haec eadem leguntur in oratione Chrysostomo adscripta pag. 839. D. opp. T. XI., neque aliud animadvertitur discrimen, nisi quod pro *ὑπὲρ τοὺς ἀνθρώπους ἐφαιδρύνθης*, in ea habetur *ὑπὲρ τοὺς οὐρανοὺς ἐφαιδρύνθης*.

3) Eodem praeconio Virginem Modestus ornat inquiens pag. 18. A.: *καὶ γέγονεν ἐν τῇ τῶν οὐρανῶν βασιλείᾳ ἡ ἀνωτέρα τῶν Χερουβὶμ καὶ Σεραφίμ, ἀναδειχθεῖσα ἀληθῶς ὡς μήτηρ τοῦ δεσπότου αὐτῶν.* *Fuit autem in caelorum regno superior Cherubim et Seraphim, vere facta mater Domini eorum.*

perunt caeleste donum Deo dignum Dei matrem, *currum ipsis Cherubim celsiorem*, et Verbi atque Creatoris puerperam. » Consonat [a]) Georgius qui ad eam clamat: « Tu, o innocentissima, *sublimius es caelis templum.* » Consonat [b]) Theophanes qui sic habet: « Tu o Dei genitrix, *Cherubim atque Seraphim superior* [1]) *apparuisti:* tu namque sola, o inviolata, in tuo sinu incomprehensibilem Deum recepisti: quare quotquot sumus fideles te, o innocens, beatam hymnis celebramus. » Consonat [c]) Iosephus inquiens: « Sacris vocibus beatum celebremus illibatum Dei tabernaculum, animatam arcam, martyrum gloriam, *Cherubim universaque creatura potiorem.* » Et [d]) rursum: « Te, o inviolata, *superiorem intelligibilibus angelis* [2]) ostendit Deus tuum ingressus sinum undequaque immaculatum. » Consonant Graeci [e]) in Paracletice: « Regina Virgo aureo ornata vestitu nunc filio regi adstat *incomparabiliter superior* [3]) *angelis clamantibus*, gloria, o Christe, virtuti tuae. » Consonant [f]) in quadragesimali Officio: « Qui ex te, o veneranda, genitus est te *angelis* effecit *sublimiorem;* gestas namque, o innocens, in ulnis, ut filium tuum in quem illi utpote Deum respicere formidant. » Consonant [g]) in acoluthia ad maiores Vespe-

a) Antholog. die XXI. Novembris Ode α'. pag. 129. col. 1. B. Ὑπέρτερος, πάναγνε, τῶν οὐρανῶν χρηματίσασα ναός.

b) Antholog. die XXVIII. Ianuarii Ode γ'. pag. 341. col. 2. D. Τῶν Χερουβὶμ καὶ Σεραφὶμ ἐδείχθης ὑψηλοτέρα, Θεοτόκε· σὺ γὰρ μόνη ἐδέξω τὸν ἀχώρητον Θεὸν ἐν σῇ γαστρὶ, ἀμόλυντε· διὸ πιστοὶ σὲ πάντες ὕμνοις, ἁγνὴ, μακαρίζομεν.

c) Men. die III. Septembris Ode η'. pag. 27. col. 1. A. Ἱεραῖς ἐν φωναῖς μακαρίσωμεν τοῦ Θεοῦ τὴν σκηνὴν τὴν ἀμόλυντον, τὴν κιβωτὸν τὴν ἔμψυχον, τῶν μαρτύρων τὴν δόξαν, τὴν ἀνωτέραν Χερουβὶμ καὶ ἁπάσης τῆς κτίσεως.

d) Men. die VI. Septembris Ode ε'. pag. 43. col. 2. C. Νοερῶν ἀγγέλων σε ἀνέδειξε Θεὸς ἀνωτέραν, καθυποδὺς τὴν σὴν μήτραν, ἄχραντε, τὴν παναμώμητον.

e) Paraclit. pag. 177. col. 1. C-D. Ἡ βασίλισσα παρθένος διαχρύσῳ στολίσματι ὡραϊζομένη υἱῷ βασιλεῖ νῦν παρίσταται, ἡ ἀσυγκρίτως ἀγγέλους ὑπερέχουσα τοὺς κραυγάζοντας· δόξα Χριστὲ τῇ δυνάμει σου.

f) Offic. Quadrag. Fer. VI. Heb. III. Ieiun. Ode ς'. pag. 262. Τῶν ἀγγέλων ἀνωτέραν ὁ ἐκ σοῦ τεχθεὶς σὲ ἔδειξε, σεμνή· ὃν γὰρ ἐκεῖνοι τρέμουσιν ὡς θεῷ ἀτενίσαι σὺ ἀγκαλίζῃ ὡς υἱόν σου, ἁγνή.

g) Apud Bolland. T. II. Iunii pag. XXXVII. F. Τὴν τῶν παρθένων καλλονὴν καὶ χαρ-

1) Similia ex Theophane referuntur in Menaeis die XIX. Aprilis Ode ς'. pag. 77. col 1. A. ubi Virgo audit, χερουβικῶν ταγμάτων κόρη ὑπερέχουσα, *puella cherubicis ordinibus superior*; et die XXX. Ode γ'. pag. 125. col. 2. C. ubi de ipsa dicitur, τῶν Χερουβὶμ καὶ Σεραφὶμ ἐδείχθης ὑψηλοτέρα, Θεοτόκε, *o Deipara apparuisti Cherubim atque Seraphim excelsior.*

2) In Menaeis die VI. Septembris Ode ς'. pag. 44. col 1. A. Iosephus Deiparam invocans ait; ἀγγελικῶν δυνάμεων, παρθένε, ὑπερέχουσα, *tu, o Virgo, angelicis potior virtutibus.*

3) Haec iis illustrantur quae plane gemina habentur in Paraclit. pag. 285. col. A-B.

ras: « Virginum decus mentiumque laetitiam, solam Deiparam, firmumque fidelium vallum, o celebritatum amatores, modulatis praeconiis efferamus dicentes: salve Virgo mater innocens, candelabrum lucens ut aurum et porta caelestis. Salve tabernaculum sanctificationis, salve o penitus intaminata, cuius uterus fuit [1]) capax Dei. Salve quae es *cunctis caeli ordinibus sine ulla comparatione superior.* » Consonat [a]) Theodorus studites in iambis: « Quod mater es Dei, *angelis* [2]) *superemines*. Nam contueri quem verentur angeli, hunc ipsa puris filium manibus geris. » Et ipse quoque conspirat [b]) vulgatus neocaesariensis Gregorius qui Deiparam vocat *gloriosissimam inter angelos*.

337. Neque vero patres taciti praetereunt eos veluti gradus, quibus Deipara ad tantam super angelos gloriam dignitatemque pervenit; sed illos potius explicant luculenterque demonstrant. Quamquam enim singularis adeo eximiaeque praestantiae basis ac fundamentum divina maternitate contineatur, quod [c]) Iohannes damascenus his verbis expressit: *o miraculum omnibus miraculis excellentius! Mulier sublimior Seraphim effecta est, quia Deus visus est* [3]) *Angelis paulominus minoratus;* ea nihilominus superna charismata cum divina maternitate iuncta fuerunt atque conserta, quae viam ad tantae

μονὴν τῶν νοῶν, τὴν μόνην Θεοτόκον, καὶ τῶν πιστῶν ἀῤῥαγὲς περιτείχισμα, συνελθόντες ὦ φιλέορτοι, ᾀσματικοῖς ἐγκωμίοις ὑμνήσωμεν λέγοντες· χαίροις παρθενομῆτορ ἁγνὴ, λυχνία χρυσαυγὴς, καὶ πύλη ἐπουράνιε· χαίροις σκηνὴ ἁγιάσματος, ἡ τὸν Θεὸν χωρήσασα ἐν μήτρᾳ σου, πανάχραντε· χαίροις τῶν οὐρανίων ταγμάτων ὑπερτέρα ἁπάντων ἀσυγκρίτως.

a) Apud Sirmondum opp. T. V. pag. 762.

Σὺ τὸν Θεὸν τεκοῦσα, προὔχεις ἀγγέλων.
Ὃν οὐ δύνανται καὶ γὰρ αὐτοὶ προσβλέπειν,
Ὡς υἱὸν αὐτὴ χερσὶν ἀχράντοις φέρεις.

b) Orat. II. in Deiparam pag. 18. A. Τὴν ὑπερένδοξον ἐν ἀγγέλοις.

c) Orat. in Deiparam pag. 848. B. Ὢ θαῦμα πάντων θαυμάτων ὑπέρτερον· (al. καινότατον) γυνὴ ἐπάνω τῶν Σεραφὶμ γέγονεν, ὅτι Θεὸς ὤφθη βραχύ τι παρ' ἀγγέλους ἐλαττώμενος.

1) Quibus verbis penitissimus aperitur nexus inter omnimodam Virginis innocentiam eiusque divinam maternitatem. Quaerenti enim qui factum sit ut Virgo digna haberetur quae *in sinu suo* Deum comprehenderet, hoc unum reponitur, quod ipsa fuerit πανάχραντος *omni ex parte immaculata.*

2) Graeci schismatici in criminationibus adversus Latinos apud Cotelerium T. III. pag. 507. tam his quam Armeniis non citra calumniam vitio vertunt quod deprimant Virginem τὴν ἀνωτέραν τῶν Χερουβίμ, *Cherubinis superiorem*. De qua Petrus Damiani opp. T. IV. pag. 9. col. 1. C. canit:

» Assumpta super angelos
» Excedit et archangelos,
» Cuncta sanctorum merita
» Transcendit una femina

3) Hebr. II. 9.

sublimitatis assequendum fastigium insternerent. Et consertum inprimis fuit eiusmodi sanctitatis donum, quo *Virginem angelis sanctiorem* uno ore patres contestantur. Praeclare [a]) Iosephus confessor: « Tu, o puella sanctissima, quae Sanctum sanctorum peperisti, nata es [1]) *angelis sanctior.* » Et [b]) rursum: « Apparuisti *incomparabiliter sanctior cunctis supernis Virtutibus.* » Et [c]) alibi: « *Supernis Virtutibus sanctior*, o cuiusvis inscia labis, apparuisti: Deum enim [2]) quem incorporei ordines cum tremore glorificant, tu corpore induisti. » Quibus ista respondent [d]) ex Anthologio: « *Sanctior angelis* et universa creatura nunc parit Angelum magni consilii paterni. » Tum haec [e]) ex Paracletice: « O Virgo, *sanctior Cherubim* apparuisti, ut quae Deum sanctissimum pepereris; tu nos omnes sanctifica qui fide exciti sanctis vocibus te die ac nocte sanctam celebramus. » Atque ista pariter [f]) ex Menaeis: « Quibus labiis nos miseri beatam celebrabimus Deiparam? Honorabiliorem omnibus creaturis, et *san-*

a) Men. die XVIII. Augusti Ode η'. pag. 106. col. 2. B. Ἁγιωτέρα πέφυκας τῶν ἀγγέλων κυήσασα, κόρη παναγία, τῶν ἁγίων ἅγιον.

b) Men. die XV. Decembris Ode ζ'. pag. 125. col. 1. A. Ἁγίων ἁγιωτέρα ἐπουρανίων δυνάμεων ἀσυγκρίτως πασῶν ἀνεδείχθης.

c) Men. die VII. Februarii Ode ζ'. pag. 43. col. 2. A. Ὡράθης, πανάμωμε, ἁγιωτέρα τῶν ἄνω δυνάμεων· Θεὸν γὰρ ἐσωμάτωσας, ὃν τάξεις ἀσώματοι φόβῳ δοξάζουσι.

d) Antholog. Ode γ'. pag. 200. col. 1. C. Ἡ ἁγιωτέρα τῶν ἀγγέλων καὶ πάσης τῆς κτίσεως, βουλῆς μεγάλης τῆς πατρῴας νῦν τὸν ἄγγελον τίκτει.

e) Paraclit. pag. 293. col. 2. B. Φανεῖσα τῶν Χερουβὶμ ἁγιωτέρα, παρθένε, ὡς τὸν Θεὸν τεκοῦσα τὸν ὑπεράγιον, πάντας ἡμᾶς καθαγίασον τοὺς ἐν φωναῖς ἁγίαις πίστει ἐν νυκτὶ καὶ ἡμέρᾳ σὲ ἁγιάζοντας.

f) Men. die XV. Augusti pag. 79. col. 1. B-C. Ποίοις οἱ εὐτελεῖς χείλεσι μακαρίσωμεν τὴν θεοτόκον; τὴν τιμιωτέραν τῆς κτίσεως, καὶ ἁγιωτέραν ὑπάρχουσαν Χερουβὶμ καὶ

1) Quum φύω ex aequo valeat *gigno* et *nascor*, ac utramque ex aequo nativitatem *in sinu* atque *ex sinu* complectatur; nihil impedit quominus phrasis, ἁγιωτέρα πέφυκας τῶν ἀγγέλων, reddatur *genita es angelis sanctior*. Quam profecto interpretationem iuvat I. titulus τῆς παναγίας *penitus sanctae* tributus Deiparae: iuvat II. compertissima Iosephi sententia de immaculato Virginis conceptu: et III. iuvat receptus apud maiores loquendi usus, quo *nativitatis* vocabulum indiscriminatim adhibuerunt, ut originem tam *in sinu* quam *ex sinu* declararent.

2) E re fuerit nexum animadvertere inter duo incisa, ὠράθης ἁγιωτέρα τῶν ἄνω δυνάμεων, *apparuisti sanctior supernis virtutibus*, et Θεὸν γὰρ ἐσωμάτωσας, *Deum enim carne induisti.* Hoc namque posteriore inciso effertur ratio propter quam Virgo credi debet angelis sanctior, ac si diceretur: ea Virginis debet esse sanctitas quae cum divina maternitate consentiat. Consentire autem cum hac nequit nisi sit maxima, et humanos praetergressa fines ipsam quoque angelicam sanctitatem tantum excedat, quantum dignitas matris Dei angelicam dignitatem vincit et superat. Ad quem excessum prae angelica sanctitate haec item pertinent, quae ex eodem Iosepho in Menaeis die XIII. Aprilis Oda ϛ'. pag. 55. col 1. D. leguntur: ἁγιωτέρα τῶν στρατευμάτων, καὶ Χερουβὶμ ὑπερτέρα, μῆτερ Θεοῦ, χρηματίζουσα τῶν παθῶν τῆς σαρκός με ὑπέρτερον ποίησον. *O Dei mater sanctior supernis exercitibus et Cherubim sublimior, fac ut ego vitiis carnis sim superior.*

ctiorem Cherubim angelisque universis: immotum Regis thronum, domum in qua Altissimus inhabitavit, mundi salutem, Deique sanctuarium. » Suffragatur [a]) Modestus hierosolymitanus de Virgine scribens: « Etenim quae proprie et vere Dei mater est, divinitus est [1]) sanctificata, *Cherubim et Seraphim sanctior et gloriosior.* » Et ipse pariter suffragatur [2]) Engelbertus abbas admontensis, qui ex subditiciis Ignatii litteris colligit: « Duodecimo commendat *(Pseudo-Ignatius)* in beata Virgine gratuitae perfectionis universalem excellentiam, quam habuit *respectu angelorum* et hominum, cum dicit: quod in Maria *Iesu humanae naturae natura sanctitatis angelicae sociatur.* Excedit enim perfectiones omnium *tripliciter,* videlicet *generalitate, singularitate* et *dignitate. Primo* quidem *generalitate,* quia gratia quae per partes aliis vel hominibus vel angelis est distributa, Mariae simul totaliter est infusa. Luc. I. *ave gratia plena.* Anselmus: *ille Spiritus qui aliis sanctis singulis singula sua dona dedit, dividens singulis prout voluit, nihil tibi divisit, nihil ex parte dedit, cui Deus totus totum se dedit. Secundo* excellit *singularitate,* quia soli Mariae singulari dono respectu omnium mulierum et omnium hominum et etiam angelorum, matrem Dei fieri et esse contulit: in quo privilegio sibi multas gratias singulariter hanc gratiam consequentes infudit. Bernardus: *cui soli Deus Pater ut matri Filium suum dedit; quomodo non cum illo omnia ei simul donavit? Tertio* excellit *dignitate,* quia secundum Philosophum, quidquid est magnum in magno, est inter omnia magna maximum; ipsa vero Virgo beata excellit omnes dignitates, quae digna fuit mater Dei esse, quod est omnibus donis dignissimum. Ergo perfectio et plenitudo gratiarum et virtutum ipsius excedit in dignitate perfectiones omnium angelorum et hominum. Bernardus super illud Eccl. XXIV. *in plenitudine sanctorum detentio mea. Merito, inquit, in plenitudine sanctorum eius*

πάντων τῶν ἀγγέλων· τὸν θρόνον τοῦ βασιλέως τὸν ἀσάλευτον· τὸν οἶκον ἐν ᾧ κατῴκησεν ὁ ὕψιστος· τὴν σωτηρίαν τοῦ κόσμου· τοῦ Θεοῦ ἁγίασμα.

a) Encom. in Deipar. pag. 2. Καὶ γὰρ ὡς οὔσης θεόθεν ἡγιασμένης τῆς κυρίως καὶ ἀληθῶς θεοτόκου· τῶν Χερουβὶμ καὶ Σεραφὶμ ἁγιωτέρας καὶ ἐνδοξοτέρας.

1) Quaeri potest quo sanctificationis modo dicatur Virgo *divinitus sanctificata.* Responderi autem debet, eo sanctificationis modo fuisse ipsam sanctificatam, qui deceret τὴν κυρίως καὶ ἀληθῶς θεοτόκον, *veram propriamque Dei genitricem,* et propter quem ipsa merito crederetur τῶν Χερουβὶμ καὶ Σεραφὶμ ἁγιωτέρα, *Cherubim et Seraphim sanctior.*

2) Tract. de gratiis et virtutt. Deiparae, P. II. cap. XII. pagg. 584-585. apud Pezium in Thesaur. anecdot. T. I. P. I.

erat detentio, cui nec puritas angelorum, nec fides patriarcharum, nec spes prophetarum, nec zelus apostolorum, nec constantia martyrum, nec sobrietas confessorum, nec castitas virginum, nec fecunditas coniugatorum defuit. »

338. Alterum succedit donum cum divina maternitate consertum, quo *Virginem angelis sacratiorem purioremque* habendam esse Patres depraedicant. Et depraedicant enimvero ubi [a]) aiunt: « Apparuisti, o Deipara perfecte immaculata, *sacratior supermundano angelorum ordine.* » Itemque depraedicant ubi [b]) subdunt: « Quae Christum genuit Virgo mater, *Cherubim et Seraphim* [1]) *vere purior.* » Succedit nicomediensis Georgius [c]) qui Angelis de Deipara loquentibus haec verba adscribit: « In corpore existens, *nostram excessit puritatem.* » Consonat [d]) Basilius pegoriotes inquiens: « Qui sumus fideles, agamus spiritalem diem festum pie extollentes Dei matrem: est enim *ipsa purior supernis mentibus.* » Itemque consonat [e]) Petrus siculus qui perennem Deiparae virginitatem hoc argumento confirmat: « Quomodo Deus Verbum suam secundum carnem matrem aliorum quoque liberorum nutricem toleravisset? Vel quomodo denique sanctissima Virgo, *cuius anima et caro super caelestes Virtutes purificata fuerat,* quomodo inquam id quod horreo dicere, passa fuisset? »

339. Ex his porro repetendum est, quod *Deipara angelis lucidior, venustior, pulcriorque* dicatur. Et lucidior quidem ab Iohanne

a) Antholog. die XXV. Novembris Ode η'. pag. 140. col. 1. B. et Paraclit. pag. 415. col. 1. C. Ἱερωτέρα πέφηνας, Θεοτόκε πανάμωμε, τῆς ὑπερκοσμίου τῶν ἀγγέλων τάξεως.

b) Comm. ex tribus PP. in Cant. cantic. pag. 696. apud Gallandium T. VI. Ἡ τὸν Χριστὸν γεννήσασα παρθενομήτωρ· ἡ Χερουβὶμ καὶ Σεραφὶμ ὄντως καθαρωτέρα.

c) Orat. in Deiparae ingress. in Templum pag. 1118. C. apud Combefisium Auctar. T. I. Ἐν σώματι τελοῦσα, τὴν ἡμῶν ὑπερῆρε καθαρότητα.

d) Antholog. die XXI. Novembris Ode ϛ'. pag. 132. col. 1. A. Ἑορτάσωμεν πιστοὶ ἑορτὴν πνευματικὴν, τὴν μητέρα τοῦ Θεοῦ ἀνυμνοῦντες εὐσεβῶς· ὑπάρχει γὰρ καθαρωτέρα οὐρανίων νοῶν.

e) Cont. Manich. sect. II. n. 9. pag. 73. apud Mai in nova pp. Biblioth. T. IV. P. I. Πότε ὁ θεὸς λόγος ἠνέσχετο ἵνα ἡ κατὰ σάρκα μήτηρ αὐτοῦ καὶ ἄλλων τιθηνὸς γενήσεται; ἢ πότε ἡ παναγία παρθένος, ἡ ψυχὴν καὶ σῶμα ὑπὲρ τὰς οὐρανίας δυνάμεις κεκαθαρμένη, φρίττω εἰπεῖν, τοῦτο κατεδέξατο;

1) Sed quomodo *vere purior Cherubim et Seraphim*, si primum immunda fuit, neque antea nituit quam mundaretur? numquam ergo labem contraxit, et numquam peccati maculis sorduit.

damasceno [a]) appellatur his verbis: « Ave Dei domus divinis splendoribus effulgens: *domus gloria Domini plena, praeque ignitis Seraphim spiritu lucidior.* » Itemque appellatur [b]) ab Iosepho hymnographo qui Virginem exorans ait: « O Dei genitrix et Cherubim et Seraphim et universo caelesti exercitu *splendidior,* cum his deprecare Deum Verbum Patris sempiterni quod carne, o undequaque immaculata, induisti, ut nos omnes sempiternis bonis dignos habeat. » Venustiorem dicit [c]) Theophanes scribens: « Supra omnem angelorum pulcritudinem *venustate excelluisti.* » Eodemque titulo ornatur [d]) in Paracletice, ubi legimus: « Esto mihi praesidium, o labis omnis exsors, *quae pulcritudine angelorum choros incomparabiliter superasti.* »

340. Hinc infrequens haud est in maiorum libris testimonia reperire, quibus Virgo *celsior, sanctior, purior et gloriosior angelis simul atque coniunctim celebratur.* Ad hanc profecto classem ista pertinent [e]) ex Iohanne damasceno: « Ave [1]) vere gratia plena, ave quoniam *Angelis tu sanctior* es, et *Archangelis praestantior, Thronis admirabilior, Dominationibus dominantior, et maioris quam Virtutes virtutis.* Ave gratia plena, quae *Principatibus superior* es, *Potestatibus sublimior, speciosior Cherubim, augustior Seraphim,* caelis excelsior et sole quem conspicimus purior. » Ad hanc classem ista pertinent [f]) ex Iosepho hymnographo: « Supernis exercitibus *sanctior,* et Cherubim sublimior, o Dei mater, me carnis cupidinibus

a) Orat. in Deipara pag. 834. C-D. Χαῖρε οἶκος Θεοῦ, ὁ θείαις ἀγλαΐαις ἐκλάμπων· δόμος ἡ πλήρης δόξης κυρίου, καὶ τῶν πυρίνων Σεραφὶμ φωτοειδεστέρα ἐν πνεύματι.

b) Triod. pag. 14. col. 1. E. Τῶν χερουβὶμ φανεῖσα καὶ σεραφὶμ, Θεοτόκε, καὶ πάσης λαμπροτέρα ἐπουρανίου στρατίας· σὺν τούτοις ἐκδυσώπει ὅνπερ ἐσωμάτωσας Θεὸν λόγον, πανάμωμε, ἀνάρχου πατρός· ὅπως τῶν ἀγαθῶν τῶν αἰωνιζόντων πάντες ἀξιωθῶμεν.

c) Men. die XI. Martii Ode δ'. pag. 50. col. 1. D. Ὡραιώθης ὑπὲρ πᾶσαν τῶν ἀγγέλων εὐπρέπειαν.

d) Paraclit. pag. 231. col. 1. B. Γενοῦ μοι προστασία, πανάμωμε, ἡ τῶν ἀγγέλων χορείας τῷ κάλλει ἀσυγκρίτως νικήσασα.

e) Orat. in annunciat. Deiparae pag. 838. E. Χαῖρε ὄντως κεχαριτωμένη, χαῖρε ὅτιπερ ἁγιωτέρα σὺ τῶν ἀγγέλων, καὶ τιμιωτέρα τῶν ἀρχαγγέλων, θαυμασιωτέρα σὺ τῶν θρονῶν, κυριωτέρα σὺ τῶν κυριοτήτων, καὶ δυνατωτέρα σὺ τῶν δυνάμεων· χαῖρε κεχαριτωμένη, ὅτι ὑπερτέρα σὺ τῶν ἀρχῶν, ἀνωτέρα σὺ τῶν ἐξουσιῶν, καλλιωτέρα σὺ τῶν Χερουβὶμ, ὑψηλοτέρα σὺ τῶν οὐρανῶν, καὶ καθαρωτέρα σὺ ὑπὲρ τὸν φαίνοντα ἥλιον.

f) Men. die XIII. Aprilis Ode η'. pag. 55. col. 1. C. Ἁγιωτέρα τῶν ἄνω στρατευ-

1) Luc. 1. 28.

superiorem efficito. » Ad hanc ista [a]) ex Anthologio: « Te vere Deiparam magnificamus, quae [1]) *honorabilior* es Cherubim, Seraphim *incomparabiliter gloriosior,* quaeque incorrupta Deum Verbum peperisti. » Et ad hanc ista quae [b]) ex Paracletice habentur: « Tu *sanctior* Cherubim, tu caelis *excelsior,* o celebratissima: te vere Deiparam confitentes, praesidium peccatores habemus. »

341. Iamvero immaculatus Deiparae conceptus cum hac multiplici prae Angelis excellentia tam intime cohaeret, ut ne cogitando quidem ab ea divelli posse videatur. Sane verissimum est quod de angelis [c]) Basilius scripsit: « Non enim velut infantes creati primum angeli, deinde consummati, procedente paullatim exercitatione digni facti sunt qui Spiritum reciperent; sed *in prima constitutione* ac veluti massa substantiae ipsorum una insitam habuere sanctitatem. » Ut enim alibi [d]) docet, angeli voluntate Patris conditi et efficientia Filii, Spiritus sancti praesentia fuerunt perfecti. *Perfectio autem angelorum est sanctificatio.* » Illos namque, ut Augustinus [2]) monet, cum bona voluntate, idest, cum amore casto quo illi adhaerent, Deus creavit, *simul in eis et condens naturam, et largiens gratiam.* » Atqui

μάτων, καὶ Χερουβὶμ ὑπερτέρα, μήτηρ Θεοῦ χρηματίζουσα, τῶν παθῶν τῆς σαρκός με ὑπέρτερον ποίησον.

a) Antholog. die XXIII. Decembris Ode θ'. pag. 226. col. 2. D. Τὴν τιμιωτέραν τῶν Χερουβὶμ, καὶ ἐνδοξοτέραν ἀσυγκρίτως τῶν Σεραφὶμ, τὴν ἀδιαφθόρως Θεὸν λόγον τεκοῦσαν, τὴν ὄντως Θεοτόκον σὲ μεγαλύνομεν.

b) Paraclit. pag. 229. col. 2. A. Ἁγιωτέρα τῶν Χερουβὶμ, ὑψηλοτέρα τῶν οὐρανῶν, πανύμνητε· Θεοτόκον σὲ ἐν ἀληθείᾳ ὁμολογοῦντες ἔχομεν ἁμαρτωλοὶ προστασίαν.

c) Hom. in Ps. XXXII. n. 4. pag. 136. Οὐ γὰρ νήπιοι κτισθέντες οἱ ἄγγελοι, εἶτα τελειωθέντες τῇ κατ' ὀλίγον μελέτῃ, οὕτως ἄξιοι τῆς τοῦ πνεύματος ὑποδοχῆς γεγόνασι· ἀλλ' ἐν τῇ πρώτῃ συστάσει, καὶ τῷ οἱονεὶ φυράματι τῆς οὐσίας αὐτῶν συγκαταβληθεῖσαν ἔσχον τὴν ἁγιότητα.

d) De Spiritu sancto cap. XVI. pag. 32. Ὥστε βουλήματι μὲν τοῦ πατρὸς τὰ λειτουργικὰ πνεύματα ὑπάρχειν, ἐνεργείᾳ δὲ τοῦ υἱοῦ εἰς τὸ εἶναι παράγεσθαι, παρουσίᾳ δὲ τοῦ πνεύματος τελειοῦσθαι· τελείωσις δὲ ἀγγέλων, ἁγιασμός.

1) Eadem laude ornatur Deipara in Triodio pag 503. col. 1. A-B. Τιμιωτέρα τῶν ἐνδόξων χερουβὶμ ὑπάρχεις παναγία παρθένε· ἐκεῖνα γὰρ τὴν θείαν μὴ φέροντα ἔλλαμψιν, πτέρυξι κεκαλυμμένῳ, προσώπῳ, την λειτουργίαν ἐκτελοῦσιν· αὐτὴ δὲ σεσαρκωμένον τὸν λόγον αὐτόπτως ὁρῶσα φέρεις· ὃν ἀπαύστως ἱκέτευε ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ἡμῶν. *Honorabilior tu es gloriosis Cherubim, o Virgo sanctissima: illi enim non ferentes divinum splendorem, obtecto alis vultu, suo funguntur ministerio; sed tu incarnatum Verbum tuis usurpans oculis gestas. Illud incessanter pro animabus nostris deprecare.* Neque aliter in Paracletice. pag. 285. col 2. D. Ὑπάρχουσα ἀγγέλων τιμιωτέρα Θεὸν τὸν ἅγιον τετοκας ὑπερβαλλόντως ἁγιασθεῖσα, θεοτόκε παρθένε· διό μου την ψυχὴν καθαγίασον. *Quum sis, o Deipara Virgo, angelis honorabilior, Deum sanctum supra modum sanctificata peperisti; meam idcirco animam sanctifica.*

2) De civ. Dei lib. XII. cap. IX.

mira est Patrum conspiratio, qua Deiparam sanctiorem, puriorem, lucidiorem, venustioremque angelis profitentur. Quid igitur non tam inferri et colligi, quam propterea statui decernique debet? Nimirum numquam extitisse Deiparam nisi puram, numquam extitisse nisi sanctam, numquam nisi pulcram, numquam nisi Deo gratiosam et in qua sibi Deus summopere placeret. Quemadmodum enim intra naturae fines eam divinitus sortita est animam, quae foret, teste Georgio nicomediensi, ad intelligendum aptior et ad amandum valentior quovis spiritu angelico; ita intra ordinem supra naturam evectum *ἐν τῇ πρώτῃ συστάσει in ipsa prima constitutione* eiusmodi nacta est Spiritus copiam, qua omnibus purior sanctiorque angelis appareret.

ARTICULUS IV.

De loquutionibus comparatis quibus Deipara creaturis omnibus celsior, purior atque sanctior exhibetur.

342. Ex universis creaturis angeli dumtaxat hominesque reperiuntur, qui innocentia et sanctitate ornentur, quique splendeant dignitate et gloria quae puritatem sanctitatemque comitantur. Si quis igitur angelos pariter atque homines hisce nominibus superaverit, is omni creatura potior habeatur oportet. At vero una est Patrum sententia disertis iteratisque confirmata suffragiis, qua Deipara angelis aeque ac hominibus celsior, sublimior, purior, sanctiorque celebratur. Eorumdem igitur mens fuit ratumque iudicium, nullam esse visibilem, nullamque invisibilem creaturam, cuius dignitatem, innocentiam, sanctitatemque non longissime Deipara praetergrediatur. Cuius quidem mentis statique iudicii, incredibile dictu est quot diserti suppetant testes, quotve promi possint luculentissima testimonia.

343. Sane Deiparam creaturis omnibus *superiorem* docet [a]) his verbis Theophanes: « Creaturis omnibus, o innocens, invisibilibus et visibilibus apparuisti superior: creatorem [1]) namque, o penitus

a) Men. die XXVIII. Octobris Ode α'. pag. 169. col. 2. D. *Τῶν κτισμάτων πέφηνας, ἁγνὴ, πάντων ἀοράτων τε καὶ ὁρατῶν ὑπερτέρα, πανάμωμε· τὸν γὰρ κτίστην τέτοκας.*

1) Quibus repetitur inculcata toties caussa ac suprema veluti origo ornamentorum Virginis, eaque

immaculata, peperisti. Quod repetit [a]) subdens: « Vere tu, o prorsus innocens, ut superior apparuisti omnibus creaturis visibilibus iuxta et invisibilibus. » Et [b]) rursum: « O beatum par (Ioachim et Anna), vos genitoribus omnibus praecelluistis, quod ex vobis creatura reliquas omnes excedens [1]) germinaverit. » Quibus consona haec sunt [c]) ex Menaeis: « Etsi, o penitus innocens, natura omnis rationalis impar est tuis laudum praeconiis efferendis, tuis, inquam, quae Deum peperisti: es enim manifeste creatura omni superior. » Tum haec [d]) ex Anthologio: « Promissionis sanctae fructusque gloriosus quae vere Deipara est, apparuit mundo ut omnibus superior, et pie in Dei domum adducta genitorum preces explevit, divino Spiritu conservata. » Haec [e]) pariter ex acoluthia totius hebdomadae: « In te enim creator inhabitans, te, o Dei sponsa, *creaturarum omnium superiorem* minime adussit. » Itemque haec [f]) ex Georgio nicomediensi qui de Virgine scribit: « Hanc colito ut creatura omni visibili et invisibili superiorem. » Quare [g]) Basilius pegoriotes exclamat: « Vere, o innocens Virgo, tu omnibus superior existis. » Neque aliter [h]) Andreas cretensis inquiens: « Te, o Deipara illibata, omni creatura

a) Men. die XIII. Iulii Ode α'. pag. 57. col. 1. B. Τῶν κτισμάτων σὺ ὡς ἀληθῶς ὑπερτέρα πέφηνας τῶν ὁρατῶν καὶ ἀοράτων, πάναγνε.

b) Men. die XXV. Iulii pag. 123. col. 1. B. Ὦ μακαρία δυάς, ὑμεῖς πάντων γεννητόρων ὑπερήρθητε, ὅτι τῆς κτίσεως πάσης ὑπερέχουσαν ἐβλαστήσατε.

c) Men. die XXX. Augusti Ode θ'. pag. 168. col. 1. D. Εἰ καὶ ἡττᾶται, πάναγνε, λογικὴ πᾶσα φύσις πρὸς τῶν ἐγκωμίων ἔπαινον σοῦ Θεὸν τῆς τεκούσης· καὶ γὰρ σαφῶς ὑπερτέρα πάσης κτίσεως πέλεις κ. τ. λ.

d) Antholog. die XX. Novembris pag. 122. col. 2. C. Ἐπαγγελίας ἁγίας, καὶ ὁ καρπὸς εὐκλεὴς, ἡ θεοτόκος ὄντως, ἀνεδείχθη τῷ κόσμῳ, ὡς πάντων ὑπερτέρα, ἡ εὐσεβῶς προσαγομένη ἐν οἴκῳ Θεοῦ τὴν προσευχὴν τῶν τεκόντων ἀποπληροῖ, συντηρουμένη θείῳ πνεύματι.

e) Antholog. in Acoluth. totius hebd. pag. 102. col. 2. E. Ἐν σοὶ γὰρ ὁ πλαστουργὸς οἰκῶν οὐκ ἔφλεξε σὲ τὴν ἀνωτέραν ἁπάντων τῶν ποιημάτων, θεονύμφευτε.

f) Orat. in Deiparae ingress. in Templum pag. 1102. A. apud Combefisium Auctar. T. I. Ταύτην προσκύνησον, ὡς ἀνωτέραν οὖσαν πάσης ὁρατῆς καὶ ἀοράτης κτίσεως.

g) Antholog. die XX. Novembris Ode θ'. pag. 134. col. 2. C. Ὄντως ἀνωτέρα πάντων ὑπάρχεις, παρθένε ἁγνή.

h) Antholog. die VIII. Septembris Ode γ'. pag. 23. col. 2. C. Σὲ ἀνωτέραν πάσης

non aliunde quam ex divina ipsius maternitate derivanda. Est ipsa quidem crediturque τῶν κτισμάτων ὑπερτέρα τῶν ὁρατῶν καὶ ἀοράτων, *creaturis conspicuis atque invisibilibus superior*; sed ad tantam celsitudinem evecta idcirco est, quod illa foret cum divina maternitate coniuncta.

1) *Germinavit* ergo Maria reliquis potior creaturis. Sed qui posset tantum decus eidem adscribi, si germen labe corruptum prodiisset?

superiorem demonstrans Filius tuus, tuam ex Anna nativitatem extollit, omnesque hodie gaudio replet. » Proclus vero [a]) sic habet: « Nihil itaque [1]) in mundo eiusmodi est qualis Dei genitrix Maria. Cunctas res creatas, o homo, cogitatione percurre ac perspice, num quidquam sanctae Virginis ac Dei genitricis Mariae aequale sit, aut ipsa fortasse maius. » Hinc in Officio Exsequiarum [b]) legimus: « Omni creatura superior facta es, o immaculatissima, concepto Deo qui portas inferi contrivit, et eius vectes confregit: proinde te fideles celebramus, o innocens, ut Dei matrem. »

344. Cum hoc excellentiae dignitatisque primatu alter cohaeret *honoris et gloriae, quo Deipara omnibus gloriosior creaturis honoratiorque* censetur. Et eiusmodi profecto illam censuit [c]) Georgius nicomediensis, qui angelos cum Anna his verbis colloquentes exhibet: « Annunciabitur terrarum orbi celebratissima eius gloria, sola eius celeberrima fructificatio, *illustrissima creatorum gloriatio et decus.* » Eiusmodi illam censuit [d]) Iohannes damascenus inquiens: « Vere facta es omni creatura honoratior. » Eiusmodi illam censuit [e]) Iacobus monachus qui Deiparam dicit « Super universas creaturas incomparabiliter glorificatam. » Neque aliud de ea tulerunt iudicium Didymus alexandrinus et Ephraemus: ab illo namque [f]) Maria dicitur *omnibus honoratior et maxime inclyta;* ab hoc vero [2]) salutatur *re-*

κτίσεως θεοτόκε δεικνύων ἄχραντε ὁ υἱός σου, τὴν ἐξ Ἄννης μεγαλύνει σου γέννησιν, καὶ πάντας εὐφραίνει σήμερον.

a) Orat. V. in Deiparam §. II. pag. 630. C. apud Gallandium T. IX. Οὐδὲν τοίνυν ἐν βίῳ οἷον ἡ θεοτόκος Μαρία· περίελθε δὴ, ὦ ἄνθρωπε, τὴν κτίσιν τῷ λογισμῷ, καὶ βλέπε εἰ ἔστιν ἴσον ἢ μεῖζον τῆς ἁγίας καὶ θεοτόκου παρθένου.

b) Euchołog. pag. 531. D. Ὑπερτέρα πάσης κτίσεως, παναμωμε, γέγονας συλλαβοῦσα θεὸν τὸν συντρίψαντα τοῦ θανάτου πύλας, καὶ μοχλοὺς συνθλάσαντα· ὅθεν σὲ, ἁγνὴ, ὑμνολογοῦμεν οἱ πιστοὶ, ὡς θεομήτορα.

c) Orat. in concept. Deiparae pag. 1034. C. apud Combefisium Auctar. T. I. Λαληθήσεται τῇ οἰκουμένῃ τὸ πολυθρύλλητον αὐτῆς καύχημα· ἡ μόνη διαβόητος αὐτῆς καρποφορία· τὸ περιώνυμον τῶν κτισμάτων ἐγκαλλώπισμα.

d) Orat. in Deiparae nativ. pag. 846. B-C. Ὄντως τιμιωτέρα πάσης κτίσεως γέγονας.

e) Orat. in nativ. Mariae pag. 1274. A. apud Combefisium Auctar. T. I. Ὑπὲρ πάντα τὰ κτίσματα δεδοξασμένην ἀσυγκρίτως.

f) De Trinit. lib. III. cap. IV. pag. 349. E. Ἡ τιμιωτέρα πάντων καὶ εὐκλεεστάτη Μαρία.

1) Eadem prorsus, iisdemque expressa verbis leguntur apud Pseudo-Chrysostomum orat. in Deiparam, pag. 236. E. opp. Chrysost. T. VIII. P. II.

2) Serm. de laudib. Virginis pag. 576. col. 2 A. opp. Graec. T. III.

gina ac domina cunctis sublimior. Gemina occurrunt in Latinorum et Coptorum hymnis in quibus nunc [1]) legimus:

» Sol luna lucidior,
» Et luna sideribus;
» Sic Maria dignior
» Creaturis omnibus.

Nunc vero [a]) legimus: « Gloria tua, o Maria, est caelo [2]) altior, et tu es terra et quae in ea sunt honorabilior. » Quare [b]) Theophanes ad celebrandas Virginis laudes ita fidelium mentes inflammat: « Agite puris mentibus beatam praedicemus puram Iacobi pulcritudinem, quam seligens Deus adamavit, quamque incoluit ut sanctificationis tabernaculum, et creaturis omnibus honoratiorem. »

345. Fieri autem non potuit, ut *universis creaturis purior sanctiorque* non esset, quae illas omnes dignitate, gloria atque honore antecelluit. Ac Deiparam enimvero omnibus creaturis sanctiorem vocat [c]) Andreas cretensis, qui primum de ea scribit: « Toto animi nutu Ioachim divino vere correptus numine, et Anna immobiliter in Deum intendentes genuerunt [3]) illibatissimam Deiparam, *quae universis creaturis sanctitate supereminet.* » Tum [d]) addit: « Hymnis extollamus augustissimum par (Ioachimum et Annam) per quod nobis Virgo eluxit quae omnibus sanctior est creaturis: Deum namque [4]) peperit ad quem clamamus, non est alius sanctus praeter te Dominus. »

a) Theotoc. pag. 70. A.
Ⲡⲉⲱⲟⲩ Ⲙⲁⲣⲓⲁ ϭⲟⲥⲓ ⲉ̀ϩⲟⲧⲉ ⲧⲫⲉ: ⲧⲉⲧⲁⲓⲛⲟⲩⲧ ⲉ̀ⲡⲕⲁϩⲓ ⲛⲉⲙ ⲛⲏⲉⲧϣⲟⲡ ⲛ̀ϧⲏⲧⲥ ⳾

b) Men. die IV. Ianuarii Ode α'. pag. 36. col. 2. A. *Τὴν ἁγνὴν ἁγνεύοντι νοῒ δεῦτε, μακαρίσωμεν τὴν καλλονὴν Ἰακὼβ, ἣν ἠγάπησε Θεὸς ἐξελεξάμενος, ἣν κατῴκησεν ὡς σκηνὴν ἁγιάσματος, ὡς τιμιωτέραν πάντων τῶν κτισμάτων.*

c) Antholog. die IX. Septembris Ode α'. pag. 29. col. 2. C. *Ὁλοτρόπῳ νεύσει πρὸς θεὸν ὄντως ὁ θεόληπτος Ἰωακεὶμ καὶ ἡ Ἄννα ἡ ἔνθεος ἀκλινῶς προσέχοντες, τὴν πανάχραντον θεοτόκον ἐκύησαν, τὴν ὑπερκειμένην κτίσεως πάσης ἁγιότητι.*

d) Antholog. die IX. Septembris Ode γ'. pag. 30. col. 1. A. *Ὑμνήσωμεν τὴν πάνσεπτον ξυνωρίδα, δι' ἧς ἡμῖν ἐξέλαμψεν ἡ παρθένος, ἡ πάντων ποιημάτων ἁγιωτέρα· θεὸν γὰρ τέτοκε, πρὸς ὃν κραυγάζομεν· ὡς οὐκ ἔστιν ἅγιος πλὴν σοῦ κύριος.*

1) Thesaur. Hymnolog. T. II. pag. 82.

2) Hoc ipsum pag. 96. A. his verbis effertur: *quomodo poterimus te pro dignitate laudare? Tu enim prae supernis intelligentibus naturis exaltata es.*

3) Nullus enimvero originali corruptelae aditus patuit, si quod Andreas cretensis testatur, Virgo primum extitit atque in ipsa generatione prodiit *πανάχραντος penitus illibata.*

4) Quod Virgo concipere et parere deberet Deum *sanctissimum*, propterea omnibus *sanctior* creaturis apparuit.

Sanctiorem vocat [a]) Anonymus in Menaeis inquiens: « Tu enim a seculo omnibus sanctior creaturis apparuisti. » Sacratiorem dicit [b]) Theophanes qui ad eam conversus ait: « Tu sola omnibus sacratior digna habita es quae Dei mater fieres. » Puriorem nominat [c]) Iosephus confessor scribens: « Qui purus est te, o innocentissima, puriorem omni creatura inveniens, in te inhabitavit. » Eodem insignitur titulo [d]) in Octoecho: « Ut quae, o innocentissima, *creaturis omnibus purior* sis, cor meum *impuris vehementer corruptum passionibus* pura tua intercessione, o Dei genitrix, purga. » Et eodem haec spectant [e]) ex Officio quadragesimali: « Tu, o pura, inter sanctos sanctissima es, et inter dignos dignissima, quippe universorum Deum paris, gerisque manibus tuis circumscriptum. » Porro Bruno astensis non exclamat [1]) modo *o beatissima inter mulieres haec ancilla, haec Dei mater et superni regis nobilissima filia, cuius hamo Leviathan captus est, cuius humilitate quasi avis illusus est, cuius sapientia quasi latro et vile mancipium ligatus est;* verum etiam [2]) subdit: « Considera modo quantas gratias debeamus beatissimae Dei genitrici: considera quantis laudibus eam extollere et praedicare debeamus, si tamen digni sumus quorum laudes *inter omnes creaturas pulcherrima* suscipere dignetur, cuius humilitate et sapientia hic tantus hostis captus et ligatus, et de regno, quod tanto tempore iniuriose possederat, eiectus est. » Quibus haec ex [f]) Paracletice sumpta omnino respondent: « Te, o Domina Dei sponsa, quae *vere incompa-*

a) Men. die XXIX. Iulii Ode θ'. pag. 150. col. 1. C. Σὺ γὰρ ἀπ' αἰῶνος ἐφάνης ἁγιωτέρα πάσης τῆς κτίσεως.

b) Men. die XXVI. Octobris Ode δ'. pag. 155. col. 2. D. Ὡς τῶν κτισμάτων ἁπάντων ἱερωτέρα μήτηρ Θεοῦ γενέσθαι μόνη ἠξιώθης.

c) Men. die XXII. Octobris Ode α'. pag. 129. col. 2. D. Εὑρών σε καθαρωτέραν, πάναγνε, πάσης τῆς κτίσεως ὁ καθαρὸς ἐνῴκησεν ἐν σοί.

d) Octoech. pag. 95. col. 1. B-C. Ὡς οὖσα καθαρωτέρα, πάναγνε, πάσης τῆς κτίσεως, τὴν ἀκαθάρτοις πάθεσι δεινῶς μολυνθεῖσαν καρδίαν μου τῇ καθαρᾷ πρεσβείᾳ σου, θεοκυῆτορ, ἀποκάθαρον.

e) Offic. Quadragesim. in sabbat. Tyroph. Ode δ'. pag. 69. Σὺ ἐν τοῖς ἁγίοις εἶ ὑπεραγία, καὶ ἐν τοῖς ἀξίοις ὑπεραξία, ὅτι Θεὸν τὸν τῶν ὅλων τίκτεις καὶ φέρεις περιγραφόμενον χερσί σου, ἁγνή.

f) Paraclit. pag. 259. col. 2. A. Τὴν ὄντως ἀσύγκριτον ἐν τῷ κάλλει, πάντων γεννητῶν σὲ αἰτοῦμαι, δέσποινα θεόνυμφε, τῆς εἰδεχθοῦς κακίας με ἐλευθέρωσον.

1) Sentent lib V. cap. II. pag. 556. col. 1. B-C. 2) Ibid. col. 2. B.

rabiliter creaturas omnes pulcritudine vincis, deprecor ut me a prava malitia liberum reddas. »

346. Quid quod Deiparam insigni horum omnium congerie universis praelatam creaturis invenimus? Et invenimus plane [a]) apud Theophanem: « Te angelis sanctiorem et omni creatura sublimiorem ille condidit, qui tua ex carne natus est. » Invenimus [b]) apud Germanum: « Benedictum igitur hac de caussa nomen tuum in secula: ante solem lumen tuum: honor tuus omni creatura superior: excellentia tua supra Angelos. » Et [c]) rursum: « Gloriosa dicta sunt [1]) de te, civitas Dei, divinus nobis in spiritu succinit David: civitatem nimirum magni Regis apertissime vocans, citraque omnem dubitationem eam (Mariam) quae vere electa est, cunctisque eminet. » Invenimus [d]) apud Sophronium: « O Domina omnibus potior eum passionibus malis superiorem demonstra, qui te verissimam Deiparam celebrat, et qui, o intemerata, extollit partum tuum, qui omnem intellectus comprehensionem, o Deo gratiosissima, fugit. » Invenimus [e]) apud Methodium: « Accipe igitur, benignissima, dona pretiosa, tibique uni convenientia, o cunctis celsior generationibus, quaeque inter creata omnia tum visibilia tum invisibilia multis numeris honorabilior enituisti. » Invenimus [f]) apud Georgium nicome-

a) Men. die XXV. Augusti Ode γ'. pag. 136. col. 1. C. Ἁγιωτέραν τῶν ἀγγέλων, καὶ πάσης κτίσεως ἀνωτέραν, ὁ ἐκ σοῦ σαρκὶ τεχθεὶς, σὲ εἰργάσατο.

b) Orat. in dormit. Deiparae apud Nicodemum pag. 241. D. Εὐλογημένον τοίνυν διὰ τοῦτο τὸ ὄνομά σου εἰς τοὺς αἰῶνας· πρὸ τοῦ ἡλίου τὸ φῶς σου· ὑπερτέρα πάσης κτίσεως ἡ τιμή σου· πρὸ τῶν ἀγγέλων ἡ ὑπεροχή σου.

c) Orat. in s. Mariae Zonam pag. 202. Δεδοξασμένα ἐλαλήθη περὶ σοῦ, ἡ πόλις τοῦ Θεοῦ, ὁ θεῖος ἡμῖν ἐν πνεύματι ὑπέψαλλε Δαβὶδ, καλῶν τοῦ βασιλέως τοῦ μεγάλου πόλιν δὴ ταύτην οἶμαι σαφέστατα, καὶ ἀναντιῤῥητικώτατα τὴν ὄντως ἐκλελεγμένην, καὶ πασῶν ὑπερέχουσαν φάναι.

d) Triod. apud Mai in Spicileg. rom. T. IV. pag. 181. Πάντων ὑπερτέρα δέσποινα, τῆς τῶν παθῶν κακίας δεῖξον ὑπέρτερον τὸν δοξάζοντα παναληθῆ Θεοτόκον σε, καὶ ὑμνοῦντα τὸν τόκον σου, ἄχραντε, τὸν ἀκαταληψία, θεοχαριτώτατε, νοούμενον.

e) De Symeone et Anna §. IX. pag. 814. A. apud Gallandium T. III. Δέχου τοίνυν, εὐμενεστάτη, δῶρα τίμια, καὶ σοὶ μόνῃ ἁρμόδια, ὦ πασῶν γενεῶν ὑψηλοτέρα, καὶ πάντων ὁρατῶν καὶ ἀοράτων δημιουργημάτων τιμιωτέρα φανεῖσα.

f) Orat. in praesent. Deiparae pag. 1090. A. apud Combefisium Auctar. T. I. Σήμερον τῷ ναῷ προσάγεται ὁ ναὸς ὁ ἔμψυχος· ὁ τῶν οὐρανῶν ὑψηλότερος, καὶ πάσης τῆς κτίσεως εὐρυχωρότερος.

1) Ps. LXXXVI. 3.

diensem, qui de oblata in Templo Deipara scribit: « Hodie animatum templum in Templo offertur, templum caelis excelsius, totoque creaturarum ambitu latius et capacius. » Invenimus [a]) apud Iosephum melodum qui ita Deiparam affatur: « Ut quae creaturarum omnium genueris creatorem, o Dei mater, omnem creaturam supergressa es divina gloria, et sanctitate, et gratia, et omnibus virtutis ornamentis. » Ac postremo invenimus [b]) in Menaeis, in quibus haec legitur fusa ad Virginem precatio: « Utpote omnibus sublimior et purior impuritatem elue animae meae. » Hinc Anselmus postquam [1]) scripsit: « Ideo talem adiutorem requiro, qualem post Filium tuum potiorem et meliorem invenire non potest mundus. » Continuo [2]) pergit: « Habet orbis apostolos, patriarchas, prophetas, martyres, confessores, virgines, bonos et optimos adiutores quos ego supplex orare concupisco. Tu vero, Domina, omnibus iis adiutoribus *melior* et *excelsior* es, quia istis et aliis sanctis omnibus, etiam angelicis spiritibus *domina* es; et quod possunt omnes isti tecum, tu sola potes sine illis omnibus. Quare hoc potes? Quia mater es Salvatoris nostri, sponsa Dei, regina caeli et terrae et omnium elementorum. Te ergo requiro, ad te confugio, et ut me per omnia adiuves, suppliciter peto. Te tacente, nullus orabit, nullus iuvabit. Te orante, omnes orabunt, omnes iuvabunt. »

347. Quibus praestitutis, nihil mihi antiquius est quam ut animo tantisper reputetur, quae cum his devincta sint, quaeque ex his necessario dimanent. Si enim Deipara credenda est omnibus superior creaturis: si non secus habenda ac vertex fastigiumque creationis: et si aestimanda tamquam splendidissimum utriusque naturae visibilis et invisibilis decus; nequit profecto *intra naturae fines* princeps supremusque gradus eidem non deferri, atque adeo nequit non censeri eiusmodi intelligendi virtute insignis qua vel perspicientissimos inter Cherubim vicerit, eaque volendi amandique facultate locuples

a) Men. die XIX. Ianuarii Ode θ'. pag. 163. col. 1. B. Ὡς πάντων κτισμάτων ποιητὴν γεννήσασα, Θεομῆτορ, ὑπερβέβηκας πᾶσαν τὴν κτίσιν θείᾳ δόξῃ, καὶ τῇ ἁγιοσύνῃ, καὶ χάριτι, καὶ πᾶσι τῆς ἀρετῆς προτερήμασιν.

b) Men. die XIV. Augusti Ode θ'. pag. 78. col. 1. C. Ὡς πάντων ὑπερτέρα καὶ καθαρωτέρα τὸν μολυσμὸν τῆς ψυχῆς μου καθάρισον.

1) Orat. XLV. ad Deipar. pag. 277. col. 1. C. 2) Ibid. col. 1. C-D. et col. 2. A.

qua ipsos quoque Seraphim longissime superarit. Rursum si ad proprias Deiparae dotes pertinet, quod ipsa fuerit tam hominibus quam angelis purior, supernisque Virtutibus sanctior atque sacratior; nemo non intelligit *intra supernaturalem ordinem puritatis, innocentiae et sanctitatis* illi primas tribui oportere. Atqui neque suum tueri gradum, neque suum in utroque ordine principatum servare Deipara posset, si vel brevissimo temporis fluxu pestifera culpae labe fuisset afflata. Omnium ergo mentem, omniumque sententiam tum expressit Theophanes, quum ista scripsit quae paullo ante retulimus: «Te angelis sanctiorem, omnique creatura sublimiorem is condidit, qui ex tua carne natus est.»

ARTICULUS V.

De loquutionibus comparatis quibus Deipara dicitur pulcritudine pulcrior, venustate venustior, puritate purior, sanctior sanctitate, supra cogitationem evecta et miraculum omnino unicum atque singulare.

348. Opus multis non est ut intelligatur, quam insigniter quamque praeclare ad Virginis sanctitatem efferendam, eiusque significandam innocentiam ab omni labe integram atque solutam eae conferant loquutiones, quibus ipsa et universis purior hominibus, et angelis innocentior, et omni creatura visibili atque invisibili sanctior gratiosiorque celebratur. Nihilominus haud crederem me a vero admodum aberraturum si animadverterem, hisce ipsis loquutionibus eas fore accommodatiores, quibus forte *Deipara aut puritate purior, aut venustate venustior, aut ipsa sanctior sanctitate appellaretur.* Sicut enim intra limites *ordinis physici* nihil esse cogitarive potest aut in rectitudine obliqui, aut in harmonia dissoni, aut in simplicitate compositi; ita intra ambitum *ordinis ethici* nihil esse cogitarive potest aut in pulcritudine quod sit deforme, aut in puritate quod sordidum, aut in sanctitate quod culpa infectum sit peccatoque corruptum. Iamvero sin minus frequentissima, infrequentia certe non sunt veterum testimonia, quibus ad Deiparam eiusmodi loquutiones referuntur, ut quae eius sit puritas, quae innocentia, quaeve sanctitas declaretur.

349. Sane Deiparam omni pulcritudine pulcriorem dictam le-

gimus [1]) in Responsoriali et Antiphonario romanae Ecclesiae his verbis: « Super salutem et omnem pulcritudinem electa est a Domino sancta Dei genitrix. » Ac dictam iterum legimus [a]) apud Basilium pegoriotem qui scribit: « Ut quae supra modum [2]) splendidam, o innocens Deipara, ipsam puram possideas animae pulcritudinem, sis autem caelitus Dei gratia repleta, luce sempiterna eos semper illuminas qui laeti clamant: vere omnibus superior exsistis, o Virgo innocens. » Cum hac autem laudandae Virginis formula egregie illa consentit, qua usus [b]) Georgius nicomediensis Deiparam vocat *venustissimam venustorum venustatem*, inquiens: « O donum quod omne pretium pretiositate superat! O venustorum venustissima venustas! O Deipara rerum pulcrarum supremum ornamentum! » Neque alio ea pertinent, quibus Deipara caelis purior dicitur tum ab eodem Georgio qui [c]) scribit: « Oportebat enim tabernaculum divinum (Mariam) talibus augeri ascensionibus: oportebat agnam immaculatam nedum in sanctis sanctorum Tabernaculi, sed in ipsis caelis caelorum prima aetate educari, utpote quae iisdem visa esset latior, et maiori prae illis puritate niteret. » Tum [d]) ab Iohanne damasceno qui ait: « Nam caelum quidem [3]) minime mundum, neque astra in conspectu eius reprehensione vacant: hac vero (Maria) quid purius sit? Quid irreprehensibilius? Qui eximie bonus est proprii figmenti proles esse non renuit, amore captus illius quae creatis omnibus superior, illam amplexus quae caelestes Virtutes dignitate antecellit. »

a) Antholog. die XXI. Novembris pag. 134. col. 2. C. Ὡς ὑπέρλαμπρον, Θεοτόκε ἁγνὴ, ψυχῆς τὸ καθαρὸν ἔχουσα κάλλος, χάριν δὲ Θεοῦ ἐμπιπλαμένη οὐρανόθεν, φωτὶ αἰδίῳ καταυγάζεις ἀεὶ τοὺς ἐν εὐφροσύνῃ βοῶντας· ὄντως ἀνωτέρα πάντων ὑπάρχεις, παρθένε ἁγνή.

b) Orat. in Deiparae ingress. in Templum pag. 1111. B. apud Combefisium Auctar. T. I. Ὦ τιμῆς ἁπάσης ὑπέρτιμον δώρημα· ὦ τῶν ὡραίων ὡραιότατον ὡραῖσμα· ὦ Θεοτόκε τῶν καλῶν ὑπέρτατον ἐγκαλλώπισμα.

c) Ibid. pag. 1110. A-B. Ἔδει γὰρ τὸ θεῖον σκήνωμα τοιαύταις ἀναβάσεσιν αὐξηθῆναι· ἔδει τὴν ἄσπιλον ἀμνάδα μὴ εἰς τὰ τῶν ἁγίων ἅγια τῆς σκηνῆς, ἀλλ᾽ εἰς αὐτὸν τὸν οὐρανὸν τὰ τῆς πρώτης ἡλικίας ἀνατραφῆναι, τὴν πλατυτέραν τούτων ὀφθεῖσαν, καὶ καθαρότητι διενέγκουσαν.

d) Orat. in Deiparae nativit. pag. 851. C-E. Οὐρανὸς μὲν οὐ καθαρὸς, ἄστρα δὲ οὐκ ἄμεμπτα ἐναντίον αὐτοῦ· τῆς δὲ τί καθαρώτερον; τί δὲ ἀμεμπτότερον; τοῦ ἰδίου

1) Apud Card. Tommasium opp. T. IV. p. 134. « Nihil nobilius Dei matre invenitur, quae se profitetur ancillam; nihil ea splendidius, quam splendor elegit gloriae. »

2) Quae cum his apte consentiunt ex Hildephonsi toletani orat. in Deiparae assumpt. pag. 674. col. 1. B-C. apud Combefis. in Biblioth. concional. T. VII.

3) Iob. XV. 5.

Quod adeo persuasum erat Damasceno, ut [a]) alibi multo etiam plenius scripserit: « Salve sis sola Dei mater, caelestium terrestrium et inferorum magnificum atque splendidissimum decus. Salve sis sola Dei mater, quae omni radio lucidior es et omni puritate purior, omni re nobili nobilior et omni divitiis affluente locupletior: quae in omnes generationes generationum ab angelis et hominibus una voce cum reverentia magnificaris. »

350. Accedunt quae [b]) penes eumdem Damascenum occurrunt, et quibus Deipara nuncupatur: « Vertex Sina sanctior, quem non fumus, non caligo, non procella, non ignis terrorem incutiens tegit, sed sanctissimi Spiritus virtus illuminatrix. » Haec autem iis praeclare explanantur quae [c]) Modestus habet: « Vas illud pretiosum et sacratissimum et quavis sacra re sacratius, Deipara Virgo pretiosam suam adepta margaritam, splendidissimo illius ornatu egregiam suam formam illustravit, cuius est aurum et argentum, et per quem reges regnant. » Praeclare iis explanantur quae de Virgine [d]) Germanus scribit: « Tu caelo excelsior, sed et latior caelo caelorum, et octavum potius quam septimum caelum a quodam sancto graphice commemoratum, et caelum si quod aliud est hoc ipso sublimius: benedicta tu in generationibus generationum. » Itemque iis quae [e])

πλάσματος γέννημα χρηματίσαι οὐκ ἀπηνήνατο ὁ ὑπεράγαθος, ἐκείνης ἐρασθεὶς δηλαδὴ τῆς ὡραιοτέρας πάσης κτίσεως, ἐκείνης ἐπιλαβόμενος τῆς ἀξιωτέρας τῶν οὐρανίων δυνάμεων.

a) Orat. in Deiparae annunciat. pag. 838. B. Χαίροις μόνη μήτηρ Θεοῦ, ἡ τῶν ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων μεγαλοπρεπὴς τε καὶ μεγαλόφωτος εὔκλεια· χαίροις μόνη μήτηρ θεοῦ, ἡ πάσης ἀκτῖνος φωτεινοτέρα, καὶ πάσης καθαρότητος καθαρωτέρα, καὶ παντὸς εὐγενοῦς εὐγενεστέρα, καὶ παντὸς πλούτου ῥέοντος πλουσιωτέρα· ἡ εἰς πάσας γενεὰς γενεῶν ὑπὸ ἀγγέλων τε καὶ ἀνθρώπων ὁμοφώνως ἐν φόβῳ μεγαλυνομένη.

b) Orat. in Deiparae nativit. pag. 845. C. Ἡ ἄκρα ἡ τοῦ Σινᾶ ἁγιωτέρα, ἣν οὐ καπνὸς, οὐ γνόφος, οὐ θύελλα, οὐ πῦρ δειματοῦν καλύπτει ἀλλ' ἡ φωτιστικὴ τοῦ παναγίου πνεύματος ἔλλαμψις.

c) Encom. in beatam Virginem pag. 22. B. Σκεῦος τίμιον καὶ ἱερώτατον, τῶν ἱερῶν ἱερώτερον, ἡ γεγονυῖα θεοτόκος, καταλαβοῦσα τὸν πολύτιμον αὐτῆς μαργαρίτην κατηγλαΐσθη εὐπρέπειαν τῆς ὑπερκοσμίου κοσμιότητος αὐτοῦ, οὗπερ ἐστὶ τὸ χρυσίον καὶ τὸ ἀργύριον, καὶ δι' οὗ βασιλεῖς βασιλεύουσι.

d) Orat. in Deiparae dormit. apud Nicodemum pag. 241. D. Ὑψηλοτέρα σὺ τοῦ οὐρανοῦ· ἀλλὰ καὶ πλατυτέρα τοῦ οὐρανοῦ τῶν οὐρανῶν, καὶ τοῦ γραφικῶς παρά τινος ἁγίου ἀναφερομένου ἑβδόμου ὀγδοώτερε, καὶ εἰ ἐστί τις ἕτερος, καὶ ὑπερέκεινα τούτου λέγειν, οὐρανέ· εὐλογημένη σὺ ἐν γενεαῖς γενεῶν.

e) Orat. in Deiparae annunciat. pag. 1426. A. apud. Combefisium Auctar. T I. Χαῖρε κεχαριτωμένη, καὶ πάσης μεγαλουργοῦ καλλονῆς ὑψηλότερον θέαμα.

alibi addit: « Ave gratia plena, omnique magnifica specie sublimius spectaculum. » Quo et haec [a]) ex Menaeis sumpta merito referuntur: « Ut Dei mater incorrupta, innocens, penitus immaculata et omnimoda sanctitate incomparabilis, ne me profanum impurumque repellas, neque sinas me funditus perdi, sed me a passionibus libera et resipiscentem salva. »

351. Ceterum sublimius revera spectaculum est Deipara, immo miraculum prorsus unicum et singulare, quemadmodum [b]) Proclus illam vocat inquiens: « Vide num aliud eiusmodi miraculum in universis creatis invenire liceat. » Et rursum [c]) recensitis plerisque omnibus qui in Scriptura laudantur, pergit: « Verum nihil eiusmodi est, ut cum Dei genitrice Maria comparari possit. » Quibus ista respondent quae de Virgine [1]) Sedulius canit:

» Quae ventre beato
» Gaudia matris habens cum virginitatis honore,
» Nec primam similem visa es, nec habere sequentem:
» Sola sine exemplo placuisti femina Christo.

Et citra exemplum sane placuit Christo, proindeque teste [d]) Iacobo monacho « Triennem illam Templo (parentes) offerunt, pretiosum revera donarium, ipsisque adeo angelis venerandum: supremum ac mundissimum cimelium, in quo gratiae thesauri fuerunt repositi, in quo salutis reposita pignora, in quo Incarnationis divitiae arcana mirabilique ratione depositae, luminis illud receptaculum, e quo salutis radii orbi terrarum illuxerunt. »

352. Ex his vero repetendum est, quod maiores nostri toties ingeminant, excellentiam, gratiam, sanctitatemque Deiparae neque

a) Men. die XV. Aprilis pag. 59. col. 2. D. Ὡς θεοῦ μήτηρ ἄφθορος καὶ ἁγνὴ καὶ παναμώμος καὶ ἁγιωσύνῃ πάσῃ ἀσύγκριτος, τὸν ἐναγῆ καὶ ἀκάθαρτον μὴ ἀπώσῃ με, μὴ ἐάσῃς με ὅλως ἀπολέσθαι, ἀλλὰ ῥῦσαι τῶν παθῶν με, καὶ ἐπιστρέφοντα σῶσον με.

b) Orat. in Deiparam Mariam §. II. pag. 630. D. apud Gallandium T. IX. Βλέπε εἰ ἐστὶν ἄλλο τοιοῦτον θαῦμα ἐν πάσῃ τῇ κτίσει.

c) Ibid. pag. 630. B. Ἀλλ' οὐδὲν τοιοῦτον, οἷον ἡ Θεοτόκος Μαρία.

d) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1255. D-E. apud Combefisium Auctar. T. I. Διὰ τοῦτο τριετίζουσαν ταύτην τῷ ναῷ προσφέρουσι τὸ τίμιον ὄντως ἀνάθημα, καὶ ἀγγέλοις αἰδέσιμον· τὸ ὑπέρτατον καὶ καθαρώτατον κειμήλιον, ἐν ᾧ οἱ τῆς χάριτος θησαυροὶ ἀναπετέθησαν· ἐν ᾧ ὁ τῆς οἰκονομίας πλοῦτος ἀποῤῥήτως ἀπέκειτο τὸ φωτοδόχον χωρίον, ἐξ οὗ σωτηρίας ἀκτῖνες τῇ οἰκουμένῃ ἐπέλαμψαν.

1) Carm. Pasch. lib. II. vv. 66-70. apud Gallandium T. IX.

verbis pro dignitate efferri, neque mente atque cogitatione posse comprehendi. Opportune [a]) Germanus inquiens: « Quapropter quis non beatam te depraedicet? Spectaculum angelorum intelligentia maius, omni praestantem miraculo, summeque novam hominum felicitatem? Per te enim inquit [1]) Scriptura, *ossa nostra sicut herba germinabunt:* agni et pastoris parentem, omniumque bonorum palam conciliatricem. Tua omnia admiranda sunt, *vera* [2]), *iustificata in idipsum:* omniaque *desiderabilia ac dulciora super mel et favum.* Nam et servi tui ea desideramus, in illis desiderandis, ex te *retributio multa*. Quis [3]) tuas misericordias intelliget? Enimvero sat tibi ad laudem, o admirabilis, quod non possimus dignis encomiis res tuas celebrare. » Opportune [b]) Basilius pegoriotes qui Virginem alloquens ait: « Vincit, o innocens Deipara, miraculum tuum facultatem verborum: in te namque corpus conspicio peccati fluctibus supra naturam inaccessum; quare grato animo ad te clamo: vere, o innocens Virgo, omnibus superior emines. » Opportune [4]) Sophronius: « Ideoque totum superexcellit de illa quae dicuntur, quia sunt divina atque ineffabilia. » Et opportune ipse etiam [5]) Severus antiochenus inquiens: « Quid vero cogitari augustius vel excelsius potest, quam Dei mater? Certe qui ad eam accedit, ad sanctam veluti terram sic appropinquat, ut ipsum denique caelum attingat. »

353. Nisi sint ergo quibus ipsi etiam caeli sordescant, et quibus impura sit puritas, venustas sit deformis, innocentia sit noxia et sanctitas sit profana; neque reperiri profecto poterunt qui ab omni

a) Orat. in Deiparae dormit. pag. 1459. B-E. pag. 1462. A. apud Combefisium Auctar. T. I. Ἀνθ' ὧν τίς σε μὴ μακαρίσει τὴν τῶν ἀγγέλων ὑπὲρ ἔννοιαν θεωρίαν; τὴν τῶν ἀνθρώπων ὑπέρξενον ἐπιτυχίαν; τὰ γὰρ ὀστέα ἡμῶν, ὡς γέγραπται, διὰ σοῦ καθάπερ βοτάνη ἀνατελεῖ· τὴν τοῦ ἀμνοῦ καὶ ποιμένος μητέρα, καὶ πάντων τῶν ἀγαθῶν γνωριζομένην πρόξενον· ὅσα τὰ σὰ παράδοξα, ἀληθινὰ, δεδικαιωμένα ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐπιθυμητά τε πάντα, καὶ γλυκύτερα ὑπὲρ μέλι καὶ κηρίον· καὶ γὰρ οἱ δοῦλοι σου ποθοῦμεν αὐτά· ἐν τῷ ποθεῖν αὐτὰ, ἀντάμειψις ἐκ σοῦ πολλή· τὰ ἐλέη σου τίς συνήσει; ἀλλὰ ἀρκεῖ σοι πρὸς ἔπαινον, ἀξιάγαστε, τὸ μὴ εὐπορεῖν ἡμᾶς ἐγκωμιάσαι τὰ σά.

b) Antholog. die XXI. Novembris pag. 134. col. 2. D. Ὑπερίπταται, θεοτόκε ἁγνὴ, τὸ θαῦμά σου τὴν δύναμιν τῶν λόγων· σῶμα γὰρ ἐν σοὶ κατανοῶ ὑπὲρ λόγον ῥοῆς ἁμαρτίας ἀνεπίδεκτον· ὅθεν εὐχαρίστως βοῶ σοι· ὄντως ἀνωτέρα πάντων ὑπάρχεις, παρθένε ἁγνή.

1) Is. LXVI. 14.
2) Ps. X. 10.
3) Ps. CVI. 43.
4) Ad Paulam et Eustoch. serm. de Virginis assumpt. cap. III. pag. 94. E. inter opp. Hieronymi T. XI.
5) Hom. de s. Dei matre semperque virgine Maria pag. 212. apud Mai Spicileg. rom. T. X.

labe integram expeditamque Deiparam non arbitrentur: Deiparam quae est octavum caelum et ipso octavo caelo sublimior, quae est puritate purior, pulcritudine pulcrior, sanctior sanctitate, innocentiae miraculum, inaccessa peccato, et in quam aptissime ista quadrant, quibus illam [a]) Iohannes damascenus compellat: « Ave mensa, mixtum divinitus appositum, omnibus virtutum bonis affluens participatio. »

ARTICULUS VI.

De loquutionibus comparatis quibus Deiparae asseritur quod purior sit omnibus secundum Deum, quod sit Deo simillima, Deo propinquissima, ad Dei dexteram evecta, et summo post Deum gloriae apice fastigioque insignis.

354. Quod animadverti de erroribus solet, iunctos illos esse et eo usque consertos, ut ex uno alter et tertius quartusve dimanet; id multo evidentius de veritatibus affirmatur, illas se tam arcte excipere, ut in quamdam veluti catenae speciem componantur. Et sane fac verum esse quod abunde demonstravimus: Deiparam esse hominibus universis puriorem, atque angelis omnino omnibus sanctimonia praestare. Concludas oportet, nullam esse neque visibilem neque invisibilem creaturam, prae qua innocentiae sanctitatisque palmam Deipara non referat: quamvis culpae labem ab innocentia et sanctitate Deiparae quam maxime abhorrere: et nihil posse ab innocentia et sanctitate Deiparae alienius remotiusque cogitari, quam eam peccati viru vel semel fuisse corruptam. Rursum fac vera esse quae argumentis non minus perspicuis quam indubitatis ostendimus: Deiparam esse ipsa puritate puriorem, et supra speciem omnem formamque creatae innocentiae, pulcritudinis, venustatisque extolli. Reliquum necessario est ut inferendo colligas, intra ordinem ethicum innocentiae atque sanctitatis primas Deiparae convenire: eam esse ἁγιόπρωτον *sanctitate principem:* ad Deum, qui ipsa est sanctitas, quam proxime accedere: secundam esse a Deo, proprioque nomine dignam quae Deo simillima, Deique filia censeatur.

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 854. B. Χαῖρε τράπεζα, τὸ θεόθετον κρᾶμα, ἡ πᾶσιν ἀγαθοῖς ἀρετῶν πληθοῦσα μέθεξις.

355. Haec vero aliaque iis gemina, quae ex superioribus ita dependent, ut ne cogitando quidem seiungi ab illis possint, ea perspicuitate, eaque formularum copia loquutionumque splendore commemorata a patribus reperiuntur, ut prorsus liqueat non principia solum ipsis innotuisse, verum etiam principiorum consequutiones explicationesque fuisse compertissimas. Ut enim ab iis auspicer quae prima fronte nonnihil remotiora videri possent, patres Deiparam vocant *divinam* aeque ac *divinissimam*. Scite [a]) Iohannes damascenus ubi protoparentes inducit Deiparam his verbis compellantes: « Veni ad nos *o divinum* vitamque afferens cimelium: veni ad nos tui cupidos quae nostrum explesti desiderium. » Et [b]) rursum: « Quomodo Dei Verbum, quod pro sua misericordia illius effici filius dignatum est, dominicis manibus suis sanctissimae huic *divinissimaeque*, utpote matri, ministrans sacrosanctam animam suscepit? »

356. Sed quae hisce titulis subiecta potestas? Aut unde tam excelsa Deiparae appellatio? Nimirum quod ipsa sit *caelestium charismatum fons Domini signatus*, ut ex his apparet [c]) Modesti verbis: « Deductus enim est divinorum charismatum fons Domini signatus in eius occursum semper Virgo, per quam irrigatus est Ecclesiae orthodoxae paradisus, et a secundo conditus qui ex ea natus est Adamo. » Quod ipsa sit *maxime novum divinum donarium*, ut [d]) Germanus loquitur inquiens: « Ades novum maxime divinumque donarium: ades Domina terrigenorum omnium. » Quod ipsa sit *divina gloria undequaque circumdata*, quemadmodum [e]) Andreas cretensis declarat his verbis: « Virtutum divitiis ornati venerandus Ioachim et prudens Anna genuerunt reginam Virginem [1]) divina

a) Orat. II. in Deiparae dormit. pag. 873. E. Δεῦρο πρὸς ἡμᾶς, ὦ θεῖον καὶ ζωηφόρον κειμήλιον· ἐλθὲ ποθοῦσιν ἡμῖν ἡ τὸν πόθον ἡμῶν ἐκπεράνασα.

b) Orat. I. in Deiparae dormit. pag. 860. E. Πῶς ὁ τοῦ θεοῦ λόγος ὁ ταύτης υἱὸς δι' εὐσπλαγχνίαν γενέσθαι καταδεξάμενος, δεσποτικαῖς παλάμαις τῇ παναγίᾳ ταύτῃ καὶ θειοτάτῃ, οἷα μητρὶ, λειτουργῶν τὴν ἱερὰν ψυχὴν ὑποδέχεται;

c) Encom. in b. Virginem pag. 24. B. Ἀπηνέχθη γὰρ ἡ τῶν θείων χαρισμάτων ἐσφραγισμένη πηγὴ τοῦ κυρίου, ἀειπάρθενος εἰς ἀπάντησιν αὐτοῦ, δι' ἧς πεπότισται ὁ τῆς ὀρθοδόξου ἐκκλησίας παράδεισος, καὶ συνεστάθη ὑπὸ τοῦ γεννωμένου ἐξ αὐτῆς δευτέρου Ἀδάμ.

d) Orat. in Deiparae praesent. pag. 1418. E. apud Combefisium Auctar. T. I. Δεῦρο δώρημα καινότατον καὶ θεῖον· δεῦρο δέσποινα τῶν γηγενῶν ἁπάντων.

e) Antholog. die IX. Novembris Ode η'. pag. 31. col. 2. B. Πλούτῳ κομῶντες ἀρετῶν,

1) Sed tenebris fuisset obvoluta et ignominia cooperta, si illam culpa originis obstrictam parentes

gloria circumdatam: eam universa creatura tamquam Deiparam hymnis extollit. »

357. Tanta porro divinae gratiae copia, caelestiumque charismatum ubertate factum est, ut Deipara proprio veluti nomine ἁγιόπρωτος *inter sanctos princeps* salutaretur. Quo sane titulo illam ornat [a]) Theodorus studites qui sic habet: « Caelis sublimiorem et Cherubim potiorem, inter sanctos principem illibatamque Dei universorum puellam, laudamus et superefferimus in omnia secula. » Eodemque titulo illam Graeci plus semel [b]) ornant in Paraclitice ubi legimus: « O inter sanctos princeps [l]) veneranda, quae laus es caelestium ordinum, apostolorum hymnodia, prophetarum argumentum, nostras quoque preces, o Domina, suscipe. » Praeclarissima vero haec sunt, quibus [c]) Nicephorus constantinopolitanus antistes Constantinum copronymum insectatur inquiens: « Postquam portenta multa ineptiasque adversus Dei Verbi incarnationem contexuerit, ad vesaniam suam contra sanctorum etiam monumenta impie expromendam decursurum, cunctis est exploratum: atque inprimis *adversus sanctorum praecipuam et creaturarum omnium sublimissimam dominam nostram sanctissimam Dei matrem,* ut et ipsam cum filio suo contumeliis exagitet. » Quemadmodum vero Nicephorus Virginem nuncupat τὴν πρωτίστην τῶν ἁγίων, *sanctorum praecipuam*, sic illam

τὴν ἐν δόξῃ θεϊκῇ πεποικιλμένην βασιλίδα παρθένον, Ἰωακεὶμ ὁ σεπτὸς καὶ Ἄννα ἡ σώφρων τετόκασιν· ἣν πᾶσα ἡ κτίσις ὑμνεῖ ὡς θεοτόκον.

a) Triod. Ode η'. pag. 218. col. 2. D. Τὴν τῶν οὐρανῶν ὑψηλοτέραν, καὶ Χερουβὶμ ὑπερτέραν, τὴν ἁγιόπρωτον καὶ ἀμίαντον κόρην τοῦ πάντων θεοῦ ὑμνοῦμεν καὶ ὑπερυψοῦμεν εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας.

b) Paraclit. pag. 122. col. 1. A. et pag. 147. col. 2. A. Ἁγιόπρωτε σεμνὴ, ἐγκώμιον οὖσα τῶν οὐρανίων ταγμάτων, ἀποστόλων ὑμνῳδία, προφητῶν περιοχὴ, δέσποινα πρόσδεξαι καὶ ἡμῶν τὰς δεήσεις.

c) Antirrhet. II. adv. Constantinum copronym. §. IV. pag. 59. apud Mai in nov. pp. Biblioth. T. V. Ὅτι μὲν εἶναι πολλὴν τερατολογίαν καὶ φλυαρίαν κατὰ τῆς τοῦ θεοῦ λόγου ἐνανθρωπήσεως ἐξύφανας, ἐπὶ τὴν παροινίαν τὴν εἰς τὰ τῶν ἁγίων ἱερὰ ὑπομνήματα παρώρμηται δυσσεβῶς, παντὶ τὸ σαφές· καὶ πρὸ τούτων γε, ἐπὶ τὰ τῆς πρωτίστης τῶν ἁγίων, καὶ πάντων τῶν ἐν τῇ κτίσει τελούντων ὑπερτάτης τῆς παναγίας δεσποίνης ἡμῶν θεομήτορος, ἵνα καὶ αὐτὴν τῷ τεχθέντι συγκαθυβρίσῃ.

genuissent. Illius ergo conceptus fuit immaculatus, neque iterare de eo licet, *ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.*

l) Cum quo titulo alter cohaeret *summae*, qui Virgini his verbis defertur in vetusto romano Breviario apud Bolland. T. III. Mart. pag. 80.

« O pater *summae* Ioachim *puellae*,
« Quae Deum clauso genuit pudore,
« Promove nostras Domino querelas
« Castaque vota.

Iohannes damascenus [a]) vocat *αὐτῶν κεφάλαιον eorumdem caput* inquiens: « Pius coetus cum praeconio agit memoriam iustorum, quibuscum Dei mater, *tamquam ipsorum caput* merito glorificatur, extremum et primum et medium ordinem occupans atque gloriae particeps. » Factum hinc est, ut Deipara singulari eximioque sensu *θεόκλητος καὶ θεόπαις vocata divinitus Deique filia* diceretur. Quarum appellationum testes sunt prae ceteris locupletes Theodorus studites, Christophorus melodus et Anonymus in Triodio; e quibus [b]) Theodorus scribit: « O Maria divinitus vocata, vere fidelium propitiatio: ex te enim remissio large omnibus erogatur: Filium tuum ac Dominum ne cesses iis secundum reddere qui te collaudant. » Christophorus vero [c]) ait: « O Maria vocata divinitus, universi domina, ut quae Dominum Regem universorum et Redemptorem pepereris, me captivum ad paradisi gloriam revoca. » Anonymus [d]) tandem inquit: « O beatum Dei filiae sinum, qui supra naturam caelo melior apparuit! Quem enim caelum non continet, tu gestans continuisti. » Quo et haec merito referuntur quae Thomas abbas vercellensis [1]) enarrans Cantici verba, *ferculum sibi fecit rex Salomon de lignis Libani. Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum*, scribit: « Ac si dicat, superquietissimus Deus omnipotens sedem suae maiestatis aptissimam et suae gloriae capacissimam fecit de incorruptibili corpore et anima supercandidissimae Virginis. » Et [2]) mox: « Pulcre siquidem per *ferculum Salomonis* promi-

a) Acoluth. offic. graeci ad Matut. pag. L. C. apud Bolland. T. II. Iunii. *Μνήμην δικαίων ὁ θεόφρων σύλλογος μετ' ἐγκωμίων τελεῖ, οἷς ἡ Θεοῦ μήτηρ, ὡς αὐτῶν κεφάλαιον εἰκότως συνδοξάζεται, τελευταίαν καὶ πρώτην καὶ μέσην τάξιν ἐπέχουσα, καὶ τῆς εὐφημίας μετέχουσα.*

b) Triod. pag. 79. col. 1. D. et pag. 278. col. 2. B. *Μαρία θεόκλητε, ἱλαστήριον ὄντως τῶν πιστῶν· ἐκ σοῦ γὰρ ἡ ἄφεσις παροχεύεται τοῖς πᾶσι δαψιλῶς· τὸν υἱόν σου καὶ κύριον μὴ ἐλλίπῃς εὐμενιζομένη ὑπὲρ τῶν σε ὑμνούντων.*

c) Triod. pag. 69. col. 2. C. *Μαρία Θεόκλητε, ἡ κυρία τοῦ παντὸς, ὡς τετοκυῖα κύριον βασιλέα τῶν ὅλων καὶ λυτρωτὴν, αἰχμάλωτον ὄντα με, παραδείσου τῆς δόξης ἀνακάλεσαι.*

d) Triod. pag. 207. col. 1. C. *Ὦ μακαρίστη τῆς θεόπαιδος κοιλία, ἥτις νοητῶς οὐρανοῦ μείζων ἐδείχθη· ὃν οὐ χωρεῖ γὰρ οὗτος, σὺ κατέχεις βαστάζουσα.*

1) Comm. in Cant. pag. 573. A. apud Pezium in Thesauro anecdott. T. II. P. I. qui in dissert. isagog. pag. XVIII. de hoc commentario ait: « Nunc primum typis excudendum dedimus elegantissimum ac prorsus divinum Thomae opus, quo in Cantica forte nihil sublimius exstat. »

2) Ibid. pag. 573. B-D.

nens et superius patulum *de lignis Libani* fabricatum virginalis designatur gloria, quo ipsa super omnes angelicas hierarchias est sursum acta et primo a Deo emanantium illuminationum superadmirabiliter capacissima, et primo et principaliter receptiva. Propter quod ipsa *ferculum* sive sedes Domini, quoniam in ipsa plus quam in omnibus supercaelestibus creaturis divina maiestas et gloria superfulget, quemadmodum nobis [1]) per Ezechielem prophetam luculentissime reseratur: *super firmamentum quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis sapphiri, similitudo throni, super similitudinem throni similitudo quasi aspectus hominis desuper.* Quasi dicat: super angelicam celsitudinem et firmitatem, quae est super omnem humanam intelligentiam, est excellentissima Dei mater, cuius aspectus simillimus est Deo inter angelicas creaturas, sicut aspectus sapphiri simillimus est caelesti colori: et super thearchicam Virginem, quae simillima est Deo omnium angelorum respectu, est maiestas Filii Dei supervenerabilis Iesu Christi, qui propter excelsum fulgoris suae supersubstantialis glorificationis quasi similis dicitur esse aspectui hominis. » Hinc [2]) pergit: « Vere hoc est illud *ferculum* sive thronus, de quo ipse Dei Filius superdulcissimus Iesus Christus loquitur [3]) per psalmistam: *thronus eius sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in aeternum. Sicut sol* autem intellige dictum quoad thearchicae Virginis animam, quam omnis claritatis et caritatis et perfectionis plenitudinem ad instar materialis solis non est dubium habuisse. Quod vero ait, *sicut luna perfecta in aeternum,* ad ipsius supercastissimum corpus est referendum, perfectissimis supersplendens radiis ab ipso vero lumine emanantibus decoratum a Deo, ut ad eius superadmirabilem refulgentiam omnes supercaelestes spiritus hilarescant. » His autem laudibus et illam addit, qua [4]) Deiparam vocat *thearchissimam Virginem.*

358. Quamquam horum omnium germana potestas intimius cognoscetur, si animus ad alia advertatur maiorum testimonia, quibus Virginis innocentiam dignitatemque multo etiam manifestius patefaciunt. Eiusmodi autem illa sunt, quibus [a]) Iohannes damasce-

a) Orat. II. in Deiparae dormit. pag. 878. A. *Ταύτην ψυχῆς τε καὶ σώματος ἁγνότητι τέρψωμεν, τὴν ὄντως ἁγνὴν μετὰ Θεὸν ὑπὲρ ἅπαντας.*

1) Ezech. I. 26.
2) Ibid. pagg. 573. D. et 574. A.
3) Ps. LXXXVIII. 38.
4) Ibid. pag. 575. D.

nus de ea loquens ait: « Hanc animi et corporis munditie oblectemus, hanc inquam vere puram *et omnibus post Deum puritate praestantem.* » Eiusmodi illa quibus Auctor sermonis de Assumptione [1]) penes Maximum taurinensem scribit: « Tu benedicta inter mulieres, tu praeelecta cunctis virginum catervis. Tu in illa felicissima regione beatorum primam dignitatem adepta violas immarcescibiles carpis. Cum de te quidquid dixero, minus est quam dignitas tua meretur. Si matrem gentium vocem, praecellis: si *formam Dei* appellem, digna exsistis. » Et eiusmodi illa quibus [a]) Georgius nicomediensis Deiparam nuncupat *Deo simillimam* inquiens: « Humanum genus antiqua venustate et decore et imaginis similitudine per peccatum exutis, his o innocens, induitur per tuum partum, *o Deo* [2]) *simillima.* »

359. Porro si Deipara est altera secundum Deum puritate: si est Deo simillima: et si forma Dei audit sensu ab eo non prorsus diverso, quo Unigenitus dicitur [3]) *imago Dei invisibilis et character substantiae eius;* nihil cum his cogitari coniunctius potest, *quam ipsam esse secundum Deum praestantissimam, quam Deo esse prae omnibus propinquam, quam cum Filio citra quodvis medium cohaerere, quam supremo gloriae apice post Deum potiri, quam ad Dei dexteram secundum Filium sedere, et quam infinitam quodammodo videri.* Et re sane vera si patres interrogentur, nihil horum est quod non disertissime tradant atque confirment.

360. Disertissime tradunt Deiparam esse secundum Deum praestantissimam, quemadmodum testes sunt Modestus hierosolymitanus et Petrus Argorum episcopus; ille [b]) ubi ait: « Et quando statuit ac decrevit iuxta beneplacitum coaeternus Patri suo et Spiritui Chri-

a) Men. die XXV. Februarii Ode ε΄. pag. 139. col. 2. A. Γένος τὸ ἀνθρώπινον τὴν πρώην ὡραιότητα, καὶ τὸ εὐπρεπὲς, καὶ κατ᾽ εἰκόνα δι᾽ ἁμαρτίαν ἀπεκδυσάμενον, ταῦτα περιβάλλεται, ἁγνὴ, διὰ τῆς κυήσεως τῆς σῆς, θεοειδεστέρα.

b) Encom. in b. Virginem pag. 8. B. Καὶ ὅτε ἐξελέξατο καὶ ἡρετίσατο κατ᾽ εὐδοκίαν ὁ συναΐδιος τοῦ πατρὸς αὐτοῦ καὶ πνεύματος Χριστὸς ὁ θεὸς ἡμῶν προσλαβεῖν αὐτὴν πρὸς ἑαυτὸν, τοῦ συνδοξασθῆναι αὐτῷ ἐν δόξῃ, τὴν παμμακάριστον μητέρα αὐτοῦ, τὴν μετ᾽ αὐτὸν, τῶν πάντων κρειττοτέραν, χαίροντες συνέτρεχον ἄγγελοι καὶ ἀρχάγγελοι αἰθεροδρομοῦντες εἰς ἐγκόσμιον καταφοίτησιν, ἐξ οὐρανοῦ θεόθεν στελλόμενοι εἰς λειτουργίαν πανσέπτου αὐτῆς κοιμήσεως.

1) Serm. II. de assumpt. Virginis pag. 44. C-D. in App. ad Maximi taur. opp.

2) Quae ita comparata sunt ut etiam invitis persuadere possint, numquam, Georgio auctore, Deiparam *antiqua* originalique *venustate, decore atque imaginis similitudine fuisse per peccatum exutam.*

3) Coloss. I. 15. coll. Hebr. I. 3.

stus Deus noster apud se illam assumere beatissimam matrem suam, *omnium secundum illum praestantissimam*, ut conglorificaretur cum ipso in gloria; tum laetabundi angeli et archangeli, cursu per aethera inito, in hunc mundum delabentes, divinitus missi de caelo ad ministerium augustissimae eius dormitionis concurrerunt. » Petrus [a]) vero ubi ita Ioachimum alloquitur: « Salve qui diuturnis precibus ad Deum fusis filiam ab illo sortitus es, *quae ob suum Filium omnes supergressa est, praeter unum ipsius Filium et Deum.* » Quare [1]) Amedeus lausannensis episcopus his plane verbis Deiparae encomium orditur: « Omnis sancta et rationabilis anima investigans caeli secreta mysteria, et distinguens ordines supernorum spirituum, invenit *primam post Redemptorem* illam in mulieribus benedictam, illam plenam gratia, quae Deum genuit et virginitatis gloriam non amisit. Haec igitur Virgo beata omni luce clarior, omni suavitate gratior, omnique potentatu sublimior, totum mundum illuminat, et unguenti optimi profusione innovans omnia, Cherubim et Seraphim agmina potestate transcendit et maiestate. » Consentit [2]) Bernardus toletanus, qui adductis antiphonae verbis, *salve* [3]) *regina misericordiae,* pergit: «Quis mihi digne explicet tam insolitae salutationis exordium? Origo fontium et fluminum mare, virtutum auctrix et scientiarum scientia sanctarum Maria: quia sicuti sol universa caeli lumina praecellit praerogativa claritatis eximiae; sic ipsa totam rationalem creaturam *post Filium* praecellit splendore virtutis ac scientiae. » Consentit [4]) vulgatus Anselmus scribens: « Nihil tibi, Domina, aequale, nihil comparabile est: omne enim quod est, aut supra te est, aut subtus te est: quod supra te est, solus Deus est: quod infra te, omne quod Deus non est. » Et ipse pariter consentit [5]) Petrus Damiani ubi de Deipara canit:

a) Orat. in Deiparae concept. §. XII. *Χαίροις ὁ διὰ τῆς ἐμμόνου προσευχῆς πρὸς θεὸν, θυγατέρα πασῶν ἐξ αὐτοῦ καὶ υἱῷ ὑπεραίρουσαν κληρωσάμενος, πλὴν καὶ μόνου τοῦ ταύτης υἱοῦ καὶ θεοῦ.*

1) Hom. I. de laudibus Virginis pag. 1263. col. 1. B. in Max. pp. biblioth. T. XX.

2) Serm. I. in Antiph. *salve regina*, n. 2. pag. 739. E. inter opp. Bernardi T. II.

3) Petrus compostellanus cui debemus hanc antiphonam, non interseruit vocem *mater*, quam ne auctor quidem horum sermonum vel memorat vel illustrat.

4) Tract. de concept. Virginis pag. 501. col. 1. B-C. Porro pag. 504. col. 1. E. de Virgine loquens addit: « Tu *post Deum summa* ac singularis consolatio nostra. »

5) Opp. T. IV. pag. 9. col. 2. B. cf. similis apud Mone pagg. 428-432. in Op. Latein. Hymn. d. Mittelalt. T. I.

» Te beatorum chorus [1]) angelorum,
» Te sacri vates et apostolorum
» Ordo praelatam sibi cernit unam
» Post deitatem.

361. Hinc non minori perspicuitate tradunt Deiparam prae creatis omnibus esse Deo propinquiorem. Egregie [a]) Iohannes damascenus: « Veni benedicta mater mea in requiem tuam: surge, veni *propinqua mea*, pulcra inter mulieres: quoniam ecce [2]) hiems transiit, tempus putationis advenit: pulcra tu propinqua mea et macula non est in te: odor unguentorum tuorum super omnia aromata. » Neque minus egregie [b]) Iosephus hymnographus de Deipara in Templum adducta canens: « Mulierum chorus, o Virgo, *te totam Deo propinquam* dilexit, et post te universorum Domino offerebatur, te uno ore, o inviolata, beatam celebrans. » Tradunt propterea nihil esse medii Deiparam inter atque Filium. Quo sane ista pertinent [c]) ex Iohanne damasceno: « Introeamus adoraturi, mysteriique novitatem cognoscamus, ut elata, ut sublata, ut in caelum delata est, ut Filio super omnes angelorum ordines adstat: *nihil enim Filium inter et matrem medii est.* »

362. Quae matris Filiique penitissima coniunctio argumentum patribus praebet quo doceant, eo gloriae splendore ipsam fulgere, qui ad divinum quam maxime accedat. Qua quidem de re digni sunt qui prae ceteris audiantur Iacobus monachus, Georgius nicomediensis, vulgatus Epiphanius et Iohannes damascenus. Iacobus

a) Apud Nicodemum pag. 661. B. Δεῦρο ἡ εὐλογημένη μου μήτηρ εἰς τὴν ἀνάπαυσίν σου· ἀνάστα, ἐλθὲ ἡ πλησίον μου, ἡ καλὴ ἐν γυναιξὶν· ὅτι ἰδοὺ ὁ χειμὼν παρῆλθεν· ὁ καιρὸς τῆς τομῆς ἔφθασε· καλὴ ἡ πλησίον μου, καὶ μῶμος οὐκ ἔστιν ἐν σοί· ὀσμὴ μυρῶν σου ὑπὲρ πάντα ἀρώματα.

b) Paraclit. pag. 317. col. 2. C. Ὅλην σε τὴν πλησίον Θεοῦ, παρθένε, χορὸς γυναικῶν ἠγάπησε, καὶ σοῦ ὀπίσω προσηνέχθη τῷ δεσπότῃ τῶν ὅλων, συμφώνως μακαρίζων σε, ἄχραντε.

c) Orat. III. in Deiparae dormit. pag. 886. A. Εἰσέλθωμεν προσκυνήσοντες, καὶ γνῶμεν τοῦ μυστηρίου τὸ ξένον, ὡς ἦρται, ὡς μεμετεώρισται, ὡς πρὸς οὐρανὸν εἴληπται, ὡς τῷ υἱῷ πασῶν ὑπέρθεν τῶν ἀγγελικῶν παρίσταται τάξεων· οὐδὲν γὰρ μέσον μητρὸς καὶ υἱοῦ.

1) Haec mihi in mentem revocant praeclarum Anselmi argumentum in Tract. de concept. Virginis pag. 501. col. B. his verbis expressum: « In aeternitate consilii fixum statuit *(Deus)* eam *(Mariam)* dominatricem et reginam fore angelorum; et nunc inferiorem angelis natam, in consortium acceptam esse credemus omnium peccatorum? »

2) Cant. II. 12.

enim [a]) postquam monuit, eo gloriosiores esse parentes quo oborta ex iis soboles illustrior est, continuo Ioachimum et Annam fuisse gloriosissimos his verbis confirmat: « Quemadmodum nata puella, auctore Deo seposito, quod supremum est recepit; ita hi quoque incomparabilem prae parentibus omnibus gloriam obtinuerunt. » Georgius [b]) vero scribit: « Quaenam gloria pro meritis illi respondeat, quam ipse creator rebus omnibus, uno se excepto, sublimiorem ostendit? » Concinit [c]) vulgatus Epiphanius inquiens: « Ave gratia plena. Solo enim Deo excepto, cunctis superior exsistit: natura formosior est ipsis Cherubim, Seraphim et omni exercitu angelico: cui praedicandae caelestis ac terrena lingua minime sufficit, immo vero nec angelorum. » Concinit [d]) et damascenus exclamans: « Ave, quoniam nullus praeter Deum tale tantumque nomen sortitus est, aut talis umquam gloriae compos fuit. »

363. Hinc quod de Filio [1]) legimus, sedere ipsum a dextris Dei, ad Matrem traductum videmus [e]) apud Georgium nicomediensem his verbis: « Quae adstitit a dextris Dei: quae decora et splendore proxima: quae per naturam venusta et labis incapax. » Atque hinc [f]) Iohannes damascenus Deiparam compellans temperare sibi non potest quin exclamet: « Ave Maria, quasi infinita, ob infinitam laudum copiam. Quamvis innumera quis de te dixerit, numquam tamen ar-

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1255. A-B. apud Combefisium Auctar. T. I. Ὥσπερ ἡ τεχθεῖσα τὸ ἀνώτατον, πλὴν τοῦ δημιουργοῦ, ἀπείληφεν· οὕτω καὶ οὗτοι τὸ τοῦ πλέους ἀσύγκριτον παρὰ τοὺς τεκόντας ἀπεκληρώσαντο.

b) Orat. in Deiparae ingressum in Templum pag. 1111. B. apud Combefisium Auctar. T. I. Τίς δόξα κατ᾽ ἀξίαν ταύτης ὀφθήσεται, ἧς ὑπερτέραν τὴν δόξαν πλὴν ἑαυτοῦ ὁ κτίστης ἀνέδειξεν;

c) Orat. de Mariae laudibus pag. 293. B-C. inter opp. Epiphanii T. II. Χαῖρε κεχαριτωμένη· ὅτι χωρὶς θεοῦ μόνου πάντων ἀνωτέρα ὑπάρχει· καλλιωτέρα γὰρ τῶν Χερουβὶμ καὶ Σεραφὶμ καὶ πάσης στρατίας πέφυκεν ἀγγελικῆς πρὸς ἣν οὐρανοῦ καὶ γῆς οὐκ ἐπαρκέσει γλῶττα· τάχα δὲ οὔτε ἀγγέλων.

d) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 841. A. Χαῖρε, ὅτι οὐδεὶς ὡς σὺ πλὴν θεοῦ τηλικοῦτον κεκληρονόμηκεν ὄνομα, ἢ τοιαύτης πώποτε τέτυχε δόξης.

e) Orat. in Deiparae ingressum in Templum pag. 1098. E. apud Combefisium Auctar. T. I. Ἡ ἐκ δεξιῶν θεοῦ παρεστῶσα· ἡ πλησίον τῷ κάλλει καὶ τῇ λαμπρότητι· ἡ ὡραία τῇ φύσει, καὶ μώμου ἀνεπίδεκτος.

f) Orat. II. in Deiparae nativit. pag. 853. E. Χαῖρε Μαρία, ἤτοι μυρία, διὰ τὸ ἀπειροπληθὲς τῶν ἐγκωμίων· μυρία γὰρ εἰπών περὶ σοῦ τις, οὐκ ἂν ἐφίκοιτο τῆς ἀξίας.

1) Hebr. 1. 13.

gumenti dignitatem assequetur. » Quare haud paullo facilius esse puto quadrata simul et rotunda, lucem et tenebras, Christum atque Belial uno eodemque fasce complecti, quam labe infectam peccatoque corruptam arbitrari Deiparam Deo simillimam, Dei formam, obsignatum divinorum charismatum fontem, inter sanctos principem, numquam originali venustate divinaque similitudine exutam, Cherubim et Seraphim natura pulcriorem, a Deo puritate secundam, post Deum praestantissimam, et cum Filio tam intime cohaerentem, ut in eam verissime quadrent [a]) Ephraemi verba, quibus ipsa dicitur « Plenitudo gratiarum Trinitatis, secundas post divinitatem partes ferens. »

CAPUT IX.

Recensentur atque explicantur metaphoricae loquutiones apud maiores usitatae eoque pertinentes, ut summa Deiparae innocentia singularisque puritas ab omni labe immunis declaretur.

364. Necessitas, decus, insitumque humanis animis studium ea simul componendi, quae similitudinis cognatione sociantur, totidem sunt caussae e quibus usus *translatae loquutionis* repeti debet. « Translatio verbi, inquit [1]) Tullius, instituta est inopiae caussa, frequentata delectationis. Quod enim declarari vix verbo proprio potest, id translato cum est dictum, illustrat id quod intelligi volumus, eius rei quam alieno verbo posuimus, similitudo. » Quum itaque maiores nostri de eximia Virginis innocentia, singularique puritate a quovis soluta naevo disserentes nullas reliquas fecerint proprias loquutiones, non omiserint absolutas non comparatas, non omiserint concretas non abstractas, non omiserint aientes non negantes, non omiserint seiunctas non cumulatas, non omiserint positivas non superlatas excessumque praeseferentes; fuit profecto cur ad metaphoricas quoque sese reciperent, illasque ad exprimendam speciem

a) Ad Deiparam precat. IV. p. 529. B. opp. graec. T. III. Τριαδικῶν χαρίτων πλήρωμα, ὡς τὰ δεύτερα τῆς Θεότητος φέρουσα.

1) De Orator. lib. III. cap. XXXVIII.

animo praeceptam usurparent. Et usurparunt enimvero, tantaque cura usurparunt, ut vix ullus sit modus translatae loquutionis ad significandam innocentiam omnibus expletam numeris idoneus, qui non ab iis frequentatus reperiatur.

365. Haec ex iis abunde innotescent quae praesenti capite referemus, e quibus pariter innotescet I. propriam loquendi formam cum translata in ecclesiasticis monimentis perfectissime conspirare: II. utramque eo pertinere, ut talis Deiparae tribuatur innocentia, ac talis vindicetur puritas, quae nulla umquam peccati labe sorduerit: proindeque III. opus omnino esse vel ab explorata maiorum doctrina stataque sententia dissidere, vel Deiparam nullo umquam culpae vinculo obstrictam, et nulla umquam peccati macula infectam sincerissime profiteri.

ARTICULUS I.

De loquutionibus translatis ex luce desumptis eoque spectantibus ut Deipara cuiusvis semper exsors culpae demonstretur.

366. Quum nihil sit in rerum natura unde simile duci non possit, proindeque infiniti fere sint metaphorarum modi; nihilominus tum idonea medii comparatione aptaque ratione similitudinis, tum usu et more loquendi non minimum circumscribuntur. Inter modos vero hasce ob caussas circumscriptos ille exstat atque eminet, quo *lux* ad designandam perfectissimam puritatem, et *tenebrae* atque *umbrae* ad innuendas animi labes adhibentur. Exempla quae [1]) obvia sunt in Scripturis, haud rariora in christianis monimentis apparent. Iamvero ausim contendere, praestantissimas quasque metaphoras quae peti *ex luce* possunt, de Virginis innocentia et puritate adhibitas in libris patrum, ceterisque christianae antiquitatis monimentis saepissime reperiri.

367. Et re sane vera Deipara est, quae [a]) ab Ephraemo, Geor-

a) Precat. IV. pag. 530. B. opp. graec. T. III. *Φωτοδόχον χωρίον, ἐξ οὗ σωτηρίας ἀκτῖνες τῇ οἰκουμένῃ ἐπέλαμψαν.*

1) Cf. Glassii Philolog. sacr. lib. II. tract. I. cap. X. pagg. 1044. seqq., Kieslingii Comm. in voc. φῶς, λύχνος et φωστῆρες ad effata Ioh. V. 35, VIII. 12, Philipp. II. 15., et Krause Commentat. de usu vocabulorum φῶς et σκοτία in novo Testamento.

gio nicomediensi [1]) et Iacobo monacho [2]) φωτοδόχον χωρίον *locus luce repletus, lucisque receptaculum* nuncupatur. En Ephraemi verba, quibus duo reliqui simillima scribunt: « Locus lucis repletus, e quo salutis radii universo mundo illuxerunt. » Deipara est quam [a]) Theophanes invocans ait: « Ab horum (daemonum) callida malitia *o immaculatum lucis receptaculum,* me eripe, meque splendidum virtutis domicilium reddito. » Deipara est de qua [b]) Theodotus ancyranus scribit: « Ave *o lumen induta,* ave intemeratissima sanctitatis mater. » Deipara est de qua [c]) sic habet Metrophanes: « Te, o Virgo, Dei thalamum luciferum purumque effectam cupide laudamus et beatam extollimus; ex te enim genitus est Christus in duabus naturis et voluntatibus, unus de Trinitate, et qui est Dominus gloriae. » Et Deipara est ad quam ista pertinent [d]) ex vulgato Gregorio neocaesariensi: « Haec *lucis indumentum* et virtutis domicilium: haec fons perennis e quo aqua viva scaturivit et produxit Domini in carne adventum. »

368. His autem egregie illa respondent, quibus Deipara audit [e]) *lucidissima porta:* « Lucidissima porta, ut nosti, a Deo penetrata, famulo tuo caelestes portas recludi efflagita, ut te in requie celebret, sola humani generis protectio. » Egregie illa respondent quibus ab Iosepho confessore [f]) *palatium splendidissimum* nuncupatur:

a) Men. die XXIII. Octobris Ode γ'. pag. 136. col. 1. A. Τῆς τούτων (δαιμόνων) κακουργίας με ῥῦσαι, λαμπρὸν οἰκητήριον ἀρετῆς ἀπαρτίσασα, φωτοδόχε ἀκήρατε. Gemina scribunt tum idem Theophanes ad diem XVII. Ianuarii Ode γ'. pag. 146. col. 2. D., tum Iosephus confessor ad diem XI. Octobris Ode θ'. pag. 61. col. 1. D.

b) Serm. in Deiparam et in Symeonem §. III. pag. 460. D. apud Gallandium Tom. IX. Χαίροις φωτοστόλιστε· χαίροις πανάχραντε μῆτερ ἁγιότητος.

c) Paraclit. pag. 113. col. 2. C. Νυμφῶνα φωτοφόρον καὶ καθαρὸν, παρθένε, γεγονυῖαν Θεοῦ σε ὑμνοῦμεν πόθῳ καὶ μακαρίζομεν· ἐκ σοῦ γὰρ ἐτέχθη Χριστὸς ἐν οὐσίαις καὶ θελήσεσι διτταῖς, ὁ εἷς τῆς τριάδος, καὶ τῆς δόξης ὢν κύριος.

d) Orat. II. in Deiparae annuntiat. pag. 18. A-B. Αὕτη φωτὸς ἔνδυμα καὶ ἀρετῆς ἐφέστιον· αὕτη πηγὴ ἀέναος, ἐν ᾗ τὸ ζωὸν ὕδωρ ἔβλυσε τὴν ἔνσαρκον τοῦ κυρίου παρουσίαν.

e) Euchológ. in Officio funereo pro sacerdote vita functo, pag. 586. A. Ἡ φωτεινοτάτη πύλη, ἣν διώδευσε θεὸς, ὡς οἶδας, πύλας οὐρανίους ἀνοιγῆναι αἴτησαι τῷ σῷ οἰκέτῃ, ὅπως σὲ δοξάζῃ ἐπαναπαυόμενος, μόνη προστασία τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων.

f) Men. die XIV. Octobris Ode ζ'. pag. 89. col. 1. C. Φωτεινότατον παλάτιον εὑράμενος θεὸς τὴν μῆτραν σου, ταύτην κατῴκησεν.

1) Orat. in Deiparae praesentat. pag 187. D. apud Combefisium Auctar. T. I.

2) Orat. in Deiparae nativit. 1255. D-E. apud Combefisium Auctar. T. I.

« Quum Deus sinum tuum invenerit palatium splendidissimum, in eo habitavit. » Hinc [a]) Sophronius: « Ave lucidissimum Regis palatium, ave quae terram caelo coniunxisti, o Virgo, per quam salvamur. » Tum illa egregie respondent quibus [b]) ab Ephraemo *vestis immaculata lucis* dicitur: « Ave vestis immaculata eius qui lucem induit sicut vestimentum. »

369. Ad quam classem revocari quoque testimonia debent, quibus Deipara salutatur nunc quidem *uti lampas lucidissima et umbra carens,* nunc vero *uti plena lucis, uti caelestis splendor atque lux divina.* Praeclare [c]) Andreas cretensis: « Acta divinitus Anna, tamquam aurifulgens lucerna gestans lampadem lucidissimam Deiparam, universum mundum illuminavit divina luce, splendidisque virginitatis flammis. « Praeclare [d]) Basilius pegoriotes: « Lucerna splendidissima quum sis, o Dei sponsa, hodie refulsisti in domo Domini, nosque, o innocens Deipara celebratissima, venerandis charismatis mirabilium tuorum illuminas. » Et [e]) rursum: « Lucifera lampas, exclamavit sacerdos, nobis accendit gaudium maximum refulgens in Templo: animae prophetarum simul exsultent, utpote mirabilia conspicientes quae in domo Dei perficiuntur, et iam clament: benedicite omnia opera Domini Dominum. » Praeclare [f]) Anatolius de Ioachimo et Anna: « Lucernae emittentes lampadem umbrae nesciam, ditati gratia, idest, Deipara inviolata. » Praeclare [g]) Sophronius qui Deiparam invocans ait: « O tu quae lucerna es inextinguibilis, thala-

a) Triod. pag. 219. apud Mai Spicileg. rom. T. IV. Χαῖρε παλάτιον τοῦ βασιλέως τὸ φωτεινότατον, χαῖρε ἡ γῆν τοῖς οὐρανοῖς, παρθένε, συνάψασα, δι' ἧς σωζόμεθα.

b) Precat. IV. pag. 528. opp. T. III. Χαῖρε ἄσπιλον ἔνδυμα τοῦ ἀναβαλλομένου φῶς ὡς ἱμάτιον.

c) Antholog. die IX. Septembris Ode ζ'. pag 31. col. 1. C. Λαμπάδα πολύφωτον τὴν Θεοτόκον ἡ Ἄννα ἡ ἔνθεος, καθάπερ χρυσαυγίζουσα λυχνία, βαστάζουσα, τὸν κόσμον ἅπαντα θείῳ κατελάμπρυνε φωτὶ, καὶ παρθενίας λαμπροῖς πυρσεύμασι.

d) Antholog. die XXI. Novembris Ode ε'. pag. 131. col. 1. D. Λυχνία πολύφωτος ὑπάρχουσα θεόνυμφε, σήμερον ἐξέλαμψας ἐν οἴκῳ τῷ τοῦ κυρίου, καὶ καταυγάζεις ἡμᾶς τοῖς σεπτοῖς χαρίσμασιν, ἁγνὴ, τοῖς τῶν θαυμασίων σου, θεοτόκε πανύμνητε.

e) Antholog. die XXI. Novembris Ode η'. pag. 134. col. 1. A. Φωσφόρος ἡμῖν ἀνῆψε λαμπὰς, ἐβόησεν ὁ ἱερεὺς, χαρὰν μεγίστην ἐκλάμπουσαν ἐν ναῷ· ψυχαὶ προφητῶν συνευφραινέσθωσαν, ὡς παράδοξα θεώμεναι, τελούμενα ἐν οἴκῳ θεοῦ, καὶ ἐβοάτωσαν νῦν· εὐλογεῖτε πάντα τὰ ἔργα κυρίου τὸν κύριον.

f) Men. die XXV. Iulii pag. 123. col. 1. D. Λύχνοι οἱ ἀνατείλαντες λαμπάδα τὴν ἄσκιον· οἱ εὐθηνοῦντες τὴν χάριν, τὴν θεοτόκον τὴν ἄχραντον.

g) Triod. pag. 143. apud Mai Spicileg. rom. T. IV. Λυχνία ἄσβεστε, νυμφὼν ὁλό-

mus totus lucidus, Seraphim superior, currus cherubicus, o perfecte intemerata, me a gravibus peccatis atque periculis libera. » Et praeclare [a]) Psellus qui Virginem absolute simpliciterque vocat *caelestem splendorem*.

370. Ab his autem piaculum esset ista seiungere quae habet [b]) Iacobus monachus ubi de nativitate Virginis verba faciens scribit: « Conversa est tristitia in laetitiam, plenaque doloris moestitia in pristinam cessit iucunditatem. O diei hodiernae solatium! Quam claris gratiae radiis varie illustratur! Quam splendidae super modum horae, in quibus nobis lucis nubes exorta est! Quam sol eximie pulcros ostendit roseos radios, ac limpidissimo in terram inspexit lumine, quum solis iustitiae currus exstructus est! Quomodo splendidissima venustate caelum circumfulsit, glorioso illo et capaciori caelo adveniente! Quam sanctus locus, ubi editum est Dei sanctuarium: ubi domus gloria fundata: ubi praesanctum et incomprehensibile templum extructum est! » Neque ista seponere licet, quibus Deipara [c]) ab Ephraemo vocatur « Splendor veri mysticique diei. » Neque ista rursus, quibus [d]) Iohannes damascenus ait: « Ave Dei susceptrix, luminosum divinae infinitatis elementum, cuius pedali utero comprehensus est infinitus, quique omnium in se fines continet. »

371. Opportunissima tandem sunt quae in antiquis monimentis *de Virgine cum nube comparata* passim recurrunt. Hac enim com-

φωτὶ, Σεραφὶμ ὑπερτέρα, Χερουβικὸν ὄχημα, πανάμωμε, ἁμαρτιῶν με χαλεπῶν καὶ κινδύνων ἐλευθέρωσον.

a) Apud Nicodemum pag. 228. B. Οὐρανίαν αἴγλην.

b) Orat. in Deiparae nativit. pagg. 1266. E. et 1267. A. apud Combefisium Auctar. T. I. Ἐπανῆλθεν ἡ λύπη πρὸς εὐφροσύνην, καὶ ἡ κατώδυνος ἀθυμία εἰς τὴν πάλαι μετεποιήθη εὐθυμίαν· ὢ φαιδρότητος τῆς παρούσης ἡμέρας ὡς διαυγέσι τοῖς τῆς χάριτος ἀκτῖσι καταποικίλλεται· ὡς ὑπερφαεῖς αἱ ὧραι ἐν αἷς ἡμῖν ἡ τοῦ φωτὸς ἀνέτειλε νεφέλη· ὡς ὑπερωραῖα ῥοδοειδῆ καθυπέδειξε κάλλη ὁ ἥλιος, καὶ φανωτάτῳ τῇ ὑπ' οὐρανὸν διέκυψε φωτὶ, ἡνίκα τὸ τῆς δικαιοσύνης τοῦ ἡλίου ὄχημα κατεσκευάσθη· ὡς φαιδροτάτῳ κόσμῳ ὁ οὐρανὸς περιελάμπετο, τοῦ δεδοξασμένου καὶ εὐρυχωροτέρου παραγενομένου οὐρανοῦ· ὡς ἡγιασμένος ὁ τόπος, καὶ δεδοξασμένη ἡ ἑστία, ἔνθα τὸ τοῦ Θεοῦ ἀπεκυήθη ἁγίασμα· ἔνθα ὁ οἶκος ἐθεμελίωσε τὴν δόξαν· ἔνθα ὁ ὑπεράγιος καὶ ἀκατάληπτος ᾠκοδομήθη ναός. Quae Combefisius ita vertit, ut nonnulla penitus omiserit, alia perverterit, omnia obscurarit.

c) Precat. IV. pag. 529. A. opp. T. III. Αὐγὴ τῆς ἀληθινῆς καὶ μυστικῆς ἡμέρας.

d) Orat. II. in Deiparae nativit. pag. 856. E. Χαῖρε Θεοδόχε, φωτοειδὲς στοιχεῖον τῆς θείας ἀπειρίας, οὗ ὁ ἄπειρος ποδιαίᾳ γαστρὶ περιεχόμενος καὶ ἐν ἑαυτῷ περιέχον τὰ πέρατα.

paratione usus [a]) Iosephus confessor scribit: « O lucidissima solis nubes, undequaque immaculata. » Et [b]) alibi: « Nubes solis intelligibilis, lucerna aurifulgens divini splendoris, o Domina intacta, inviolata, omnisque labis funditus expers, tenebricosam animam meam passionibus obscuratam splendore impassibilitatis, obsecro, illumina. » Ac [c]) denuo: « O Deo gratiosissima, tu quae es thalamus et thronus dominantis, mons Dei, civitas electa et paradisus, solis nubes penitus lucida, illumina animam meam. » Eadem usus comparatione Iohannes damascenus [d]) ait: « Omnium conditori (in Deiparae nativitate) templum quo exciperetur extructum est, quia Verbo rerum opifici hospitii domus est parata, soli iustitiae expansa lucis nubes, ei qui caelum nubibus operit, divinitus texti amictus tela consurgit. » Eadem usus [e]) Georgius nicomediensis de conceptu Virginis inquit: « Cum enim spiritalis hodie nubes explicari claro vocis praeconio refertur, iam quidem luminis quod nescit occasum, radii mundo praeoriuntur, quaeque hactenus obtinuerant impietatis tenebrae, diminutionem accipiunt ac fugantur. » In Menaeis vero haud facile quidquam repereris eiusmodi comparatione crebrius adhibitum. Ea namque adhibetur ubi [f]) dicitur: « O lucida solis nubes, in me radium emitte qui tenebras mearum prolapsionum depellat. » Ea adhibetur [g]) his verbis: « O supra modum lucida solis nubes, o cuius-

a) Men. die XVIII. Decembris Ode ε'. pag. 152. col. 1. D. Ὑπέρφωτε τοῦ ἡλίου νεφέλη, παναμωμε.

b) Men. die XII. Octobris Ode γ'. pag. 75. col. 1. D. Τοῦ ἡλίου νεφέλη τοῦ νοητοῦ, θείου φέγγους λυχνία χρυσοφαὴς, ἄσπιλε, ἀμόλυντε, παναμώμητε δέσποινα, τὴν σκοτεινὴν ψυχήν μου τυφλώττουσαν πάθεσι, τῆς ἀπαθείας αἴγλῃ καταύγασον, δέομαι.

c) Men. die XXIII. Decembris Ode θ. pag. 194. col. 1. B. Παστὰς καὶ θρόνε τοῦ βασιλεύοντος, ὄρος θεοῦ, καὶ πόλις ἐκλεκτὴ, καὶ παράδεισε, τοῦ ἡλίου νεφέλη ὁλόφωτε, φώτισον τὴν ψυχήν μου, θεοχαρίτωτε.

d) Orat. II. in Deiparae nativit. pag. 850. A-B. Τῷ κτίστῃ τῶν ἁπάντων ναὸς ὑποδοχῆς ᾠκοδόμηται· ὅτι τῷ δημιουργῷ λόγῳ καταγώγιον ξενισμοῦ ἡτοίμασται· ὅτι τῷ ἡλίῳ τῆς δικαιοσύνης νεφέλη φωτὸς ἐξήπλωται· ὅτι τῷ περιβάλλοντι τὸν οὐρανὸν ἐν νεφέλαις, θεοϋφάντου περιβολαίου ἱστὸς ἀνίσταται.

e) Orat. in Deiparae concept. pag. 998. A. apud Combefisium Auctar. T. I. Σήμερον γὰρ τῆς νοητῆς νεφέλης τὴν αἴγλην ἐφαπλοῦσθαι κηρυττομένης, αἱ τοῦ ἀδύτου μὲν φωτὸς προανίσχουσι εἰς τὸν κόσμον ἀκτῖνες, τὸ κρατῆσαν δὲ τῆς ἀθεΐας ἀπομειοῦσθαι καὶ ἀπελαύνεσθαι ἄρχεται σκότος.

f) Men. die XII. Ianuarii Ode ε'. pag. 117. col. 2. D. Ἡ φωτεινὴ τοῦ ἡλίου νεφέλη λάμψον μοι αἴγλην λύουσαν τὸν ζόφον μου τῶν πταισμάτων.

g) Men. die XVIII. Decembris Ode ε'. pag. 152. col. 1. D. Ὑπέρφωτε τοῦ ἡλίου νεφέλη,

vis nescia maculae, precibus tuis dissipa meae mentis nubila, animumque meum desidia obtenebratum illustra, ut te, omni laude digna, concelebrem. » Ea adhibetur [a]) ubi legimus: « O lucis nubes, o penitus immaculata, quomodo eum nube involvis qui nutu ineffabili caelos supervestit? » Eodemque spectant tum [b]) haec: « Luna Elisabeth intus gestans divinum astrum prodromum adoravit lucidam nebulam Mariam gestantem solem Christum, ex te carne indutum ut nos ipse servaret. » Tum ista quae [c]) subdimus: « Emicans lucis receptaculum apparuisti, o Deipara: lux namque aeterna ex tuo sinu mundo enituit, omnesque te Deiparam recta fide celebrantes illuminavit. » Atque ista pariter [d]) ex Triodio: « O gaudii caussa, nobis mentem largire qua tibi acclamemus: salve rubus incombustus, nebula tota lucida, quae fideles incessanter tueris. »

372. Consentiunt iisdem de rebus Armenii, e quibus [1]) Gregorius narecensis inquit: « Te deprecor, sancta Dei genitrix, quae angelus es ex hominibus, Cherubus in specie carnis, caelestis regina, aëris instar immixta ac simplex, pura veluti lux, et intemerata tamquam excelsa Luciferi imago. » Neque perspicue minus consentiunt Latini, e quorum numero [2]) Venantius Fortunatus Virginem laudans scribit:

» Exsuperans portas Sion splendore corusco,
» Stans merito fidei, gemma superba throni.
» Ore diem iaculans, radios a fronte sagittans
» Luminibus rutilis, lumen honore rotans.
» Sidereum speculum, illustris domus Omnipotentis,

παναμωμε, ἀπέλασον τῆς ψυχῆς μου τὰ νέφη πρεσβείαις σου, καὶ τὸν νοῦν μου φώτισον τῇ ἀμελείᾳ σκοτισθέντα, ὅπως ὑμνῶ σε, πανύμνητε.

a) Men. die XXIV. Decembris Ode η'. pag. 198. col. 1. B. Φωτὸς νεφέλη, παναμώμητε, πῶς σπαργανώσεις νέφει τὸν ἐπενδύοντα οὐρανοὺς ἀῤῥήτῳ νεύματι;

b) Men. die XXIII. Septembris Ode ζ'. pag. 146. col. 1. C. Ἡ σελήνη Ἐλισάβετ ἔνδον φέρουσα ἀστέρα θεῖον πρόδρομον προσεκύνησε φωτεινὴν νεφέλην Μαριάμ, τὸν ἥλιον φέρουσαν Χριστὸν σαρκοφορούμενον ἐκ σοῦ, διὰ τὸ σῶσαι ἡμᾶς.

c) Men. die III. Iunii Ode θ'. pag. 19. col. 1. A. Φωτὸς δοχεῖον ἐδείχθης φωτολαμπὲς, Θεοτόκε· τὸ ἄχρονον ἐκ γαστρός σου φῶς γὰρ ἀνέτειλε κόσμῳ, κατεφώτισε πάντας ὀρθοδόξως σε θεοτόκον ὑμνοῦντας.

d) Triod. pag. 319. col. 1. B. Χαρᾶς αἰτία χαρίτωσον ἡμῶν τὸν λογισμὸν τοῦ κραυγάζειν σοι· χαῖρε ἡ ἄφλεκτος βάτος, νεφέλη ὁλόφωτε, ἡ τοὺς πιστοὺς ἀπαύστως ἐπισκιάζουσα.

1) Lib. prec. pag. LXXX. P. 1. lib. VIII. cap VI.
2) Carm. in Virginis laudem pag. 284. opp.

» Vultibus ex illis fulgura clara ferens.

Et [1]) mox:

» Nix premitur candore tuo, sol crinis honore,
» Pallescunt radii, Virgo, decore tui.
» Lychnites hebes est, cedit tibi Lucifer ardens,
» Omnibus officiis lampade maior ades.

Et [2]) infra:

» Pulcra super gemmas, splendorem solis obumbrans,
» Alta super caelos, et super astra nitens.
» Vellere candidior niveo, rutilantior auro,
» Fulgidior radio, dulcior ore favo.

Succedit [3]) Anselmus inquiens:

» Regina caeli inclyta,
» Orbis lampas siderea,
» Meas absterge lacrimas
» Et peccatorum nebulas.
» Maria lux aetherea,
» Ut meas preces deferas,
» Tuis stratus vestigiis
» Mente deposco supplici.

Quae cum his [4]) ex ecclesiastica Sequentia conferri debent:

» Veni praecelsa domina
» Maria, tu nos visita,
» Aegras mentes illumina
» Per sacra vitae numina.
» Veni lux, stella marium,
» Infunde pacis radium,
» Exsultet cor in gaudium
» Iohannis ante Dominum.

373. Cuiusmodi est igitur Deiparae innocentia? quae quantave ipsius puritas? Ea scilicet quae tum significatur quum translatis e luce vocabulis Deipara dicitur *locus luce repletus, lucis receptaculum, immaculatum lucis receptaculum, induta lumine, lucis indumentum, lucidissima porta, palatium splendidissimum, caelestis splendor, iubar veri mysticique diei, luminosum divinae infinitatis elementum, lucis nubes, nubes solis tota lucida, thalamus totus lucidus, lampas supra modum fulgida, umbrae nescia et quae quum primum apparuit, salutis radios praemisit.* Haec autem et quae his sunt simillima, non aliam praeferunt innocentiae speciem nisi penitus intaminatam, neque aliam exhibent puritatis imaginem nisi culpae omnis funditus expertem. Quare sicuti repeti cum Germano [a]) de Virgine debet,

a) Orat. in Deiparae praesent. pag. 1418. E. apud Combefisium Auctar. T. I. Δεῦρο τὸ σέλας τῶν ἐν σκότει.

1) Ibidem.
2) Ibidem pag. 287.
3) Orat. LX. pag. 286. col. 1. B-E.
4) Thesaur. hymnolog. pag. 165. T. II.

adesto splendor in tenebris iacentium; ita ad ipsam, ea qua convenit proportione, referenda sunt quae de Deo [a]) Iohannes scribit: *quoniam Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae.* Nimirum quoniam Deus est sanctissimus et purissimus, et a quovis culpae naevo integer atque solutus. Haec enim in eam quoque praeclarissime quadrant, quae est splendor veri mysticique diei, quae est lucidissima solis nubes undequaque immaculata, quae tota est splendida, umbrae nescia, atque alterum secundum Deum innocentiae puritatisque gradum obtinet.

ARTICULUS II.

De loquutionibus metaphoricis e sole petitis atque idcirco usurpatis, ut Mariae integritas nullo umquam imminuta naevo demonstretur.

374. Non praestantissimus dumtaxat status, quo beati in aeternitate potiuntur cum sole [1]) in Scripturis comparatur: unde iusti dicuntur fulgere instar solis in regno Patris sui; verum etiam de ipsomet Christo [b]) litteris consignatum legimus: *et orietur vobis qui timetis nomen meum, sol iustitiae.* Christus enim, Epiphanio [c]) teste, propterea audit *sol iustitiae quod tenebris obductas mentes nostras illuminarit;* sive ut Theodoritus [d]) notat, *quod velut sol quidam nobis exortus sit in caligine et mortis umbra constitutis.* Sol igitur, *splendidissimum illud,* ut verbis utar [e]) Clementis alexandrini, *inter ea quae caelum obeunt,* mirifice confert ut translatis ex eo loquutionibus nitidissima puritas, nulloque maculata naevo ostendatur.

a) I. Ioh. I. 5. Ὅτι ὁ θεὸς φῶς ἐστι, καὶ σκοτία ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστιν οὐδεμία.

b) Malach. IV. 2. Καὶ ἀνατελεῖ ὑμῖν τοῖς φοβουμένοις τὸ ὄνομά μου ἥλιος δικαιοσύνης.

c) Ancorat. pag. 488. Ἥλιος δικαιοσύνης, ὁ καταυγάσας τὰς ἡμετέρας σκοτισθείσας διανοίας.

d) Comm. ad Malach. IV. 2. Οἱόν τις ἥλιος ἡμῖν ἀνέτειλε ἐν σκότει καὶ σκιᾷ θανάτου καθημένοις.

e) Stromat. lib. VIII. pag. 770. Τὸ λαμπρότατον τῶν κατ' οὐρανὸν ἰόντων.

1) I. Cor. XV. 41., Matth. XIII. 43. coll. Daniel. XII. 3.

375. Egregia autem sunt quae ex hoc lucis fonte maiores nostri derivarunt, ut insculptam animo virgineae puritatis effigiem verbis exprom erent. Et Sophronius quidem senior [1]) vel quisquis alius sit auctor sermonis de assumptione Deiparae ad Paulam et Eustochium, sic habet: « Pulcra [2]) ut luna, immo pulcrior quam luna, quia iam (in caelum ascendens) sine defectu sui coruscat caelestibus illustrata fulgoribus. *Electa ut sol fulgore virtutum,* quia ipse elegit eam sol iustitiae ut nasceretur ex ea. » Quibus haud paullo insigniora sunt quae scribit [a]) Iohannes monachus inquiens: « Ave *quae solis formam praefers,* impervius solis currus, quaeque incomprehensum solem emittis. Ave mens fulgens divinis coruscationibus, quae splendore micas, terraeque fines illustras. » Cum his vero mirifice ista [b]) consentiunt: « Ave *astrum soliforme:* ave caussa bonorum omnium, o penitus immaculata: ave divinum vehiculum, porta perfecte lucida: ave puella, quae avitam maledictionem nostram abstulisti, nobisque bona conciliasti. » Atque haec rursum [c]) ex Iohanne geometra: « Salve quae mundum beas, *tota splendes, formamque solis* [3]) *refers,* ianua sponte patens triadicae gloriae. »

376. Quamquam patribus satis non fuit Virginem dicere instar solis, electam et soliformem depraedicare; sed eamdem esse sole nitidiorem splendidioremque frequentes confirmarunt. Confirmavit [d]) Germanus his verbis: « Benedictum igitur propter hoc nomen tuum

a) Men. die X. Octobris pag. 56. col. 2. D. Χαῖρε ἡλιόμορφε, ἡλίου ἄδυτον ὄχημα, ἡ τὸν ἥλιον λάμψασα τὸν ἀπερινόητον· χαῖρε νοῦς ἀστράπτων θείαις φρυκτωρίαις, ἡ λαμπηδὼν τῆς ἀστραπῆς, ἡ διαυγάζουσα γῆς τὰ πέρατα. Haec autem repetuntur die XXI. Iulii pag. 106. col. 2. B.

b) Men. die XV. Ianuarii ad vesperas pag. 129. col. 1. B. Χαῖρε ἡλιόμορφος ἀστήρ· χαῖρε ἡ αἰτία τῶν ἁπάντων καλῶν, πανάμωμε· χαῖρε θεῖον ὄχημα, πύλη ἡ πάμφωτος· χαῖρε ἡ ἀρᾶς ἀναιρέτις τῆς προγονικῆς ἡμῶν, κόρη, ἀγαθῶν ἡ πρόξενος ὑπάρχουσα.

c) Hymn. III. in Deiparam vv. 50-51. pag. 441. E. in app. ad Biblioth. pp. graecolat. T. III.

Χαῖρε καὶ ὀλβιόκοσμε, πανεμφαὲς, ἡλιόμορφε,
Τριαδικῆς δόξης αὐτοκίνητε πύλη.

d) Orat. in Deiparae dormit. apud Nicodemum pag. 241. D. Εὐλογημένον τοίνυν διὰ τοῦτο τὸ ὄνομά σου εἰς τοὺς αἰῶνας· πρὸ τοῦ ἡλίου τὸ φῶς σου· ὑπερτέρα πάσης κτίσεως ἡ τιμή σου· πρὸ τῶν ἀγγέλων ἡ ὑπεροχή σου.

1) Serm. de assumpt. Deiparae col. 98. B. inter opp. Hieronymi T. XI.

2) Cantic. VI. 9.

3) Similia auctoribus Theophane et Iosepho frequentantur in Menaeis die XV. Septembris Ode α'. pag. 106. col 2. E., die 1. Aprilis Ode ε'. pag. 5. col. 2. E. et die XV. Aprilis Ode ϛ'. pag. 61. col. 1. D.

in secula: *prae sole lux tua:* honor tuus omni creatura superior: prae angelis excellentia tua. » Confirmavit [a]) Iohannes damascenus de nata Virgine scribens: « Splendide hodie diem festum agit condita natura, cum novum caelum Virginem accipit. Puella in terris nata est, Regis caelorum animatus thalamus: iuvencula solis radios fulgoribus obscurans, infans ex sterili effulsit, sacratissimum virginitatis sacrarium. » Et [b]) rursum: « Sole quem conspicimus tu purior es: ave gratia plena, quia omnibus quae ab ortu solis sunt, nobilior es: ave gratia plena, quia super nivem alba facta es, et super mel dulcis: ave gratia plena, quoniam plenum caelum est et terra magnitudine tua. » Confirmavit [1]) Gregorius nyssenus qui Deiparam ὑπὲρ τὸν ἥλιον *super solem lucidam* appellat. Et unanimes confirmant Graeci, sive quum [c]) canunt: « Salve lucerna omni ex parte fulgens, regina splendidior solaribus splendoribus: salve, o intacta, solutio antiquae maledictionis, revocatio generis nostri: salve splendidissimum Regis universorum palatium. » Sive quum [d]) in officio communis supplicationis clamant: « Caelis altiorem, radiis solaribus puriorem, mundi dominam a maledictione nos liberantem hymnis celebremus. » A Graecis vero ne minimum quidem distant Copti atque Latini, quorum illi [e]) Deiparam sic laudant: « Fulgens plusquam sol, tu es orientalis plaga quam iusti gaudentes atque exsultantes contuentur. » E

a) Orat. II. in Deiparae nativit. pag. 849. E. Λαμπρῶς πανηγυρίζει ἡ κτίσις σήμερον καινὸν οὐρανὸν τὴν παρθένον λαβοῦσα· κόρη ἐπὶ γῆς γεγέννηται, τοῦ βασιλέως τῶν οὐρανῶν ἐμψυχώμενος θάλαμος· νεανὶς εἰς φῶς ἐλήλυθε τῆς ἡλιακῆς ἀκτῖνος φανώτερον ἀστράπτουσα, βρέφος ἐκ στείρας ἀνέλαμψεν, τῆς παρθενίας τέμενος ἱερώτατον.

b) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 839. A-B. Καθαρωτέρα σὺ ὑπὲρ τὸν φαίνοντα ἥλιον· χαῖρε κεχαριτωμένη, ὅτιπερ εὐγενεστέρα σὺ πάντων τῶν ὑφ' ἡλίου ἀνατολῶν· χαῖρε κεχαριτωμένη, ὅτι ὑπὲρ χιόνα ἐλευκάνθης, καὶ ὑπὲρ μέλι ἐγλυκάνθης· χαῖρε κεχαριτωμένη, ὅτι πλήρης ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ τῆς σῆς μεγαλειότητος.

c) Men. die XV. Ianuarii ad vesperas pag. 129. col. I. D. Χαῖρε λύχνε πάμφωτε, ἡλιακῶν λαμπηδόνων λαμπροτέρα δέσποινα· χαῖρε λύσις ἄχραντε τῆς ἀρχαίας ἀρᾶς, ἡ ἀνάκλησις γένους ἡμῶν· χαῖρε παλάτιον τοῦ παμβασιλέως λαμπρότατον.

d) Euchólog. pag. 859. D. Τὴν ὑψηλοτέραν τῶν οὐρανῶν, καὶ καθαρωτέραν λαμπηδόνων ἡλιακῶν, τὴν λυτρωσαμένην ἡμᾶς ἐκ τῆς κατάρας, τὴν δέσποιναν τοῦ κόσμου ὕμνοις τιμήσωμεν.

e) Theotoch. tetrast. III. pag. 126.

Ⲧⲉⲉⲣⲟⲩⲱⲓⲛⲓ ⲉϩⲟⲧⲉ ⲫⲣⲏ: ⲛ̀ⲑⲟ ⲡⲉ ⲡⲥⲁ ⲛ̀ϯⲁⲛⲁⲧⲟⲗⲏ, ⲉⲣⲉ ⲛⲓⲑⲙⲏⲓ ϫⲟⲩϣⲧ ⲉⲃⲟⲗ ϧⲁϫⲱⲥ ϧⲉⲛ ⲟⲩⲟⲩⲛⲟϥ ⲛⲉⲙ ⲟⲩⲑⲉⲗⲏⲗ ⳾

1) Apud Nicodemum pag. 214

Latinis autem audiri debent [1]) Notkerus qui de nativitate Domini scribit: « Hodie seculo *maris stella* est enixa novae salutis gaudia.» Quibus haec consona sunt [2]) ex sequentia de Virgine assumpta: « Quam *splendida polo stella maris rutilat*, quae omnium lumen astrorum et hominum atque spirituum genuit. » Tum haec [3]) ex Bernardo: « Angelus consilii natus est de Virgine, *sol de stella*. Sol occasum nesciens, *stella semper rutilans, semper clara*. » Haec item [4]) ex vetustis canticis:

» O Maria *stella maris*	» In supremo sita poli
» Dignitate singularis,	» Nos assigna tuae proli,
» Super omnes ordinaris	» Ne terrores sive doli
» Ordines caelestium.	» Nos supplatent hostium.
» O *stella perfulgida*,	» Simonis navicula,
» Tu dira certamina	» Filii tunicula,
» Maris huius reprime.	» Ne scindantur prohibe.

Hinc [5]) Anselmus:

» Ave *stella paradisi*,	» Ave *splendor singularis*,
» Mater illius filii	» Cuius virtus virginalis
» Qui solus est altissimus,	» Fecit nobis altissimum
» Et nomen ei Dominus.	» Deum Patrem refugium.

Atque hinc ex Anselmi mente ac sententia solemne anglicanae ecclesiae [6]) decretum: « *Stella mundi Maria* mater nostri Salvatoris *radiis splendidissimis* suae magnificae pietatis *totam machinam illuminans orbis terrarum*, ab omnibus christianae fidei cultoribus inter omnes sanctos Dei est *praecipue* veneranda; et si in ecclesia militanti non poterit venerari, ut est digna, congruit tamen ut ipsam devotis laudum praeconiis, quibus possumus, laudemus in terris, quae Filium suum interpellat pro nobis iugiter in caelis. »

377. Me porro fugit, an quidquam prae his vel excogitari vel dici potuerit, quod ab innocentia Virginis quamlibet culpae umbram vehementius arceret. Nisi forte vehementiora ista videantur quae

1) Thesaur. hymnolog. T. II. pag. 3. Cum his autem confer vulgatissimum hymnum T. I. pag. 204. *Ave maris stella*.

2) Ibid. T. II. pag. 21.

3) Ibid. pag. 61.

4) Ibid. pagg. 82-197. et T. I. pagg. 245-332-346.

5) Psalter. P. II. pag. 305. col. 3.

6) Concil. magnae Britanniae et Hiberniae T. III. pag. 18. Haec autem deprompta crederes partim ex Hildephonsi toletani Serm. I. in Deiparae assumpt. pag. 666. apud Combefisium in Biblioth. concionat. T. VII. et partim ex Bernardi Hom. II. super *Missus est*.

scribit [a]) Ephraemus: « Domina mea supersancta Deipara et gratia plena mater Dei omni benedictione benedicta, Deo gratissima Deipara, vas divinitatis unigeniti Filii tui, throne igniformis quadriformibus longe gloriosior. » Si enim Deipara est credique debet *thronus igniformis*, neque solum *igniformis*, sed *thronis quadriformibus longe gloriosior;* nulla profecto eidem asseri innocentia potest, nullaque a peccato perfectissima immunitas, quae infra illius dignitatem sita immerito videatur. Quamquam enim cum vulgato Gregorio neocaesariensi [b]) quispiam dixerit: « Virgini quidem mentem esse nive candidiorem, corpus autem purius quovis auro utcumque probato; » haud tamen parum aberit ab ea exprimenda innocentissimae puritatis specie quam patres in Deipara suspiciebant.

ARTICULUS III.

De loquutionibus metaphoricis a plantis floribusque ea mente desumptis ut Deiparae innocentia cuiusque exsors culpae designetur.

378. Nulla est lingua, in qua translatae loquutiones a plantis floribusque deductae non frequententur: et nulla est lingua, in qua eiusmodi loquutiones ad significandam puritatem, innocentiamque exprimendam non saepissime adhibeantur. Tum vero hoc consilio usurpari illas constat, quum id orationis ductus atque series efflagitant, vel quum id epitheta exigunt quae illas comitantur. Utroque autem modo sive qui sermonis contextu, sive qui intersertis epithetis continetur, ostendunt patres scriptoresque ecclesiastici, se petitis ex plantis floribusque metaphoris propterea uti, quod Virginis innocentiam a quavis culpae cognatione solutam omnium mentibus oculisque subiectam cupiant.

a) Precat. IV. 528. opp. T. III. Δέσποινα ὑπεραγία μου θεοτόκε καὶ κεχαριτωμένη, θεογεννήτρια ὑπερευλογημένη, θεοχαρίτωτε θεομῆτερ, δοχεῖον τῆς θεότητος τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, θρόνε πυρίμορφε τῶν τετραμόρφων ὑπερενδοξοτέρα.

b) Orat. II. in Deiparam pag. 17. C-D. Ἐπειδὴ πάσης ἀνθρωπίνης φύσεως καὶ σὺ ἡ ἁγία ἐνδοξοτέρα καὶ καθαρωτέρα καὶ ὁσιωτέρα γεγέννησαι, λαμπροτέραν μὲν ὑπὲρ χιόνα ἔχουσα τὴν διάνοιαν, παντὸς δὲ χρυσίου δοκιμωτέρου κεκαθαρμένον τὸ σῶμα. « Quoniam et tu sancta, omni humana natura gloriosior et purior et sacratior effecta es, et nive quidem candidiorem habens mentem, quovis autem auro quantumvis probato purificatum magis corpus. »

379. Sane illa inprimis eorumdem testimonia spectentur, quibus *rami, virgae, floris* ac *fructus* similibus Deiparam universim adumbrant: nihil profecto evidentius quam his infucatam eius innocentiam demonstrari. Et infucata quidem eius innocentia demonstratur, quum Virgo [a]) ab Ephraemo dicitur *flos incorruptus*. Infucata eius innocentia demonstratur, quum [b]) Andreas cretensis Virginem nominat *florem natura virgineum et divinitus germinantem innocentiae pulcritudinem*. Et [c]) alibi: « Preces vestras exaudiens Deus, o Ioachim et Anna hodie celeberrimi, fecundissimum fructum nunc vobis donavit. » Et infucata eius innocentia demonstratur, quum [d]) Sophronius hierosolymitanus Gabrielem missum dicit *ad Mariam, innocentem florem*. Neque alio ista pertinent quae [e]) scribit Anatolius: « Qui auditur sonus festum agentium? Ioachim et Anna panegyrim mystice habent et dicunt: mecum o Adam atque Eva gaudete, quod antiqua praevaricatione Paradisum obstruentibus fructus gloriosissimus nobis concessus est Dei filia Maria, quae his omnibus ingressum reserat. » Quo haec itidem spectant [f]) ex Iohanne damasceno: « Ave flos prae cunctis tinctorum coloribus varium omni virtute condimentum, ex quo flos flori similis matrem exacte referens consurgit. »

380. Accedunt quae angelo Annam alloquenti, eique Virginis conceptum annuncianti Germanus [g]) tribuit inquiens: « Incorporeus angelus ipsi Annae palam dixit: oratio tua ad Dominum pervenit, ne

a) Precal. IV. pag. 530. C. opp. T. III. Ἄνθος ἀμάραντον.

b) Antholog. die VIII. Septembris pag. 27. col. 2. A. Παρθενόφυτον ἄνθος, καὶ θεόβλαστον ἁγνείας κάλλος.

c) Antholog. die IX. Decembris Ode ϛ'. pag. 182. col. 1. A. Τῆς δεήσεως ὑμῶν ἐπακούσας ὁ Θεὸς γονιμώτατον καρπὸν νῦν δεδώρηται ὑμῖν, πανεύφημοι Ἰωακεὶμ τὲ καὶ Ἄννα σήμερον.

d) Thesaur. hymnolog. T. III. pag. 21. Μαρίαν πρὸς ἁγνὸν ἄνθος.

e) Antholog. die VIII. Septembris pag. 21. col. 1. B. Τίς ὁ ἦχος τῶν ἑορταζόντων γίνεται; Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννα πανηγυρίζει μυστικῶς· συγχάρητέ μοι, λέγοντες, Ἀδὰμ καὶ Εὔα σήμερον· ὅτι τοῖς πάλαι παραβάσει κλείσασι παράδεισον καρπὸς εὐκλεέστατος ἡμῖν ἐδόθη, ἡ θεόπαις Μαρία ἀνοίγουσα τούτοις πᾶσι τὴν εἴσοδον·

f) Orat. II. in Deiparae nativit. pag. 855. C. Χαῖρε ἄνθος τὸ πάσης ἀνθοβαφικῆς χροίας ποικιλώτερον ἐξ ἀρετῆς ἁπάσης ἥδυσμα, ἐξ ἧς ἄνεισιν ἄνθος ὁμοίῳ ὅμοιον κατὰ μητρικὴν ἐμφέρειαν.

g) Antholog. die IX. Decembris pag. 180. col. 2. A. Ὁ ἀσώματος (ἄγγελος) πρὸς αὐτὴν (Ἄνναν) ἐμφανῶς διελέγετο· ἡ δέησίς σου πρὸς τὸν κύριον ἤγγισε· μὴ σκυθρώπαζε, τῶν δακρύων ἀπόστηθι· εὔκαρπος χρηματίσεις γὰρ ἐλαία βλαστάνουσα κλάδον ὡραῖον,

ultra tristeris atque a lacrymis conquiescc. Eris enim oliva fecunda edens pulcrum ramum, Virginem, quae florem emittet Christum secundum carnem, magnam mundo misericordiam exhibentem. » Quibus ista respondent [a]) ex Andrea cretensi: « Sanctum par *(Ioachim et Anna)* quod ex radice Davidis divinitus inspirati effloruit, mundo genuit [1]) virgam, sacratissimam Virginem, illibatam illam, quae nobis sine semine sanctissimum florem Christum protulit. » Fuit, itaque Virgo, si fidem relatis testimoniis adiungimus, tam in suo conceptu quam in sua nativitate *flos sed incorruptus*, sed *omnem virtutem redolens et Christo flori simillimus*: fuit *fructus* sed *gloriosus*: fuit *ramus* sed *pulcher*: et fuit *virga* sed *illibata*. Eiusmodi scilicet fuit ut nihil vel ab eius conceptu quam quaevis culpae suspicio evidentius abhorreat.

381. Ceterum hoc ipsum pari, ne pleniori dicam perspicuitate ex iis innotescit quibus Deipara translatis loquutionibus *vitis, myrrhae marinae* atque *rosae* speciatim designatur. Praeclare [b]) Iohannes damascenus ubi de Virginis nativitate verba facit: « Vitis uberrima ex Anna pullulavit, uvaque suavissima effloruit potum nectaris terrigenis fundens in vitam aeternam. » Praeclare [c]) ubi natam puellam sic alloquitur: « Ave myrrha marina, quae in salso huius vitae fluxu carnem peccato emortuam gestas. » Praeclare [d]) Andreas cretensis a quo Deipara dicitur: « Gratissimum Deo virginitatis decus, quam veluti rosam e spinoso loco sibi omnipotens delegerit. » Praeclare quod [2]) in ecclesiasticis Latinorum hymnis legimus:

παρθένον· ἥτις τὸ ἄνθος ἀνθήσει Χριστὸν κατὰ σάρκα, παρεχόμενον τῷ κοσμῷ τὸ μεγὰ ἔλεος.

a) Antholog. die IX. Septembris Ode ζ'. pag. 31. col. I. C. Ἐκ ῥίζης βλαστήσασα δυὰς ἁγία Δαυὶδ τοῦ θεόφρονος, τὴν ῥάβδον τὴν πανίερον παρθένον τὴν ἄχραντον τῷ κόσμῳ τέτοκεν, ἄνθος ἱερώτατον ἡμῖν Χριστὸν ἀσπόρως ἐξανατέλλουσαν.

b) Orat. I. in Deiparae nativit. pag. 847. B. Ἄμπελος εὐκληματοῦσα ἐξ Ἄννης ἐβλάστησε, καὶ βότρυν γλυκύτητος ἤνθησε, πόμα νέκταρ τοῖς γηγενέσι πηγάζοντα εἰς ζωὴν αἰώνιον.

c) Orat. II. in Deiparae nativit. pag. 853. E. Χαῖρε σμύρνα θαλασσία, ἡ ἐν τῇ ἁλμυρᾷ τοῦ βίου ῥοπῇ τὴν σάρκα νεκροφοροῦσα τῇ ἁμαρτίᾳ.

d) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 101. apud Gallandium T. XIII. Τὸ τῆς παρθενίας θεοχαριτώτατον κάλλος, καθάπερ ῥόδον ἐξ ἠκανθωμένης χώρας ὁ παντοκράτωρ ἐκλέξηται.

1) Eadem imago iisdem propemodum depicta coloribus occurrit in Thesaur. hymnolog. T. II. p. 373.

2) Thesaur. hymnolog. T. II. pagg. 82-342.

» Salve decus virginum,
» Mediatrix hominum,
» Salutis puerpera:
» Myrtus temperantiae,
» Rosa patientiae,
» Nardus odorifera.

» Flos campi convallium,
» Singulare lilium,
» Christus ex te prodit:
» Tu convallis humilis,
» Terra non arabilis,
» Quae fructum parturiit.

» Puro qualis in lucenti
» Sol renitet aethere;
» Talis puer in lactanti
» Matris haeret ubere.

» Talis mater speciosa
» Eminet cum Filio,
» Qualis ros in molli rosa,
» Viola cum lilio.

Et praeclare [1]) Sedulius qui de Virgine canit:

» Et velut e spinis mollis rosa surgit acutis,
» Nil quod laedat habens, matremque obscurat honore.

Huc igitur redeunt nonnulla ex iis, quibus Deipara a ceteris hominum filiis quam maxime distat: quod hi nascuntur *uva acerba et amara,* illa effloruit *uva suavissima,* quod hi *legem peccati in vitiata carne experiuntur,* illa *innocentem carnem peccato mortuam gestavit:* quod hi *spinae ex spinis* erumpunt, illa *e spinoso loco veluti rosa* emersit: et quod hi *originali parentum ignominia* afficiuntur, illa *nihil habuit quod laederet, matremque obscuravit honore.*

382. Hanc autem innocentiam cum ipsis iunctam consertamque primordiis tum etiam patres Deiparae vindicant, quum illam *lilii* nomine insigniunt. Quo nomine eam insignit [a]) Ephraemus Deiparam vocans *lilium candidissimum.* Insigniunt [b]) Menaea in quibus legimus: « Te, o Deipara perfecte innocens, Pater per divinum Spiritum delegit in Filii habitaculum, veluti lilium discupiendum, quod inter medias spinas te, o penitus immaculata, repererit virginea pulcritudine nitentem; propterea, o Dei sponsa, te hymnis efferimus qui per te salvati sumus. » Insignit [c]) Stephanus sabbaita qui sic habet:

a) Precat. IV. pag. 530. C. opp. T. III. Κρίνον λευκότατον.

b) Men. die XXVIII. Augusti Ode θ'. pag. 151. col. 1. C. Σὲ ὁ πατὴρ ἡρέτησεν, ὡς πολύευκτον κρίνον, θεοκυῆτορ πάναγνε, διὰ πνεύματος θείου πρὸς τὴν υἱοῦ κατοικίαν, ἀναμέσον εὑρὼν σε τῶν ἀκανθῶν, πανάμωμε, ἀποστίλβουσαν κάλλει παρθενικῷ· διὸ δὴ, θεόνυμφε, σὲ ὑμνοῦμεν, διὰ σοῦ οἱ σωθέντες.

c) Men. die XXVIII. Octobris Ode γ'. pag. 170. col. 1. C. Ἐφάνης καθαρότητι,

1) Carm. pasch. lib. II. vv. 28, 29. pag. 543. A. apud Gallandium T. IX.

« Apparuisti puritate *ceu lilium,* o Domina, splendoribus virginitatis tuae in mediis spinis, o Deipara, omni veneratione maior refulgens. » Insignit Anselmus [1]), cuius haec sunt verba:

» Ave *caeleste lilium,*
» Per florem cuius unicum
» Fidelibus est aeternum
» Testamentum dispositum.

Et insignit [a]) Theophanes inquiens: « Sine labe inter medias spinas te, uti purissimum lilium et convallium florem inveniens, o Deipara, sponsus Verbum in tuo sinu habitavit. » Porro, teste [b]) Gregorio nysseno, *peccatum in Scriptura spinae denominatione appellatur.* Quum igitur una prae omnibus Deipara celebretur tamquam *lilium candidissimum, immaculatum, purissimum, spinisque funditus vacuum;* sua sponte consequitur omnem ab ipsa culpae labem peccatique flagitium arceri.

383. Reliqua sunt veterum testimonia, in quibus recensitae hactenus metaphorae non seorsum ac divisae sed simul coniunctaeque reperiuntur. Eiusmodi autem est testimonium, quo Deipara [c]) ab Iohanne damasceno laudatur utpote « Fluvius plenus aromatibus Spiritus, arvum spicae divinae, rosa virginitate clarissima gratiaeque fragrantiam spirans, regii indumenti lilium, agna pariens agnum Dei tollentem peccatum mundi, salutis nostrae officina, angelicis potestatibus sublimior, ancilla et mater. » Eiusmodi est testimonium quo [d])

ὡσεὶ κρίνον, δέσποινα, τῶν ἀκανθῶν ἐκλάμψασα λαμπηδόσι τῆς παρθενίας σου ἐν μέσῳ, Θεοτόκε πανσεβάσμιε.

a) Men. die XXVI. Octobris Ode ς'. pag. 157. col. 1. A. Ἄσπιλον τῶν ἀκανθῶν ἐν μέσῳ εὑράμενος, ὡς καθαρώτατον κρίνον καὶ κοιλάδων ἄνθος, ὦ θεομῆτορ, ὁ νυμφίος ἐν τῇ γαστρί σου λόγος ἐσκήνωσεν.

b) Orat. in Christi nativit. pag. 776. D. opp. T. II. Ἡ ἁμαρτία παρὰ τῆς γραφῆς τῇ τῆς ἀκάνθης ἐπωνυμίᾳ κατονομάζεται.

c) Orat. III. in Deiparae dormit. pag. 885. E. Ποταμὸς πλήρης τῶν ἀρωμάτων τοῦ πνεύματος, ἄρουρα τοῦ θείου ἀστάχυος τῇ παρθενίᾳ φανώτατον, καὶ πνέων τῇ εὐωδίᾳ τῆς χάριτος, κρίνον τοῦ βασιλικοῦ ἀμφιάσματος, ἀμνὰς ἡ τεκοῦσα τὸν ἀμνὸν τοῦ θεοῦ τὸν αἴροντα τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, τῆς σωτηρίας ἡμῶν ἐργαστήριον, ἀγγελικῶν ὑπερτέρα δυνάμεων, δούλη καὶ μήτηρ.

d) Orat. in Deiparae concept. §. I. Ἄρτι τὸ εὐωδέστατον ῥόδον ἐν ἀκάρπῳ φυτευόμενον ἀρούρᾳ πάσῃ τῇ ὑφ' ἡλίῳ μέλλον εὐωδιάζειν, καὶ τῆς παραβάσεως ἐλαύνειν τὸ δυ-

1) Psalter. pag. 305. col 3. D.

Petrus Argorum praesul ait: « Iam modo admoniti, quod rosa illa fragrantissima, quae quidquid sub sole est odore replebit praevaricationisque foetorem abiget, in sterili plantata est terra, laetantur. Nardus, crocus, liliaque vernant, et suavissimum exhibentia adspectum nos in peccati squalore et tristitia iacentes oblectant. » Et eiusmodi est testimonium, quo [a]) vulgatus neocaesariensis Gregorius clamat: « Ave gratia plena, fons lucis quae illuminat cunctos in ipsam credentes: ave gratia plena, intelligibilis solis oriens, flos vitae immaculatus, pratum fragrantissimum. » Qua prati appellatione eorum memoria excitatur, quae Georgius [b]) nicomediensis habet inquiens: « Plane enim pratum hoc universa prata suavitate odoris atque varietate superat, iisque qui flores legunt, incorruptionem impertit. » Quae quidem omnia comparata sic sunt, ut quavis exclusa peccati societate, ad evidentiam usque confirment, nonnisi immaculatam credi illam posse, quam hisce depingendam coloribus patres censuerunt, quamque auctor [c]) qui Epiphanii nomine citatur, his verbis compellat: « O candelabrum virgineum, quod illustravit tenebris involutos. Virgo est lilium immaculatum, quae rosam immarcescibilem genuit Christum. »

ARTICULUS IV.

De loquutionibus ex animantibus translatis atque eum in exitum conspirantibus ut Deipara nullius conscia labis ostendatur.

384. Operae pretium non est ut pluribus accurateque declarem quod omnes perspectum exploratumque habent, peti ex animantibus metaphoras solere, atque ex animantibus non pauca re-

σῶδες, εὐαγγελιζόμενοι γήθονται· νάρδος, κρόκος καὶ κρίνα κυπρίζουσι, καὶ τὴν ἡδίστην ὄψιν προδεικνύντα τοὺς ἐν τῇ κατηφείᾳ τῆς ἁμαρτίας ἡμᾶς κατατέρπουσιν.

a) Orat. I. in Deiparae annunciat. pag. 12. D. Χαῖρε κεχαριτωμένη, ἡ πηγὴ τοῦ φωτὸς τοῦ φωτίζοντος πάντας τοὺς εἰς αὐτὸν πιστεύοντας· χαῖρε κεχαριτωμένη, τοῦ νοητοῦ ἡλίου ἀνατολή, τὸ τῆς ζωῆς ἀμίαντον ἄνθος, ὁ λειμὼν τῆς εὐωδίας.

b) Orat. in Deiparae ingressum in Templum p. 1091. D. apud Combefisium Auctar. T. I. Καὶ γὰρ λειμὼν οὗτος καὶ λειμώνων εὐωδέστατος καὶ ποικιλώτατος, καὶ ἀφθαρσίαν τοῖς δρεπομένοις προξενεῖ.

c) Orat. de laudibus Deiparae pag. 296. inter opp. Epiphanii T. II. Ὦ λυχνία παρ-

periri, e quibus translatae loquutiones ad innocentiam puritatemque adumbrandam praeclare conducunt. Ad horum sane censum, nemine diffitente, referuntur *ovis, agnus* et *columba,* quorum metaphoricus usus non minus frequens est, quam ad innuendam vitam maculae expertem accommodatissimus. Noverant ista patres scriptoresque ecclesiastici, et e re propterea fore existimarunt non modo ductas inde metaphoras, quum de Virgine loquerentur, crebro usurpare, verum etiam eiusmodi epithetis illas instruere ut omnes probe intelligerent, non aliam Deiparae speciem formamque describi animo posse, nisi quae a quovis peccati naevo seiunctissima censeatur.

385. Sane vetustus auctor qui Epiphanii nomine circumfertur, Deiparam simpliciter [a]) vocat « Ovem immaculatam quae peperit agnum Christum. » Neque multo secus [b]) Georgius nicomediensis qui eam dicit « Agnam omni ex parte immaculatam. » Consentit Iohannes damascenus qui [c]) de Virginis nativitate scribit: « Agna namque in lucem editur, ex qua Pastor ovem induet, et veteris mortalitatis tunicas lacerabit. » Consentit [d]) Iacobus monachus qui Adamum sistit Deiparam vix natam his verbis alloquentem: « O agna aurei velleris, ex qua creator naturae vestem induens meam operuit nuditatem. » Et omnes consentiunt universim Graeci, qui in veteri quadragesimali officio [e]) de Virgine canunt: « In te o agna [1]) immaculata, maximum miraculum visum est; agnum enim peccatum mundi tollentem genuisti, quem pro iis qui te celebrant, enixe deprecare. »

θενική, ἡ τὸ σκότος ἀπελαύνουσα· κρίνον ἄσπιλον ὑπάρχει ἡ παρθένος, τὸ ἀμάραντον ῥόδον γεννήσασα Χριστόν.

a) Orat. de laudibus Deiparae pag. 294. D. inter opp. Epiphanii T. II. Τὸ ἄσπιλον πρόβατον, ἡ τὸν ἀμνὸν τεκοῦσα Χριστόν.

b) Orat. in Deiparae ingress. in Templum pag. 1090. D. apud Combefisium Auctar. T. I. Τὴν πανάσπιλον ἀμνάδα.

c) Orat. in Deiparae nativit. pag. 844. A. Ἡ γὰρ ἀμνὰς τίκτεται, ἐξ ἧς ποιμὴν περιβαλεῖται τὸ πρόβατον, καὶ τοὺς χιτῶνας διαῤῥήξει τῆς πάλαι νεκρώσεως.

d) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1279. C-E. apud Combefisium Auctar. T. I. Ὦ χρυσόμαλλε ἀμνάς, ἐξ ἧς ὁ κτίστης τὸ τῆς φύσεως ἐνδυσάμενος περιβόλαιον, τὴν ἐμὴν περιέστειλε γύμνωσιν.

e) Offic. quadrag. Dom. III. Iunii. Ode ϛ'. pag. 283. Θαυμάτων τὸ μέγιστον θαῦμα ἐν σοὶ ὤφθη, ἄσπιλε ἀμνάς· τὸν γὰρ αἴροντα κόσμου τὴν ἁμαρτίαν ἀμνὸν ἀποκυήσασα, ὃν δυσώπει ἐκτενῶς ὑπὲρ τῶν σε ὑμνούντων.

1) Eodem titulo, geminisque verbis Deiparam exornat Theophanes in Menaeis die II. Novembris Ode γ'. pag. 12. col. 2. C. et die VI. Ode γ'. pag. 41. col. 1. A

E quibus patrum effatis tria potissimum colliguntur. Et principio quidem colligitur, Deiparam esse dicique *ovem immaculatam, agnam undequaque immaculatam,* et *agnam aurei velleris*. Tum vero colligitur eum nexum eamque cognationem Deiparam inter Christumque significari, qui exsistit inter agnam et natum ex ea agnum, quique exsistit inter matrem et filium qui ex ea naturam induit. Postremo colligitur, eo longius Deiparam ab iis omnibus separari qui nudi in lucem veniunt et tunicis priscae mortalitatis gravati, quo ipsa cum Christo propius intimiusque coniungitur.

386. Ceterum haec maiori perfusa luce apparebunt, si ad illa animus advertatur quae tum patres tradunt, quum Deiparam *columbae* appellatione cohonestant. Quos inter memorari primum debet [a]) Theodotus ancyranus qui Deiparam compellans ait: « O columba dealbata et innocens! O sanctum spei nostrae templum! » Tum memorari debet [b]) Iacobus monachus qui sic Deiparam Annae verbis alloquitur: « Non ergo licet ut in communi terra stes. Iu sacrum adduceris locum, tamquam excelsum et elevatum domicilium. Locus illibatus innocentissimos suscipiat pedes. Secreta vitae ratio incontaminatam columbam conservet. » Memorari debet Iohannes damascenus qui [c]) de Virgine in caelum recepta inquit: « Hodie sacratissima columba, simplex atque innocens anima divino Spiritui consecrata ex arca, eo scilicet corpore quod Deum suscepit et vitae initium dedit, evolans pedibus suis requiem invenit, ad mundum intelligibilem profecta ubi in terra supernae hereditatis nullis infecta maculis sedes fixit. » Quo ista similiter pertinent quae [d]) Iohannes euboeensis nativitatem Deiparae celebrans ait: « Exsultaverunt filiae Iudae intuen-

a) Orat. in Deiparam et in Symeonem §. XIII. pag. 467. A. apud Gallandium T. IX. Ὦ περιστερὰ λελευκωμένη καὶ ἀκήρατε· ὢ σκήνωμα ἅγιον τῆς ἐλπίδος ἡμῶν.

b) Orat. in Deiparae nativit. p. 1271. E. apud Combefisium Auctar. T. I. Οὐ τῇ κοινῇ γοῦν ἐνόν σοι παρίστασθαι γῇ· πρὸς τὸν ἱερὸν ἀπαχθήσῃ τόπον, ὡς ἐξῃρημένον ἐναύλισμα· ἀθιγὴς χῶρος καὶ τοὺς ὑπεράγνους ὑποδεχέσθω πόδας· ἀκοινώνητος διαγωγὴ τὴν ἀκηλίδωτον διατηρείτω περιστεράν.

c) Orat. II. in Deiparae dormit. pag. 869. C. Σήμερον ἡ ἱερωτάτη περιστερὰ, ἡ ἀκεραία καὶ ἄκακος ψυχὴ, καὶ τῷ θείῳ καθιερωμένη πνεύματι ἐκπτᾶσα τῆς κιβωτοῦ, τοῦ θεοδόχου φημὶ καὶ ζωαρχικοῦ σώματος εὗρεν ἀνάπαυσιν τοῖς ποσὶν αὐτῆς πρὸς τὸν νοητὸν κόσμον ἀπάρασα, καὶ ἐν τῇ ἀσπίλῳ γῇ τῆς ἄνω κληρουχίας σκηνώσασα.

d) Orat. in Deiparae nativitate. Ἠγαλλιάσαντο αἱ θυγατέρες τῆς Ἰουδαίας ὁρῶσαι τὴν μὲν παναγίαν παῖδα Μαριὰμ ὡς ἄσπιλον περιστερὰν εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων βαδίζουσαν.

tes sanctissimam puellam Mariam, veluti immaculatam columbam in sancta sanctorum procedentem. » Neque alio referenda sunt quae [a]) Theophanes his verbis complectitur: « Innocentem te columbam et solam intemeratam purum Verbum invenit, cui ex te nasci placuit, o sanctissima Dei mater virgo penitus immaculata. » Consentit [b]) Andreas cretensis inquiens: « Innocentem columbam in utero recipiens Anna spiritali gaudio vere repleta est, hymnosque eucharisticos Deo obtulit. » Consentit [c]) Iosephus confessor cui ista debemus: « Te innocentem Domini columbam, venerandam et immaculatam et pulcram inter mulieres, ut quae universorum Deum pepereris, fideliter beatam dicimus, o divinitus maxime benedicta. » Hinc [1]) in Ordine baptismi ecclesiae alexandrinae Coptitarum et Aethiopum legimus: « Spiritus paraclitus in Iordanis aquis instar noeticae columbae descendit super Filium tuum (Maria). Illa enim (columba) nobis Dei pacem, quae hominibus exhibita est annunciavit. Tu quoque spes nostra, rationalis columba, nobis misericordiam attulisti, quam in utero gestasti: Iesus scilicet natus Patris ex te genitus nostrum liberavit genus. » Hinc quae prorsus gemina in Coptorum hymnis [d]) occurrunt: « Ave Maria columba pulcra, quae nobis Deum Verbum peperisti. » Et [e]) rursum: « Ave columba pulcra, ave, mater filii Dei. » Atque hinc quae [f]) Theodorus studita de assumpta Virgine ait: «Quum

a) Men. die XV. Octobris Ode ϛ'. pag. 93. col. 1. C. Ἁγνήν σε περιστερὰν καὶ μόνην ἀμίαντον ὁ καθαρὸς εὗρε λόγος, καὶ ἐκ σοῦ τεχθῆναι εὐδόκησε, παναγία θεομῆτορ παρθένε πανάμωμε.

b) Antholog. die IX. Decembris Ode ϛ'. pag. 182. col. 1. A. Τὴν ἁγνὴν περιστερὰν συλλαβοῦσα ἐν γαστρὶ, χαρμονῆς πνευματικῆς ἐπληρώθη ἀληθῶς προσάγουσα χαριστηρίους ᾠδὰς ἡ Ἄννα Θεῷ.

c) Men. die XXIII. Decembris ad Mat. Ode α'. pag. 188. col. 1. B. Σὲ τὴν ἁγνὴν τοῦ Δεσπότου περιστερὰν, τὴν σεμνὴν καὶ ἄμωμον καὶ καλὴν ἐν γυναιξὶ, ὡς τῶν ὅλων τέξασαν Θεὸν, μακαρίζομεν πιστῶς, Θεομακάριστε.

d) Theotoch. pag. 62. D.

Ⲭⲉⲣⲉ ⲛⲉ Ⲙⲁⲣⲓⲁ ϯϭⲣⲟⲙⲡⲓ ⲉⲑⲛⲉⲥⲱⲥ: ⲑⲏ ⲉⲧⲁⲥⲙⲓⲥⲓ ⲛⲁⲛ ⲙ̀ⲫϯ ⲡⲓⲗⲟⲅⲟⲥ ⳹

e) Ibid. pag. 67. A.

Ⲭⲉⲣⲉ ⲛⲉ Ⲙⲁⲣⲓⲁ ϯϭⲣⲟⲙⲡⲓ ⲉⲑⲛⲉⲥⲟⲥ: ⲭⲉⲣⲉ ⲛⲉ Ⲙⲁⲣⲓⲁ ⲑⲙⲁⲩ ⲛ̀Ⲩⲓⲟⲥ ⲑⲉⲟⲥ ⳹

f) Orat. VI. in Deiparae dormit. n. 2. pag. 55. apud Mai in Nov. pp. Biblioth. T. V. P. III. Ἄνω δὴ ἀνάπτασα ἡ πανάγνος περιστερὰ, τὰ κάτω φυλάττειν οὐ παύεται· τοῦ

1) Cod. Liturg. Eccles. univers. pag. 155. T. II. Auctore Iosepho Aloisio Assemano.

in superiora evolaverit innocentissima columba, inferiora haec protegere non desinit: corpore egressa, spiritu nobiscum est: caelo inlata, daemones fugat facta apud Dominum mediatrix. »

387. Quae quidem omnia non innuunt modo sed prorsus ostendunt, eam animo concipiendam esse Virginis imaginem, cui dotes appellationesque conveniant *columbae sanctissimae, immaculatae, sacratissimae:* quae *sola* sit *intaminata: qua nullus in terra locus praeter sanctum sanctorum, dignus fuerit: quam Anna innocentem conceperit:* et de qua merito ista repetantur quae [a]) Georgius nicomediensis scribit: « Hodie agna immaculata, veluti acceptabilis hostia, offertur in Templo, ex qua ortus est [1]) ille agnus Dei qui mundi abstulit peccatum. Hodie columba illa nescia labis in Templi penetralia evolans malitiae aucupem devitavit, illius machinamentis facta sublimior. » Nulla autem Virginis forma, nullaque eius species his coloribus respondet, nisi quae semper nituerit, omnemque culpae umbram devitarit.

ARTICULUS V.

De loquutionibus translatis ex praestantissimis quibusque et ad ostendendam Virginis innocentiam cuiusvis exsortem maculae accommodatissimis.

388. Regia potissimum atque sacra eo usque prae ceteris antecellunt, ut ductae ex iis metaphorae ad rei nobilitatem puritatemque demonstrandam inprimis factae videantur. Nihil enim quod sit humile, nihil quod abiectum, nihil quod profanum vitiique labe sordidum efferri rite vocabulis potest, quae sint ex regio sacroque apparatu deprompta. Iamvero quaecumque censentur omnia in utroque apparatu regio sacroque excelsa atque sublimia, illa patres scripto-

σώματος ἐξελθοῦσα, τῷ πνεύματι σὺν ἡμῖν ἐστίν· οὐρανοὺς εἰσαχθεῖσα, ἐξοστρακίζει τοὺς δαίμονας μεσιτεύουσα τὰ πρὸς κύριον.

a) Orat. in Deiparae ingressum in Templum p. 1090. A-C. apud Combefisium Auctar. T. I. Σήμερον ἡ ἄσπιλος ἀμνὰς, ὡς δεκτὸν ἱερεῖον, τῷ ναῷ προσφέρεται, ἐξ ἧς ὁ τοῦ θεοῦ ἀμνὸς προελθὼν τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου ἀφείλετο· σήμερον ἡ ἄμωμος περιστερὰ ἐν τοῖς τοῦ ναοῦ ἀδύτοις περιϊπταμένη, τὴν τῆς κακίας ἰξευτὴν ἐξέκλινεν, ὑψηλοτέρα γενομένη τῶν μηχανημάτων αὐτοῦ.

1) Ioh. I. 29.

resque ecclesiastici delegerunt, ut Virginis speciem quo plenius ad vivum possent, spectantium oculis subiicerent. Neque illa solum delegerunt, sed eiusmodi praeterea auxerunt coloribus, ut expressa iis imago innocentiam ipsam puritatemque referret.

389. Et re sane vera ut initium ab iis faciam quae *regia* sunt, principio succurrit *diadema,* quo metaphorice usus [a]) Basilius pegoriotes scribit: « Te regium diadema, o Dei sponsa, Templum suscipiens laetitia gestiebat, locumque faciebat praestantissimis eorum quae fuerant praedicta, quum illa in te expleri cerneret. » Eodem haec spectant [b]) ex Coptorum hymnis: « Salve gratia Abrahami, salve corona immarcescibilis. » Atque haec pariter [1]) ex Ephraemo: « Ave omnium sanctorum ac virginum corona ob immensum fulgorem atque splendorem inaccessa. » Succurrit deinde *thronus,* ad quem respiciens [c]) Iohannes euboeensis exclamat: « O rem plane miram! Animatum templum et cherubicus thronus in Templum affertur lapidibus exaedificatum. » Et [d]) aliquot intericctis Deiparam vocat « Templum Deum recipiens, nec templum modo verum etiam Cherubicum thronum. » Conspirant Iosephus hymnographus et Iohannes geometra, quorum ille Deiparam exorat [e]) inquiens: « Te tamquam venustum sponsi thalamum, tamquam animatum Domini [2]) thronum, tamquam purpuram auro undique contextam et Christi augustum delubrum, o Domina omnium, me supplicantem salva. » Alter vero [f]) ait: « Salve

a) Antholog. die XXI. Novembris Ode ϛ'. pag. 131. col. 2. D. Διάδημα σὲ βασίλειον δεξάμενος ναὸς, θεονύμφευτε, κατεφαιδρύνετο καὶ ὑπεχώρει τοῖς κρείττοσι τῶν προῤῥηθέντων, βλέπων ἐν σοὶ τὴν ἔκβασιν.

b) Theotoch. pag. 65.

Χερε πε Ⲙⲁⲣⲓⲁ ⲡⲓ ϩⲙⲟⲧ ⲛ̀Ⲁⲃⲣⲁⲁⲙ : ⲭⲉⲣⲉ ⲡⲉ Ⲙⲁⲣⲓⲁ : ⲡⲓⲭⲗⲟⲙ ⲛ̀ⲁⲧⲗⲱⲙ ⳾

c) Orat. in Deiparae concept. et nativit. pag. 13. Ὢ τοῦ θαύματος· ὁ ἔμψυχος ναὸς καὶ θρόνος χερουβικὸς εἰς ναὸν ἐκ λίθων κατεσκευασμένον προσφέρεται.

d) Ibid. pag. 15. Θεοδόχος ναὸς, καὶ οὐ μόνον ναὸς, ἀλλὰ καὶ θρόνος χερουβικός.

e) Men. die VI. Decembris Ode θ'. pag. 54. col. 1. B. Ὡς τοῦ νυμφίου ὡραῖον σε θάλαμον, ὡς τοῦ δεσπότου θρόνον ἔμψυχον, ὡς πορφύραν πάγχρυσον, καὶ τερπνὸν ἀνάκτορον τοῦ Χριστοῦ, δέσποινα πάντων, καθικετεύοντα σὲ σῶσόν με.

f) Hymn. II. in Deiparam vv. 89-90. pag. 440. B.

Χαῖρε θρόνος καθύπερθε θρόνων φλογερῶν, παναΰλων,
Αὐτόχυτος φαέων, αὐτότοκος φαέος.

1) Precat. ad Deiparam pag. 575. col. 1. E. opp. graec. T. III.

2) Hoc ipso *throni* titulo, et *throni ante mundi constitutionem parati* Virginem decorat Hildephonsus toletanus Serm. II. de Assumpt. pag. 672. col. 1. B-C. apud Combefis. in Biblioth. pp. concionat T. VII.

throne thronis celsior flagrantibus, purissimis, ex se luce coruscans, lucemque gignens. » Neque secus [a]) Iohannes damascenus qui hymno in sanctum Iohanuem chrysostomum canit: « Qui solus iudicat iustitiam sedit super thronum, o Domina; ex te enim caro factus te [1]) thronum ostendit igniformem, et in sinu tuo tamquam in throno sancto infantis more conquievit. » Cum throno autem similitudine iungitur *sella curulis*, cuius occasione [b]) Proclus disserens de temporaria Verbi conceptione ait: « Concurrant consules, quod caelestis terrestrem assumpserit consulem, habens et decoram sellam curulem, Dei genitricem virginem Mariam. »

390. Alterum sequitur regium ornamentum quod *purpura* continetur, et cuius ad describendam Virginem usus non minus frequens quam solemnis apud patres recurrit. Recurrit enim [c]) apud Ephraemum qui Virginem dicit « Purpuram a Deo contextam. » Recurrit [d]) apud Andream cretensem qui ait: « Regia purpura, o Anna, in tuo sinu incipit elaborari. » Recurrit [e]) in Menaeis in quibus legimus: « Hodie ex radice David regia purpurea vestis prodiit, ex Ioachimo germinare incipit flos mysticus, e quo Christus Deus noster animarum nostrarum salvator effloruit. » Recurrit apud Iohannem monachum qui [f]) de conceptu Virginis canit: « Hodie plectitur gloriae diadema, et regia purpurea vestis supra spem omnem in utero sterili comparet. » Et recurrit apud Georgium nicomediensem, qui [g])

a) Can. in Chrysost. Ode ζ'. pag. 721. apud Mai in spicileg. rom. T. IX. Ὁ μόνος κρίνων δικαιοσύνην ἐκάθισεν ἐπὶ θρόνου, δέσποινα· καὶ γὰρ ἐκ σοῦ σαρκωθεὶς θρόνον σε πυρίμορφον ἔδειξεν, ὅθεν ἐν κόλποις κάθηταί σου, ὡς ἐν θρόνῳ βρεφοπρεπῶς ἁγίῳ.

b) Orat. in Christi incarnat. §. II. pag. 627. D. apud Gallandium T. IX. Ὕπατοι συντρεχέτωσαν, ὅτι ὁ ἐπουράνιος τὸν ἐπίγειον κατέλαβεν ὕπατον· δίφρον ἔχων καλλιπρεπῆ, τὴν θεοτόκον παρθένον Μαρίαν.

c) Precat. IV. pag. 530. D. opp. graec. T. III. Τὴν θεοΰφαντον πορφύραν.

d) Antholog. die IX. Decembris pag. 181. col. 2. C. Βασιλικὴ πορφύρα ἐν τῇ σῇ ἀπάρχεται, Ἄννα, ἐξυφαίνεσθαι γαστρί.

e) Men. die IX. Decembris Ode θ'. pag. 79. col. 1. D. Σήμερον ἐκ ῥίζης τοῦ Δαβὶδ βασιλικὴ πορφυρὶς ἐκβλαστήσασα, τοῦ Ἰωακεὶμ βλαστάνειν ἀπάρχεται ἄνθος τὸ μυστικὸν, ἐν ᾧ Χριστὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν ἐξήνθησεν, ὁ σώζων τὰς ψυχὰς ἡμῶν.

f) Men. die IX. Decembris Ode ς'. pag. 74. Col. 2. A. Τὸ τῆς δόξης διάδημα πλέκεται, καὶ ἡ ἁλουργὶς ἡ βασίλειος σήμερον ὑπὲρ ἐλπίδα ἅπασαν ἐν νηδύϊ ἀκάρπῳ ὑφαίνεται.

g) Orat. in Deiparae concept. pag. 998. A-B. apud Combefisium Auctar. T. I. Σήμε-

1) Ibidem Ode ς'. Virginem vocat *animatum thronum, et celebratissimam Christi cathedram.*

celebrans Deiparae conceptum ait: « Annunciata nunc diei tabernaculi divini exstructione, pietatis quidem fundamenta firmius stabiliuntur, impietatis vero munitiones penitus convelluntur. Cum hodie texitur regia purpura, futurus nunciatur omnium Regis adventus; hominum qui inimici erant, praevie reconciliatio sancitur; tropaea adversus hostem erigenda occupato celebrantur. » Et [a]) rursum: « Hos (Ioachimum et Annam) quippe creator Deus ad mundi veterati eligit instaurationem; ex iis matrem accipit, ex qua novam fictionem providere decrevit; ex eorum sanguinibus, tamquam virtute regalissimis, regalem humani generis purpuram induit. »

391. Purpuram excipit *palatium*, e quo patres non minus opportunos ducunt loquendi modos, quibus obversantem ipsorum animis Virginis effigiem repraesentent. Ad rem [b]) Petrus Argorum praesul ubi de conceptu Virginis scribit: « Nunc contuens omnis creatura fundamenta iaci purissimi palatii, quod omnium Rex Christus inhabitabit, laetabunda gratias agit, manibusque plaudit et omnium bonorum auctorem Deum grata veneratur. » Et [c]) infra: « Quomodo (angeli) intuentes palatium purissimum quod omnium Regi Christo praeparatur, haud exsultabunt? » Ad rem [d]) Iosephus confessor inquiens: « Te, o puella, Rex qui tuo in sinu habitavit, ex omnibus generationibus palatium immaculatum selegit. » Ad rem [e]) Iacobus

ρον τῆς τοῦ θεϊκοῦ σκηνώματος οἰκοδομῆς μηνυομένης, οἱ τῆς εὐσεβείας μὲν καταπήγνυνται θεμέλιοι, ἐκ βάθρων δὲ τὰ τῆς ἀσεβείας ὀχυρώματα κατασείεται· σήμερον τῆς βασιλικῆς ἐξυφαινομένης ἁλουργίδος, ἡ τοῦ τῶν ὅλων βασιλέως προκαταγγέλλεται ἐνδημία· αἱ τῶν ἐκπεπολεμωμένων ἀνθρώπων προϋπογράφονται καταλλαγαί· τὰ κατὰ τοῦ πολεμήτορος αὐτῶν προαναφωνεῖται τρόπαια.

a) Orat. in Deiparae concept. et nativit. pag. 1050. C-D. apud Combefisium Auctar. T. I. Τούτους γὰρ ὁ δημιουργὸς εἰς τὴν τοῦ παλαιωθέντος κόσμου καινοποίησιν ἐκλέλεγεν· ἐκ τούτων τὴν δι᾿ ἧς τὴν νέαν ἠβουλήθη προνοήσασθαι διάπλασιν, παραλαμβάνει μητέρα· ἐκ τῶν ἐκείνων αἱμάτων, ὡς βασιλικωτέρων ἀρεταῖς, τὴν βασίλειον τοῦ γένους ἀμφιέννυται πορφύραν.

b) Orat. in Annae concept. §. I. Νῦν τὸ καθαρώτατον ἀνάκτορον τοῦ παμβασιλέως Χριστοῦ θεμελιούμενον πᾶσα ἡ κτίσις ὁρῶσα, σκιρτᾷ χαριστήρια, καὶ χεῖρας κροτεῖ, καὶ τῷ πάντων αἰτίῳ τῶν ἀγαθῶν εὐχαριστοῦσα γεραίρει θεῷ.

c) Ibid. §. XI. Πῶς τὸ καθαρώτατον τοῦ δεσπότου καὶ παμβασιλέως Χριστοῦ βλέποντες ἀνάκτορον οὐκ ἀγαλλιάσονται κατασκευαζόμενον.

d) Men. die XXIII. Decembris Ode γ'. pag. 192. col. 2. A. Γενεῶν ἀπὸ πάντων σὲ ἐξελέξατο παλάτιον ἀμόλυντον ὁ οἰκήσας σοῦ τὴν γαστέρα, κόρη, βασιλεύς.

e) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1266. E. apud Combefisium Auctar. T. I. Τό τε παλάτιον παρῆκται καὶ εὐτρέπισται σήμερον.

monachus ubi de Virgine in lucem edita ait: « Productum est atque paratum hodierna die palatium. » Neque minus ad rem [a]) Iohannes damascenus in Menaeis ubi Virginem sic affatur: « Tu purissimum Regis palatium. » Quibus consona haec sunt [b]) ex Officio sancti olei: « Te purissimum Regis palatium deprecor, celebranda, sordidum animum meum peccatis omnibus perpurga, et iucundum habitaculum superdivinae Trinitatis effice, ut potentiam tuam et immensam pietatem a te salvatus inutilis servus tuus laudibus extollam. » Atque haec pariter consona sunt, quibus [c]) Modestus hierosolymitanus lectulum compellat, in quo corpus Deiparae vita functae conquiescebat: « O sacer lectule ferens caelestis regis [1]) palatium ab ipso aedificatum ad substantialem incircumscriptibilem habitationem suae incarnationis. »

392. Praeteriri tandem silentio non debent *thesaurus gazaque regia,* e quibus praeclarissima quaeque patres derivant. Praeclarissima namque sunt, ut aliquot ex plurimis laudem, quae derivat [d]) Iohannes damascenus inquiens: « Si igitur iustorum omnium memoria cum laude recolitur, ecquisnam est qui iustitiae fonti et sanctitatis thesauro laudem non exhibeat? » Et [e]) denuo: « Hodie vitae thesaurus, gratiae abyssus, nescio quo pacto audacibusque nihilque trepidantibus labiis id efferam, vivifica morte obtegitur. » Et [f]) rur-

a) Men. die XIV. Decembris ad vesperas pag. 114. col. 1. B. Σὺ τὸ καθαρώτατον τοῦ βασιλέως παλάτιον.

b) Euchollog. pag. 413. A. Σὲ τὸ καθαρώτατον τοῦ βασιλέως παλάτιον δυσωπῶ, πολυΰμνητε, τὸν νοῦν μου καθάρισον τὸν ἐσπιλωμένον πάσαις ἁμαρτίαις· καὶ καταγώγιον τερπνὸν τῆς ὑπερθέου τριάδος ποίησον· ὅπως τὴν δυναστείαν σου, καὶ τὸ ἀμέτρητον ἔλεος μεγαλύνω σωζόμενος ὁ ἀχρεῖος οἰκέτης σου.

c) Encom. in Deiparam §. XIII. pag. 52. Ὦ ἱεροφόρε σκίμπου φέρων ἐπουρανίου βασιλέως παλάτιον, τὸ ὑπ' αὐτοῦ κτισθὲν εἰς τὴν οὐσιώδη ἀπερίγραπτον ἐνοίκησιν τῆς αὐτοῦ σαρκώσεως.

d) Orat. in Deiparae dormit. pag. 857. D., 858. A. Εἰ τοίνυν ἁπάντων δικαίων ἡ μνήμη μετ' ἐγκωμίων γίνεται, τῇ πηγῇ τῆς δικαιοσύνης, καὶ τῷ τῆς ὁσιότητος θησαυρῷ τίς οὐ προσοίσει τὸν ἔπαινον;

e) Orat. II. in Deiparae dormit. pag. 870. A. Σήμερον ὁ τῆς ζωῆς θησαυρὸς, ἡ τῆς χάριτος ἄβυσσος· οὐκ οἶδ' ὅπως τολμηροῖς καὶ ἀτρόμοις φᾶναι τοῖς χείλεσι· θανάτῳ ζωηφόρῳ καλύπτεται.

f) Orat. in Deiparae annunciat. pag. 836. C. Χαίροις ὁ Θεοῦ θεόφορον κειμήλιον, καὶ παντὸς ἀκούσματος ἀνώτατον ἄκουσμα.

1) Cf. de hac ipsa *palatii* appellatione Pseudo-Chrysostomum in Orat. de Annuntiat. pag. 602. in Auctario Combefisii, et Thesaur. hymnolog. T. II. pag. 323.

sum: « Ave sis deiferum cimelium, et omni auditione longe superior auditio. » Praeclarissima sunt quae habet [a]) Basilius pegoriotes scribens: « Hodie Maria intaminata animatumque tabernaculum adducitur in Templum Dei, illamque Zacharias manibus suscipit, tamquam sanctificatum Domini cimelium. » Praeclarissima sunt quae [b]) vulgatus Epiphanius exclamans ait: « O Virginem, stupendum Ecclesiae thesaurum, qui adeptus est ingens mysterium. » Et praeclarissima sunt tum haec [c]) ex Modesto hierosolymitano: « Salve divinitus comparatus caelestis regni thesaurus, in quo agnus Dei [1]) qui tollit peccatum mundi, stipatus est festivitatis gratia a simul congregatis caelestibus sanctis angelis et terrestribus hominibus, destinatus ut tamquam pretiosissimus in supernam [2]) ecclesiam primitivorum asporteris. » Tum haec [3]) ex Pseudo-Melitone qui Christum exhibet Deiparam his verbis alloquentem: « Veni electa mea, pretiosissima margarita, intra in receptaculum vitae aeternae. » Tum haec [d]) ex Coptorum hymnis: « Ave gratia plena, Virgo immaculata, habitaculum non manufactum, veritatis thesaurus. » Tum haec quibus [4]) Syri Virginem dicunt *navim divitiis refertam.* Atque haec item quibus [5]) Anselmus Deiparam extollit inquiens:

» Ave gemma singularis,
» Habens scripta mysteria
» In aeterni Pontificis
» Rationali posita.

» Ave lamina aurea,
» In te ipsa circumscripta,
» Nomen propitiabile,
» Quod est indicibile.

393. Quae quidem omnia si non aliter spectentur ac totidem veluti colores, quibus imago Virginis depingatur; nihil ea excelsius

a) Antholog. pag. 134. col. 1. C. Μαρία ἡ ἄχραντος, καὶ ἔμψυχος σκηνὴ προσφέρεται σήμερον ἐν οἴκῳ τοῦ θεοῦ, καὶ δέχεται ταύτην Ζαχαρίας χερσὶν ὡς ἡγιασμένον κειμήλιον κυρίου.

b) Orat. de laudibus Deiparae pag. 297. B. inter opp. Epiphanii T. II. Ὦ παρθένε, φρικτὸν τῆς ἐκκλησίας κειμήλιον, τὸ μέγα τυχὸν μυστήριον.

c) Encom. in Deiparam pag. 42. Χαίροις, θεόθεν τὸ κειμήλιον τῆς ἐπουρανίου βασιλείας, ἐν ᾧ ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου ἐδορυφορήθη, ὁμηγερέων χάριν ἑορτῆς ἐπουρανίων ἁγίων ἀγγέλων καὶ ἐπιγείων βροτῶν, τὸ προσταχθὲν ἀνενεχθῆναι ὡς ὑπερέντιμον ἐν τῇ ἄνω ἐκκλησίᾳ τῶν πρωτοτόκων.

d) Theotoch. pag. 136. tetrast. VII.

Χερε θη εθμεϩ ⲛ̀ϩⲙⲟⲧ ϯⲡⲁⲣⲑⲉⲛⲟⲥ ⲛ̀ⲁⲧⲑⲱⲗⲉⲃ, ϯⲥⲕⲏⲛⲏ ⲛ̀ⲁⲑⲙⲟⲛⲕ ⲛ̀ϫⲓϫ, ⲡⲓ ⲁϩⲟ ⲛ̀ⲧⲉ ϯⲙⲉⲑⲙⲏⲓ ⳾

1) Ioh. I. 29.
2) Hebr. XII. 23.
3) Orat. de Deiparae transitu, pag. 647. col 2. C. apud Combefis. in Biblioth. Concionat. T. VII.
4) Offic. Maronit. pagg. 403-458.
5) Psalt. P. III. pag. 307. col. 1. E. et col. 2. A.

nihilque nobilius poterit cogitari. Ecquid enim excelsius quidve nobilius *regio diademate?* quid *diademate gloriae?* quid sive *sella curuli*, sive *throno cherubico*, sive *regia purpura*, sive *purpura a Deo contexta*, sive *regali purpura humani generis*, sive *palatio immaculato et purissimo*, sive *sanctificato et deifero cimelio*, sive *thesauro sanctitatis et vitae*, sive *stupenda Ecclesiae gaza?* Atqui non alii sunt colores, qui ad exprimendam Virginis formam, eiusque speciem excitandam adhibentur. Sed forte ex tenebris ad tantum splendorem, atque ex infecta foedaque origine ad tantum nobilitatis decus Deipara emersit? Nihil profecto minus, si patribus morem gerimus. Etenim iam tum Deipara fuit *purpura* et *regia purpura*, quum in Annae sinu primum texeretur: iam tum fuit *palatium* et *palatium immaculatum atque purissimum*, quum illius fundamenta in Annae utero iacerentur: et iam tum fuit *diadema gloriae* et *thesaurus vitae*, quum in eius conceptu *erigenda adversus hostem tropaea* praesignarentur. Accepit ergo Deipara dignitatis incrementa, sed numquam fuit indigna: accepit incrementa splendoris, sed numquam in tenebris iacuit: et accepit incrementa gratiae, sed Deo numquam fuit invisa.

394. Quibus non minimum lucis firmitatisque addi intelligemus, si ad sumptas ex sacris metaphoras animum adverterimus. Et si animum inprimis adverterimus ad metaphoram *templi*, cuius eximius occurrit usus apud Theophanem et Iosephum confessorem, quorum ille [a]) sic habet: « Sacratissimum virginitatis templum, quae in utero Deum Verbum gestasti, accurrentes ad te, et te, o innocens, invocantes tuis intercessionibus serva, et a periculorum incursu, o immaculatissima, libera. » Alter vero [b]) scribit: « Ad tabernacula supercaelestia ascendisti, o perfecte innocens, quaeque es purissimum Dei templum, o Virgo intemerata. » Accedit Modestus hierosolymitanus [c]) inquiens: « Salve o multum Deo desiderabilis, animatum incomprehensibilis Altissimi templum, in quo increata et subsistens

a) Antholog. die VII. Ianuarii Ode α'. pag. 319. col. 2. C. Ἱερώτατον τῆς παρθενίας τέμενος, ἡ ἐν γαστρὶ θεὸν λόγον κυοφορήσασα, τοὺς προτρέχοντας εἰς σὲ καὶ προσκαλουμένους, ἁγνὴ, σῶζε πρεσβείαις σου κινδύνων λύουσα τὴν ἔφοδον, πανάμωμε.

b) Men. die XIV. Augusti Ode γ'. pag. 75. col. 1. B. Ἤρθης πρὸς σκηνώματα τὰ ἐπουράνια, πάναγνε, οὖσα θεοῦ, ἄχραντε παρθένε, καθαρώτατον τέμενος.

c) Encom. in Deiparam §. X. pag. 38. Χαίροις περιπόθητε θεῷ, ἔμψυχε ναὲ τοῦ ἀχωρήτου ὑψίστου, ἐν ᾧ ἡ ἄκτιστος ἐνυπόστατος σοφία θεοῦ πατρὸς ἐνοικήσασα, ᾠκοδό-

sapientia Dei Patris inhabitavit, suique corporis templum Christus Deus aedificavit, qui suam in te requiem ad universi salutem invenit, teque sibi complacuit ad aeternam et gloriosissimam sibi requiem assumere. » Accedunt [1]) Cyrillus alexandrinus, Basilius seleuciensis [2]), et vulgati [3]) Gregorius neocaesariensis atque [4]) Epiphanius, qui Deiparam nuncupant ναὸν ἀκατάλυτον, ἅγιον καὶ θαυμαστὸν ἐν δικαιοσύνῃ, *templum indissolubile, sanctum et mirabile in aequitate*: ναὸν ὄντως ἀξιόθεον, *templum Deo vere dignum*: et ἄφθαρτον καὶ ἀμίαντον ναὸν, *templum incorruptum atque inviolatum*. Accedunt [5]) et Syri, quibus Deipara est *solium vivum templumque mundum Domini universorum*. Huic templi metaphorae ea est simillima, qua Virginem [a]) Basilius pegoriotes appellat *donum gratiae* inquiens: « Ut quae sis gratiae domus in qua reconditi fuerunt ineffabilis divinae dispensationis thesauri, o intemeratissima, in templo particeps facta es cibi illibati. » Eaque pariter simillima est, qua [b]) Nicetas paphlago de Ioachimo loquens Deiparam nominat *Spiritus sacrarium* his verbis: « Eum enim qui sanctissimi Spiritus sanctissimum sacrarium esset geniturus, decebat eiusdem primum Spiritus divinis afflatibus repletum sacro spiritalique desiderio ad conceptum confoveri. » Neque ea dissimilis videri potest, quam [c]) Iohannes damascenus usurpat inquiens: « Ave quae consilio Dei ante secula praeelecta es, ut esses *divinissimum terrae germen, divini ignis habitaculum, Spiritus sancti sacratissima imago, fluvius plenus aromatum Spiritus*. » Cum templo, gratiae domo, Spi-

μησε τὸν ναὸν τοῦ σώματος αὐτοῦ Χριστὸς ὁ Θεὸς, ὁ τὴν ἑαυτοῦ ἀνάπαυσιν εὑρὼν ἐν σοὶ εἰς παγκόσμιον σωτηρίαν, καὶ προσλαβεῖν σε εὐδοκήσας εἰς τὴν αἰωνίαν πανένδοξον αὐτοῦ ἀνάπαυσιν.

a) Antholog. die XXI. Novembris Ode ς'. pag. 157. col. 1. C. Ὡς οἶκος οὖσα τῆς χάριτος, ἐν ᾧ οἱ θησαυροὶ ἐναπόκεινται τῆς ἀποῤῥήτου Θεοῦ οἰκονομίας, παναχραντε, ἐν τῷ ναῷ μετέσχες τῆς ἀκηράτου τροφῆς.

b) Orat. in Deiparae nativit. pag. 439. A. apud Combefisium Auctar. T. III. Τὸν γὰρ τοῦ παναγίου πνεύματος μέλλοντα τὸ ἁγιώτατον κειμήλιον ἐκτεκεῖν, ἔδει τοῦ πνεύματος αὐτοῦ πρῶτον τῶν θείων πληρούμενον ἐνεργειῶν, ἐξ ἱερᾶς τε καὶ πνευματικῆς πρὸς τὴν κύησιν διεθερμαιθῆναι προθυμίας.

c) Orat. III. in Deiparae dormit. §. V. pag. 885. D-E. Χαίροις ἡ προεκλελεγμένη τῇ πρὸ αἰωνίων βουλῇ τοῦ Θεοῦ, γῆς θειότατον βλάστημα, πυρὸς θείου κατοικητήριον, πνεύματος ἁγίου ἱερώτατον ἄγαλμα, ποταμὸς πλήρης τῶν ἀρωμάτων τοῦ πνεύματος.

1) Orat. in Deiparam pag. 380. opp. T. V. P. II.

2) Orat in Deiparam pag. 592. apud Combefis. Auctar. T. I.

3) Orat. in Deiparae Annuntiat. pag. 27.

4) Orat. in Deiparam pag. 297. inter opp. Epiphanii T. II. Adde Theodorum studitam apud Sirmondum opp. T. ultimo pag. 762.

5) Offic. Maronit. pagg. 476-486.

ritus sacrario, et sacratissima Spiritus imago, intime cohaerent *donaria vasaque omnia,* quibus divinus cultus rite casteque peragitur. Iamvero [a]) Georgius nicomediensis Deiparam adhuc tenellam et vix triennem in Templo oblatam celebrat tamquam « Pretiosum illud revera donarium atque angelis venerabile; supremum ac mundissimum illud cimelium, in quo thesauri gratiae fuerunt depositi, in quo oeconomiae opes ineffabili ratione erant collocatae, in quo salutis nostrae pignora erant condita; vas inquam illud intaminatum. »

395. Hinc [b]) Epiphanius Mariam nuncupat « Vas [1]) honoratissimum. » Hinc [2]) Ambrosius Mariam dicit vas de caelo, scribens: « Unde hoc munus Emmanuelis? Non de terra utique, sed de caelo vas sibi hoc per quod descenderet Christus elegit, et sacravit templum pudoris. » Hinc [c]) alexandrinus Cyrillus Mariam alloquens ait: « Salve et ipsa Maria Deipara, Virgo mater lucifera, vas incorruptum. » Hinc [d]) Iohannes monachus his verbis Mariam exorat: « O intemerata, o nullius conscia labis, vas fragrantissimi odoris deprecare Christum quem peperisti. » Hinc [e]) in Officio exsequiarum dicitur: « Vas illibatum, templum omni ex parte immaculatum, arcam sanctissimam, virgineum sanctitatis loculum, te Iacobi pulcritudinem Dominus elegit. » Hinc [3]) verba Emanuelis palaeologi: « Sicut vecordis esset arbitrari, lucidiores fieri radios multarum ope lucernarum, aut immensum hoc pelagus unius guttae adiectione augeri; similiter et conari laudibus te, Virgo, extollere vas donorum om-

a) Orat. in Deiparae ingressum in Templum pag. 1087. D. apud Combefisium Auctar. T. I. Τὸ τίμιον ὄντως ἀνάθημα καὶ ἀγγέλοις αἰδέσιμον· τὸ ὑπέρτατον καὶ καθαρώτατον κειμήλιον, ἐν ᾧ οἱ τῆς χάριτος θησαυροὶ ἐναπετέθησαν· ἐν ᾧ ὁ τῆς οἰκονομίας πλοῦτος ἀπορρήτως ἀπέκειτο· ἐν ᾧ τὰ τῆς ἡμῶν σωτηρίας ἐταμιεύθη ἐνέχυρα· τὸ σκεῦος τὸ ἀμόλυντον.

b) Haeres. LVIII. al. LXXVIII. §. XI. pag. 1044. B. opp. Tom. I. Τὸ τετιμημένον σκεῦος.

c) Orat. in Deiparam pag. 380. opp. T. V. p. II. Χαίροις τε καὶ αὐτὴ Μαρία Θεοτόκε, παρθενομῆτορ, φωτοφόρε, σκεῦος ἀμίαντον.

d) Men. die XXX. Augusti Ode θ'. pag. 168. col. I. B. Ἄχραντε, πανάμωμε, τὸ σκεῦος τῆς εὐωδίας αἴτησαι Χριστὸν, ὃν ἔτεκες.

e) Euchológ. pag. 530. B. Δοχεῖον ἄχραντον, ναὸν πανάμωμον, κιβωτὸν παναγίαν, παρθενικὸν τόπον ἁγιάσματος, σὲ καλλονὴν τοῦ Ἰακὼβ ὁ Δεσπότης ἐξελέξατο.

1) Neminem vero latet amplissimam esse potestatem, quae in Scripturis monimentisque Ecclesiasticis nomen σκεῦος *vas* ad normam Hebraici כְּלִי usurpatur. Cf. Iohannis Vorstii Philolog. sacr. de Hebraismis N. T. cap. II. nn. 9. seqq.

2) De institut. Virg. cap. V. n. 33. col. 257.

3) Orat. in Deiparae dormit. pag. 55. edit. Maraccii in Caesaribus marianis.

nium divinorum plenum, tantaque sublimatam dignitate, ut eam vel fingere nulla mens possit. » Atque hinc [a]) Basilius pegoriotes affirmat: « Et corpore et animo gavisa est Maria labis expers, quum in templo tamquam vas sacratissimum conquiesceret. »

396. Quid iamvero a peccato remotius quam templum, quam gratiae domus, quam Spiritus sacrarium? Et quid a culpis sordibusque alienius quam donaria, et quaecumque sunt cetera religiosi cultus ornamenta atque supellex? Huc autem metaphorae redeunt, quibus sanctitas et innocentia Virginis a patribus efferuntur. Ea namque est Deipara quae ab ipsis uno ore celebratur veluti templum, gratiae domus, sacrarium Spiritus, donarium, margarita et vas Deo dicatum; neque his solum celebratur titulis sed epithetis praeterea insignitur quibus *templum* dicitur, sed *sacratissimum et purissimum:* quibus *donarium* dicitur, sed *pretiosum, supremum, mundissimum, ipsisque angelis venerabile:* quibus *vas* dicitur, sed *intaminatum, caeleste, honoratissimum, incorruptum, sacratissimum et fragrantissimum spirans odorem:* quibus tandem dicitur *margarita*, sed cuius *candor purissimum exhibet Christi corpus* et cuius *claritas atque nitor eam sistit naturam quae nullis infuscatur tenebris nullisque maculis taminatur*. Aut nihil igitur est intra creatae naturae fines a culpa seiunctum, quodque peccati consortium societatemque non ferat, aut eiusmodi dubio procul credi dicique Deipara debet.

397. Praesertim quum iunctis congestisque metaphoris idipsum confirmet [b]) Andreas cretensis inquiens: « Ave vere benedicta, ave illustris, ave magnificum divinae gloriae templum, ave molitionis sacrae Regis palatium, ave thalame in quo Christus humanam sibi naturam desponsavit, ave Deo electa ante generationes, ave divina cum hominibus reconciliatio, ave thesaure vitae immortalis, ave caelum, supercaeleste domicilium solis gloriae, ave Dei qui nusquam capi pos-

a) Antholog. die XXX. Novembris Ode ζ'. pag. 133. col. 1. C. Καὶ σώματι καὶ πνεύματι ἔχαιρε σχολάζουσα Μαρία ἡ ἄμωμος ἐν τῷ ναῷ κυρίου, ὥσπερ σκεῦος ἱερώτατον.

b) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 102. C-D. apud Gallandium T. XIII. Χαῖρε ἀληθῶς εὐλογημένη· χαῖρε λελαμπρυσμένη· χαῖρε κεκαλλωπισμένον τῆς θείας δόξης ἀνάκτορον· χαίροις ἱεροτεύκτον τοῦ βασιλέως παλάτιον· χαίροις νυμφὼν, ἐν ᾧ Χριστὸς ἐνυμφεύσατο τὴν ἀνθρωπότητα· χαίροις ἐκλεγομένη Θεῷ πρὸ γεννήσεων· χαίροις τὸ θεῖον πρὸς ἀνθρώπους διαλλακτήριον· χαίροις θησαυρὲ τῆς ἀκηράτου ζωῆς· χαίροις οὐρανὲ, τοῦ ἡλίου τῆς δόξης ὑπερουράνιον οἴκημα· χαίροις θεοῦ τοῦ μηδαμοῦ χωρητοῦ ἐν σοὶ δὲ μόνῃ χωρητοῦ χωρίον εὐρύχωρον.

sit, at possit in te sola, bene capax locus. » Accedit [a]) Theophanes qui interrogando scribit: « O turris ex auro structa et civitas duodecies communita, o throne instar solis radians, o Regis cathedra, portentumque incomprehensibile, quomodo Dominum lactas? « Insignissime vero Petrus siculus, qui [b]) illorum numero quae de Virgine Catholicis indubitata sunt atque certissima, commemorat « Eam esse quidem secundam post Deum, sed primam, non tempore dico sed gloria inter [1]) invisibiles omnes visibilesque creaturas. » Tum [c]) subdit: « Sed nunc adsis, prout soles, caelitus superveniens omnium Regina, virginitatis immaculatum speculum, puritatis animata imago, benigna tuam opem implorantibus semper et ubique prompta auxiliatrix, quae Deum Verbum incarnatum ex te ineffabiliter conceptum peperisti: da nobis indignis famulis tuis ore facundo verba proferre, ut dignitatem tuam inimicis quoque tuis splendide revelemus. »

CAPUT X.

Ad examen revocatur argumentum ex appositis Deiparae tributis collectum: cuiusmodi illud sit et quibus veluti elementis componatur: quid singulis elementis inesse debeat, et quid a singulis immerito exspectaretur: canones sincerae accurataeque interpretationis stabiliuntur: argumentum ipsum exponitur, eiusque forma quadruplex declaratur: forma absoluta: forma comparata: forma hypothetica: et forma quae ad hominem non inepte dicitur: exceptio atque inculcata saepius difficultas diligenter expenditur: ac tandem inferendo concluditur, eum esse immaculatum Deiparae conceptum qui inter explorata theoremata numerari debet.

398. **D**uplex nobis in praesentia consilium est, tum ea colligendi quae tot capitibus ac tot articulis dispersa dedimus, ut in

a) Antholog. die V. Decembris Ode θ'. pag. 169. col. 1. C. Χρυσοπλοκώτατε πύργε καὶ δωδεκάτειχε πόλις, ἡλιοστάλακτε θρόνε, καθέδρα τοῦ βασιλέως, ἀκατανόητον θαῦμα, πῶς γαλουχεῖς τὸν δεσπότην;

b) Serm. II. adver. Manichaeos §. I. pag. 66. apud Mai in Nova pp. biblioth. T. IV. P. III. Ἐπειδὴ ταύτην δευτέραν μὲν Θεοῦ, οὐ χρονικῶς λέγω, τῇ δόξῃ δὲ, πρώτην πάντων ἀοράτων τε καὶ ὁρατῶν κτισμάτων εἶναι πιστεύομεν.

c) Ibid. §. 1. pag. 66. Ἀλλ' ἴθι καὶ νῦν ὡς ἔθος σοι οὐρανόθεν φοιτῶσα παντάνασσα,

1) Ibid §. IX. pag. 73. eamdem repetens sententiam ait: Καίπερ τὰ τῆς Θεοῦ μητρὸς ὑπὲρ πάντα εἰσὶ τὰ ὁρατὰ καὶ τὰ ἀόρατα, πλὴν μόνου Θεοῦ, ἐνδοξοτέρα τε καὶ ἐξαισιωτέρα. *Ceterum quae ad Dei matrem spectant, visibilia omnia et invisibilia, Deo solo excepto, quantumvis gloriosa et eximia excedunt.*

summam contracta splendidius eniteant, efficacius moveant, vimque suam omnem plenius eliciant: tum, quod momenti haud paullo gravioris videri debet, nihil praeterire quod non fuerit limae subiectum, et quoad eius fieri potest diligentissime excussum. Hoc enim suscepto examine illud assequemur quo votis omnibus contendimus, ut ne hilum quidem probemus quod non sit adprobatione dignissimum, ac ne hilum quidem vicissim improbemus quod sua se veritate insitoque pretio commendet. Ne autem contentiones nostrae nostraque studia in irritum cedant, dabimus operam ut ordini atque evidentiae pro facultate consulamus. Itaque propriis distinctisque articulis ea expendemus omnia quae huc faciunt, neque ad exponendam vindicandamque probationem immaculati conceptus antea accedemus, quam singula praestructa rite fuerint quibus illa incumbit et supposita veluti basi sustentatur.

ARTICULUS I.

Recensentur classes appositorum, quae patribus christianisque scriptoribus suffragantibus Virgini adscripta novimus: hac autem continentur appositis negantibus gradu positivo, appositis negantibus gradu superlativo, appositis affirmantibus gradu positivo, appositis affirmantibus gradu superlativo, appositis plenitudinem significatae qualitatis referentibus, appositis cumulatis, appositis negantibus et antonomastice adhibitis, appositis affirmantibus eademque excellentiae notione usurpatis, appositis abstractis, appositis cum significatione excessus coniunctis, appositis comparatis et quibus Deipara omnibus hominibus, omnibus sanctis, omnibus angelis, universisque creaturis innocentia, sanctitate, ceterisque ornamentis anteponitur, appositis comparationem omnem excludentibus et Deiparae cum uno Deo similitudinem affirmantibus, appositis denique metaphoricis atque ex iis magno numero deductis quae puritate ac nitore splendidius refulgent.

399. Quod primum in aestimanda aliqua probatione cognosci, quodque obversari primum ob oculos debet, ipsa est *materies* e qua probatio exsistit, quaeque ad probationem gignendam non aliter

τὸ τῆς παρθενίας ἀκηλίδωτον ἔσοπτρον, τὸ τῆς ἁγνείας ἔμψυχον ἀπεικόνισμα, ἡ εὐήκοος τῶν ἐπικαλουμένων τὴν σὴν βοήθειαν πάντοτε καὶ πανταχοῦ ταχεῖα ἐπίκουρος, ἡ τὸν θεὸν λόγον σεσαρκωμένον ἐκ σοῦ ἀνερμηνεύτως κυήσασα· καὶ δίδου ἡμῖν τοῖς ἀναξίοις δούλοις σου λόγον ἐν ἀνοίξει τοῦ στόματος ἡμῶν, ὅπως τὴν σὴν δόξαν τηλαυγῶς καὶ τοῖς ἐχθροῖς σου ἀνακαλύψωμεν.

concurrit, ac voces ad harmoniam et colores ad imaginem producendam adhibeantur. Materies autem e qua praesens probatio tota pendet, epithetis absolvitur quibus maiores nostri significandam ornandamque Deiparam existimarunt. Haec igitur epitheta recoli in antecessum animo debent ac sedulo in memoriam revocari, ne exstruendum deinde probationis aedificium suo destitutum fundamento videatur. Quum vero haec apposita non sint uniusmodi sed in multiplici quadam differentia versentur, operae pretium fuerit non secus illa ac propriis adstricta classibus recensere.

400. Harum porro classium omnium prima ea est, quae *appositis* constat *negantibus, gradu positivo expressis* et quibus Deipara celebratur [1]) ἄμωμος *immaculata* [2]), ἄσπιλος *intemerata*, ἀμίαντος *intaminata*, ἀμόλυντος *impolluta*, ἄμεμπτος *inculpata* [3]), ἀκήρατος *illaesa*, ἀδιάφθορος, ἄφθορος, ἄφθαρτος *incorrupta*, ἄχραντος *illibata* [4]), ἄθικτος, ἄτηκτος, ἀπήμαντος *intacta*.

401. Hanc altera excipit *iisdem coalescens appositis, gradu tamen non positivo sed superlativo conceptis, et quibus Deiparae* [5]) *ad-*

1) nn. 76. seqq.

2) In Psalterio b. Virginis quod Anselmo tribuitur, haec habentur pag. 307. col. 2. B.
» Gaude Dei genitrix, Virgo immaculata,
» Gaude quae gaudium ab Angelo suscepisti,
» Gaude quae genuisti aeterni luminis claritatem
» Gaude mater pietatis et misericordiae.

3) Praeclare Tarasius Orat. in Deiparae ingressum in Templum pag. 9. Ὦ κόρη ἀμίαντε, ὦ παρθένε ἀμόλυντε, ὦ νεᾶνις πάγκαλλε, ὦ γυναικῶν ἀγλάϊσμα, ὦ θυγατέρων καλλώπισμα· ὦ μῆτερ παρθένε ἁγία· σὺ, εὐλογημένη ἐν γυναιξί· σὺ, δεδοξασμένη τῇ ἀγνείᾳ· σὺ, ἐσφραγισμένη τῇ παρθενίᾳ· σὺ, τοῦ Ἀδὰμ τῆς κατάρας ἡ λύσις· σὺ, τῆς Εὔας τοῦ ὀφλήματος ἡ πλήρωσις· σὺ, τοῦ Ἄβελ ἡ καθαρωτάτη προσφορά. *O puella inviolata, o Virgo impolluta, o adolescentula venustissima, o mulierum ornamentum, filiarum nitor: o mater virgo sancta, tu benedicta inter mulieres, tu celebrata propter innocentiam, tu obsignata propter virginitatem, tu maledicti in Adam lati solutio, tu debiti Evae expiatio, tu Abelis purissima oblatio.*

4) In Euchologio pro Officio exsequiarum pag. 529. C. ista habentur: Ὁ ἐκ πλευρᾶς διαπλάσας Εὔαν τὸ πρὶν τὴν ἡμῶν προμήτορα, ἐξ ἀχράντου σου γαστρὸς σάρκα περιβάλλεται, δι' ἧς τοῦ θανάτου τὴν ἰσχὺν, ἁγνὴ, διέλυσεν. *Qui prius Evam ex Adami costa omnium protoparentem efformavit, in illibato tuo utero carne circumdatur, per quam, o pura, potestatem mortis dissolvit.* Eadem significandae Virginis ratio in his apparet ex officio Quadragesimae pro Feria VI. Hebdomadae II. Ieiuniorum pag. 198: Ὃν οὐρανὸς χωρεῖν οὐκ ἠδύνατο, σὺ ἐν γαστρὶ συλλαβοῦσα τέτοκας· ὦ τοῦ φρικτοῦ καὶ ἀῤῥήτου θαύματος· διὸ πάντες ὑμνοῦμέν σε, ἄχραντε. *Quem caelum capere non poterat, tu in utero tuo complexa peperisti. O terribile et ineffabile portentum! Quare omnes te laudamus, o immaculata.* Atque in iis rursum pro sabbato eiusdem Hebdomadae pag. 209: Ἰδοὺ πᾶσαι γενεαὶ μακαρίζομέν σε, ἄχραντε, τὰ μεγαλεῖά τὰ σὰ καθορῶντες. *Ecce generationes omnes te, o immaculata, beatam praedicamus, magnalia tua intuentes.*

5) nn. 138. seqq. Hinc in Euchologio pro Officio exsequiarum pag. 530. B-C. legimus: Δοχεῖον ἄχραντον, ναὸν πανάμωμον, κιβωτὸν παναγίαν, παρθενικόν τόπον ἁγιάσματος, σὲ καλλονὴν τοῦ Ἰακὼβ, ὁ δεσπότης ἐξελέξατο. *Vas illibatum, templum perfecte immaculatum, arcam sanctissimam, virgineum sanctitatis locum, te Iacobi pulcritudinem Dominus elegit.* Hinc in veteri officio quadragesimali apud Quirinium pag. 15. pro sabbato carnisprivii ex Theodoro studita legimus: Ὑπὲρ νοῦν ὁ τόκος σου· γεννᾷς γὰρ τὸν προόντα, καὶ γαλουχεῖς ἀφράστως τὸν τροφοδότην τοῦ κόσμου, ἀνακλίνεις τὸν τοῦ παντὸς συνοχέα, Χριστὸν μόνον λυτρωτὴν ἡμῶν, πανάμωμε. *Intelligentiam exsuperat partus tuus; gignis enim eum qui praeexistebat, et ineffabiliter lactas mundi altorem, reclinas qui universum continet, Christum solum Redemptorem nostrum, o labis omnis exsors.* Omitto hisce similia ex dominica Carnisprivii. pag. 35, atque haec addo, auctore Theophana, ex dominica prima Ieiuniorum pag. 153. Ἐγκαίνισον ἡμῖν τὴν ἀρχαίαν εὐπρέπειαν, πανάχραντε θεομήτορ, καὶ τὴν εἰκόνα σου ταύτην ἁγίασον

scribitur quod sit πανάμωμος *penitus immaculata*, παναμώμητος *rugae funditus expers*, πανάχραντος *perfecte illibata*, πανακήρατος *penitus illaesa* πανάσπιλος *undequaque intemerata*, et πανάφθορος *prorsus incorrupta*.

402. Sequitur tertia classis, quae *ex appositis* prodit *affirmantibus pro ratione positivi gradus inflexis*, et quibus in christianis monimentis Deipara [1]) praedicatur ἁγία *sancta*, ἱερά *sacra*, σεμνή *alma veneranda*, ἁγνή *innocens*, καθαρά *pura*, καλή *pulcra*, ὡραία *speciosa*, κεχαριτωμένη *gratia plena*, θεοχαρίτωτος *Deo accepta*, θεοπρεπής *Deum decens*, εὐλογημένη *benedicta*, et μακαρία *felix* atque *beata*.

403. Succedit quarta, ad quam *apposita* pertinent hinc *affirmantia*, inde *superlativa*, et quibus [2]) Virgo exhibetur ἁγιωτάτη *sanctissima*, ἱερωτάτη *sacratissima*, καθαρωτάτη *purissima*, ὡραιοτάτη *speciosissima* et θεοχαριτώτατος *Deo gratissima*.

404. Cum hac classe, quinta cohaeret ad quam *epitheta* referuntur *quae sua compositione plenitudinem significatae qualitatis demonstrant*, et quibus [3]) veluti proprium Deiparae asseritur quod ea sit credaturque παναγία *penitus sancta*, πάναγνος *tota innocens*, πανίερος *penitus sacra*, πάνσεμνος *penitus venerabilis*, πάγκαλος *tota pulcra*, πανευλόγητος *undequaque benedicta*, παμμακάριστος *perfecte beata*, παναγιώτατος *prorsus sanctissima*, πανευπρεπής *plene concinna*, πανσεβάσμιος *penitus colenda*, πανόλβιος *omnino felix*, πολυτίμιος *eximie pretiosa*, πανεύφημος καὶ πολυώνυμος *valde multumque celebranda*, πάγκλυτος *laudatissima*, παντομνημόνευτος *celebratissima*, πανύμνητος καὶ πολυύμνητος *omnibus*

σῇ χάριτι. *O Dei mater penitus inviolata, veterem nobis repara decorem, atque hanc tuam domum tua gratia sanctifica.* Videsis etiam quae Feria VII. Hebdomadae II. Ieiuniorum pag. 200. huc spectantia habentur.

1) nn. 170. seqq. In Anselmi Psalterio pag. 307. col. 2. D.

» Speciosa et suavis,
» Canticum laetitiae,
» Praedicanda et laudanda
» Privatim et publice.

Et pag. 308. col. 1. C-D.

» Ave templum gratiarum
» Omnium capabile:
» Ave cuius peccatores
» Pascunt eleemosinae.
» Gaude felix, et ex ipsis
» Unam mihi tribue.

2) nn. 222. seqq. Apposite Anselmus Orat. XLVI. pag. 277. col. 1. E. « Beatissima Dei genitrix et virgo perpetua Maria, sacrarium omnium virtutum, gignendo Dominum virtutum et regem gloriae Christum, per eumdem quem meruisti generare tibi ad aeternam gloriam et nobis ad aeternam salutem, precor per tuam clementiam suffragare mihi omni misericordia indigno, siquidem omnino, deifera sanctissima Maria, indignus sum te adire precatum. »

3) nn. 230. seqq. Narrationem de dormitione Deiparae ex Euthymiaca historia Damascenus contexens, haec praeter alia refert Orat II. in Deiparae dormit. §. XVIII. pag. 879. D: Οὗτοι τοιγαροῦν ἐκεῖσε σεβάσμιον οἶκον τῇ πανυμνήτῳ καὶ παναγίᾳ Θεοτόκῳ καὶ ἀειπαρθένῳ Μαρίᾳ οἰκοδομήσαντες, καὶ παντὶ κόσμῳ κοσμήσαντες τὸ ταύτης πανάγιον καὶ θεοδόχον ἀνεζήτουν σῶμα. *Cum itaque laudatissimae sanctissimaeque Dei genitrici perpetuaeque virgini Mariae venerandam aedem illic* (Marcianus et Pulcheria) *exstruxissent, omnique ornamentorum genere decorassent, sacrosanctum quod Deum suscepit corpus conquirebant.*

laudibus prosequenda, πανθαύμαστος *plene admirabilis*, πανένδοξος *omnino gloriosa* et ἀξιάγαστος *stupore digna*.

405. Sexta epithetorum classis suo ambitu praecedentes omnes complectitur, *congerie et accumulatione* [1]) *efficitur*, formamque praefert [2]) huic geminam: « Per intercessiones dominae nostrae dominatricis, purissimae virginis, sanctae, immaculatae et intemeratae Mariae. »

406. Ad septimam classem *epitheta* revocantur *tum negantia tum antonomastice adhibita*, et quibus κατ' ἐξοχὴν et non citra manifestam excellentiae significationem Deipara audit ἡ ἄμωμος *illa immaculata*, ἡ ἄσπιλος *illa intemerata*, ἡ ἀμόλυντος *illa impolluta*, ἡ ἄχραντος *illa illibata*, et ne singula persequar, ἡ ἄμεμπτος *illa inculpata*.

407. Octava classis hoc tantum nomine a superiore distat, quod *ex epithetis* efflorescit non negantibus sed *affirmantibus iisque antonomastice acceptis*; cuiusmodi [3]) illa sunt quibus Deipara effertur tamquam ἡ ἁγία *illa sancta*, ἡ ἁγνή *illa innocens*, ἡ καθαρά *illa pura*, ἡ καλή καὶ ἡ ὡραία *illa pulcra et illa speciosa*, ἡ κεχαριτωμένη *illa gratia plena* et ut concludam, ἡ εὐλογημένη *illa benedicta*.

408. Materies nonae classis continetur *epithetis abstractis*, quibus [4]) Maria laudatur veluti ἁγνείας τὸ κάλλος *innocentiae pulcritudo*, ἁγνείας τὸ πάναγνον ἐνδιαίτημα, *innocentiae innocentissimum hospitium*, ἐνδιαίτημα οὐρανίων ἀρετῶν *caelestium virtutum habitaculum*, ἁγιωσύνης τέμενος *sanctitatis delubrum*, ἐγκαλλώπισμα φύσεως *naturae decus*, ἁγίασμα *sacrarium*, σκεῦος τίμιον *vas pretiosum* et χαρακτὴρ τίμιος *honorabilis forma*.

409. Decima classis *epitheta* sistit *cum notione excessus devincta*, eoque pertinentia ut Deipara [5]) existimetur ὑπεράμωμος *labe superior*, ὑπεραγία *super-sancta*, ὑπερκαθαρά *super-pura*, μυριάκις καθαρά

1) nn. 247. seqq.

2) Ex ordine Confirmationis Ecclesiae alexandrinae Coptitarum et Aethiopum apud Assemanum in Cod. liturg. eccles. Univ. T. III. pag. 104. His adde quae eodem spectantia habentur in Missali mozarabico T. II. pag. 468.

3) nn. 286. seqq. Anselmus orat. LI. pag. 280. col. 1. C. « Maria, tu illa magna Maria, tu illa maxima feminarum. Te, domina magna et valde magna, te vult cor meum amare, te cupit os meum laudare, te desiderat venerari mens mea, te affectat exorare anima mea, quia tuitioni tuae se commendat tota substantia mea. »

4) nn. 296. seqq. Anselmus Orat. LX. p. 268. col. 1. A.

» Maria templum Domini
» Sacrarium Paracliti,
» Sacrarium decus virginum
» Moerentium solatium.

5) nn. 318. seqq. Anselmus Orat. LI. p. 281. col. 1. D-E. « O femina mirabiliter singularis et singulariter mirabilis, per quam elementa renovantur, inferna remediantur, daemones conculcantur, homines salvantur, angeli redintegrantur! O femina plena et superplena gratia, de cuius plenitudinis exundantia respersa sic reviviscit omnis creatura! O Virgo benedicta et superbenedicta, per cuius benedictionem benedicitur omnis natura! O nimis exaltata, quam sequi conantur affectus animae meae, quo aufugis aciem mentis meae? O pulcra ad intuendum, amabilis ad contemplandum, delectabilis ad amandum, quo evadis capacitatem cordis mei? »

decies millies pura, ὑπέραγνος καὶ πανυπέραγνος *super-innocens et undequaque super-innocens*, ὑπερβάλλουσα καθαρότης *superexcedens puritas*, ὑπερευλογημένη καὶ πανυπερευλογημένη *super-benedicta et penitus super-benedicta*, ὑπέρλαμπρος *super-splendida*, ὑπερύμνητος καὶ ὑπερδεδοξασμένη *supra omnem laudem gloriamque evecta*, ac tandem πανυπερθαύμαστος *omni admiratione potior*.

410. Undecima clasis *epitheta* exhibet *comparata, quibus Deipara omnibus praefertur hominibus*, iisque omnibus [1]) *sanctior, purior, gratiosior, excelsior, gloriosior, pulcrior* et ὄντως ἐπέκεινα βροτῶν *vere mortalibus superior* laudatur.

411. Simillima est classis duodecima, quae *epitheta pariter exhibet comparata, sed quibus Deipara non tam hominibus universim quam sanctis inter homines ita anteponitur* [2]) ut dicatur ἁγίων ἁγιωτέρα *sanctis sanctior, sanctior patriarchis, prophetis, apostolis atque adeo* ἁγία τῶν ἁγίων *sancta sanctorum*, ἁγιόπρωτος, *inter sanctos princeps*, ἡ πρωτίστη τῶν ἁγίων, *sanctorum praecipua*, τὸ κεφάλαιον τῶν ἁγίων, *sanctorum caput*.

412. Ad idem genus revocatur classis decima tertia *iis* conflata *epithetis quibus Deipara* effertur [3]) ut *angelis excellentior, sublimior, gloriosior, venustior, lucidior, sacratior*, et uno verbo Χερουβὶμ καὶ Σεραφὶμ ὄντως καθαρωτέρα, *Cherubim atque Scraphim verissime purior*.

413. Eodem spectat et classis decima quarta non alia comple-

1) nn. 324. seqq. Anselmus Orat. LIV. pag. 283. col. 1. D. « O sanctissima virgo Maria, nos qui credimus quod virgo et mater Dei sis, credendo sentiamus quod pro nobis depreceris. Et qui fatemur te omnibus hominibus meliorem, gaudeamus per te percipere felicitatem. »

2) nn. 330. seqq. In Officio quadragesimali pro Feria VI. Hebdomadae III. Ieiuniorum pag. 264. canitur: Τὴν τῶν οὐρανῶν ὑψηλοτέραν, καὶ Χερουβὶμ ὑπερτέραν, τὴν ἁγιόπρωτον, καὶ ἀμίαντον κόρην τοῦ πάντων Θεοῦ ὑμνοῦμεν, καὶ ὑπερυψοῦμεν εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας. *Caelis altiorem et Cherubim sublimiorem, sanctorum primam et impollutam Dei omnium puellam laudamus ac superexaltamus in omni seculo.* Anselmus vero Orat. LX. p. 268. col. 1. C-D. sic habet:

» Cum mente tracto angelos,
» Prophetas et apostolos,
» Victoriosos martyres
» Et perpudicas virgines:
» Nullus mihi potentior,
» Nullus misericordior,
» Illorum pace dixerim,
» Videtur matre Domini:

3) nn. 336. seqq. Anselmus Orat. LIV. pag. 283. col. 1. C-D. « O alma virgo Maria, tanto omnibus angelorum spiritibus omnibusque electorum animabus, in cuncta filii tui Christi Domini nostri hereditate es gloriosior, quanto ab ipso fieri meruisti beatior. O sancta Dei genitrix, omnium creaturarum dignissima atque purissima, caecorum cordium oculos terge, atque semitas iustitiae nobis ostende. » Theophanes vero in officio quadragesimali pro dominica I. Ieiuniorum pag. 155. scribit: Ὑπὲρ τὰς ἄνω χοροστασίας ὤφθης, πανάγνε, μόνη γενομένη μήτηρ τοῦ παντουργοῦ· γεγηθότες οὖν κραυγάζομεν, εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν ὑπάρχεις, πανάμωμε δέσποινα. *Super caelestes choros exsaltata es, purissima, sola creatoris omnium mater; laeti igitur clamamus, benedicta tu inter mulieres, labis prorsus omnis expers domina.* Et pag. 157: Ἡ τῶν οὐρανῶν πλατυτέρα, καὶ Χερουβὶμ ἁγιωτέρα, πάσης τε τῆς κτίσεως, ἁγνή, τιμιωτέρα, Θεὸν ἐκύησας, καὶ μητρικῶς ἐβάστασας τὸν πατρικοῖς κόλποις καθήμενον. *Caelis amplior, et Cherubim sanctior omnique creatura honorabilior, o pura, Deum concepisti, et in Patris sinu considentem matris more gestasti.*

ctent *epitheta* nisi *ea, quibus Deipara omnibus omnino creaturis praeponitur*, atque adeo [1]) iis omnibus perhibetur *insignior*, *purior*, *innocentior*, *gloriosior* atque in summa πάσης κτίσεως ἀνωτέρα *universis creaturis sublimior*, itemque ἁγιωτέρα ἀγγέλων καὶ πάσης τῆς κτίσεως *sanctior angelis cunctisque creaturis*.

414. Classis decima quinta praefert *epitheta abstracta*, quibus inter Deiparae praeconia laudationesque censetur quod ea [2]) sit *ipsa sanctitas*, *puritas*, *venustas*, *puritate purior*, *sanctitate sanctior et* ἐπέκεινα καθαρότητος καὶ σωφροσύνης καὶ παρθενίας *potior puritate et pudicitia et virginitate*.

415. Classis decima sexta *epithetis* absolvitur, *quae Deiparam supra omnem cum creaturis comparationem extollunt*, illamque esse [3]) docent *portentum atque miraculum singulare*, ἄβυσσον θαυμάτων *miraculorum abyssum*, πάντων θαυμάτων ὑπερτέραν *miraculis omnibus sublimiorem et eo usque puram ut eius innocentia neque animo intelligi neque verbis enarrari pro dignitate possit*.

416. Classis decima septima expletur *epithetis*, *quibus Deipara cum Deo comparatur*, eique defertur, [4]) ut sit *divinum quiddam ac divinissimum*, χωρὶς Θεοῦ μόνου πάντων ἀνωτέρα *omnibus*, *uno Deo excepto*, *sublimior*, τριαδικῶν χαρίτων πλήρωμα, *gratiarum Trinitatis plenitudo*, *forma Dei*, *Deo simillima et secundum Filium omnium regina*.

1) nn. 342. seqq. Auctor sermonis CXCIV. de assumptione Deiparae n. 2. apud Mai in nova pp. Biblioth. T. 1. pag. 452. opportune ad rem praesentem scribit: « Festivitas hodierna tanto nobis debet esse devotior, quanto ille cuius memoriam agimus, cunctis gentibus fuit fecundior (sic), cunctis apparuit sanctior, cunctis intus et foris pulcrior, cunctis sapientior, cunctis gratiosior, omnibusque creaturis perfectior. »

2) nn. 348. seqq. Hinc graeca Ecclesia in Officio quadragesimali, Dominica I. Ieiuniorum cum Theophane canit pag. 152.: Σεσαρκωμένον τεκοῦσα τὸν Θεῖον λόγον, θεοπρεπὲς ἁγίασμα, κεχαριτωμένη, τούτου ἀναδέδειξαι· διό σου τὸ τέμενος τὸ φωτοειδὲς ἐγκαινίζομεν. *Incarnatum divinum Verbum enixa, huius effecta es Deo dignum sanctuarium, o gratia plena; propterea lucidi templi tui encaenia celebramus.*

3) nn. 350. seqq. Hinc auctor sermonis de assumptione quem paullo ante laudavimus, de Deipara ait n. 3. pag. 453: « Quid igitur nobilius Dei matre? Quid splendidius ea quam splendor Patris elegit? Quid castius ea quae corpus sine contagione corporis, Deum et hominem generavit? Virgo quippe supra omnes virgines fuit non solum corpore sed et mente. Talem hanc Evangelista monstravit, talem Angelus caelorum maior reperit, talem Spiritus sanctus, Pater et Filius elegit et praeelegit ante mundi constitutionem, ut mater Dei aeterni, plena omni gratia et veritate esset, ut nemo sit qui se abscondat a calore sanctitatis et misericordiae eius. »

4) nn. 355. seqq. in officio quadragesimali pro feria III. Hebdomadae I. Ieiuniorum pag. 105. ista habentur: Σὲ τὸ κατάκριτον κλέος τοῦ γένους ἡμῶν ὑμνοῦμεν, διὰ σοῦ γὰρ ἐθεώθημεν, παρθένε, καὶ γὰρ ἔτεκες ἡμῖν τὸν σωτῆρα, καὶ Θεὸν Χριστὸν, τὸν λύσαντα τῆς κατάρας ἡμᾶς. *Laudamus te generis nostri decus eximium, per te siquidem, o Virgo, deificati sumus, etenim peperisti nobis Salvatorem et Deum Christum, qui nos e maledicto exsolvit.* Praeclarissime Anselmus orat XLIX. pag. 279. col. 1. B. « Sancta et inter sanctos post Deum singulariter sancta, Maria, mater admirabilis virginitatis, Virgo amabilis fecunditatis, quae Filium Altissimi genuisti, quae perdito humano generi Salvatorem peperisti, Domina praefulgens tanta sanctitate, supereminens tanta dignitate, quam utique certum est non minori praeditam esse potentia et pietate; tibi o genitrix vitae, o mater salutis, o templum pietatis et misericordiae, tibi sese conatur praesentare miserabilis anima mea. »

417. Constituunt classem decimam octavam *epitheta metaphorica, atque illa nominatim quae ex luce et sole derivantur*, et quibus Deiparae [1]) asseritur ut sit φῶς *lux*, πάμφωτος *luce plena*, φωτὸς σκήνωμα *lucis habitaculum*, φωτεινότατον παλάτιον *palatium lucidissimum*, λαμπὰς πολύφωτος *lampas undequaque refulgens*, *umbra carens*, ἡλιόμορφος *soliformis*, ὑπέρφωτος ἡλίου νεφέλη *nubes solis radios vincens* et καθαρωτέρα ὑπὲρ τὸν φαίνοντα ἥλιον, *conspicuo sole longe purior*.

418. Constituunt classem decimam nonam *epitheta eiusdem generis, sed ex plantis floribusque desumpta*, eoque pertinentia ut [2]) Virgo describatur *flos incorruptus*, *virga illibata*, *ramus pulcher*, *myrrha*, *rosa et lilium*.

419. Classis quoque vigesima *metaphoricis* constat *epithetis*, *sed quae ex innocentissimis ducta animantibus* Virginem [3]) depingunt *ceu ovem immaculatam*, *agnam aurei velleris*, *columbam innocentem*, *sanctissimam et omnis insciam labis*.

420. Superest classis vigesima prima, quae componitur *epithetis ex sacris regiisque translatis*, et quibus [4]) Deipara nuncupatur *templum virginitatis*, *domus gratiae*, *Spiritus sacrarium*, *donarium pretiosum*, *vas honoratissimum*, *sacratissimum*, *incorruptum*, *regium diadema*, *thronus regius*, *sella curulis*, *palatium purissimum*, *regia gaza et purpura ab ipso Deo contexta*.

ARTICULUS II.

De ratione probationis instituendae: potiores hermeneutici canones recensentur: thesis atque hypothesis demonstranda declaratur: mutuus utriusque nexus ostenditur: quidve ex singulis epithetorum classibus et quid ex illorum summa colligi ex sese debeat, constituitur.

421. Compertis atque iis omnibus accurate descriptis, e quibus efflorescere probatio debet; quod animo primum succurrit, *ad*

1) nn. 364. seqq. Anselmus in Psalterio pag. 306. col. 1. A-D.

» Ave mater gloriosa,
» Lux solaris, clara stella,
» De qua iustis lux est orta,
» Rectis corde laetitia.
» Ave stella paradisi,
» Cuius lumen adoramus,
» In laudes tui Filii
» Alleluia dum cantamus.

Et in officio quadragesimali in Parasceva Tyrophagi pag. 55. Ταῖς φωτοβόλοις σου ἀστραπαῖς, δέσποινα τοῦ κόσμου ἀγαθή, τὸ τῆς ψυχῆς μοῦ ἀπέλασον σκότος, καὶ τὴν νύκτα τῆς ἁμαρτίας μου, προθυμῶς ἵνα ψάλλω καὶ μακαρίζω σε. *Splendoribus tuis lucem iaculantibus, o bona mundi Domina, animae meae tenebras et peccati mei noctem expelle, ut prompte psallam teque beatam depraedicem.*

2) nn. 377. seqq.

3) nn. 383. seqq.

4) nn. 387. seqq.

modum pertinet quo illa adhibenda sunt atque ita ordinanda ut eo pertingant quo diriguntur. Quod quidem praestari nullatenus potest, nisi certi stabiliantur canones qui epithetorum interpretationi praesint, illamque sic regant ut ducta ex iis significatio non impedita et anceps, sed plana et omnino fixa videatur. De eiusmodi igitur interpretandi legibus continuo agemus, illasque ex ordine proponemus atque explanabimus.

422. *Canon I. Nullus in enarrandis epithetis Deiparae tributis permitti locus debet praeceptis animo opinionibus.* Sunt enim praeceptae animo opiniones totidem veluti nebulae quae liquidam veritatis lucem infuscant, neque minus sincerum mentis iudicium impediunt, quam insiti latentesque amores voluntatem in transversum rapiunt. Quemadmodum igitur purganda hisce voluntas est, ne eligendo peccet; ita illis exuendus est animus ne iudicando labatur.

423. *Canon II. Nulla cuivis ex commemoratis epithetis subiicienda significatio est, quae illorum summae adversetur.* Sane eo commemorata epitheta spectant, ut sua varietate atque copia unum idemque obiectum, quod est Deipara, describendo atque articulatim veluti exprimendo [1]) repraesentent. Quemadmodum igitur Deiparae inesse dotes nequeunt quae secum ipsis pugnent atque confligant; ita nec tributa eidem epitheta praeferre significationes possunt quae sibimetipsis adversentur. Quod ut exemplo aliquo expoliam, fac nonneminem reperiri qui in hac opinione versetur, idcirco tantum *sanctam* nuncupari Deiparam quod nullam umquam lethalem labem ipsa contraxerit. Propterea eiusmodi interpretatio damnanda erit et tamquam *angustior* reiicienda, quod a reliquis epithetis dissideat, atque ab iis speciatim dissideat quibus nunc *sanctissima,* nunc *super sancta*, nunc *antonomastice sancta,* nunc *sanctior Seraphim* et nunc *ipsa sanctitas* appellatur.

1) De qua veritate licet ex sese manifesta, iuverit tamen contulisse Theophilum Raynaudum in observationibus ad nomenclatorem marianum, observat. I. pagg. 371-372. opp. T. VII. et Hippolytum Maraccium in praefat. ad polyantheam marianam, ubi haec habet: « Quamvis unicum revera sit et praeclarissimum Deiparae nomen, *Maria*; attamen cum hoc solum non sufficiat ad eius dignitatem, excellentiam, sublimitatemque cognoscendam, et ad eius perfectionum varietatem multiplicitatemque propalandam, hinc necessario factum est ut tam variis ac multiplicibus nominibus eadem Deipara a sanctis patribus et scriptoribus ecclesiasticis fuerit appellata. Unde sanctus Bernardinus senensis in tractatu de beata Virgine Serm. I. quaerens cur beata Virgo tot tantisque nominibus a sacra Scriptura et patribus nominetur, in hunc modum respondit: *sicut Deum ipsum non uno tantum nomine nominamus sed multis ut sic incomprehensibilem enuntiemus; sic et gloriosam virginem Mariam multis nominibus designamus, et nunc lucem, nunc solem et huiusmodi nominare solemus, ut sic ad sublimitatem eius cognoscendam aliquantulum pertingamus: immensitas quippe gloriae eius omnis humani sermonis excedit inopiam.* »

424. *Canon III. Ea solum probari debet epithetorum, de quibus loquimur, enarratio, quae harmonica sit et quae cum universa illorum summa adamussim conspiret.* Profecto quisquis epithetorum indolem naturamque paullo intimius perspexerit, haud aegre intelliget spectari ea accommodatius non posse quam veluti signa unius eiusdemque ideae atque conceptus, aut veluti eiusdem vultus eiusdemque imaginis lineamenta. Ratio igitur quae postulat ut signa unius conceptus *harmonice* intelligantur, et ut lineamenta unius imaginis *ad concentum* revocentur; eadem postulat ut interpretationi epithetorum quibus Deipara ornatur, canon *ex harmonia* sumptus dominetur. Faciam ut idoneo exemplo res plenius innotescat. Centies in christianis monimentis Deipara vocatur *pura*. Ecqua igitur significationis amplitudine hoc illam decoratam titulo arbitrabimur? Non alia sane quam quae cum reliquis appositis apte conveniat. Iamvero reliquis appositis ea quoque dicitur *purissima*, dicitur *illa pura*, dicitur *puritas*, dicitur *puritate purior*, dicitur *purior angelis* et *secunda post Deum propter puritatem* celebratur. Ecquid igitur inferendum superest, nisi puritatis epithetum Deiparae attributum sumi amplissime oportere, eoque expressam ipsam veluti speciem creatae puritatis arbitrari?

425. *Canon IV. Nulla ferri debet epithetorum interpretatio ab illorum dissentiens commentariis, qui in christianis monimentis frequenter reperiuntur.* Dum singulatim retulimus [1]) atque explanavimus apposita suffragio maiorum Deiparae adscripta, plane vidimus illa saepissime usurpari non simpliciter et nude, sed suis aucta et locupletata commentariis. Promerem exempla nisi essent innumera, et ad omnem paginam recurrerent. Sed quid statui idcirco debet? Dubio procul intersertis eiusmodi commentariis certas normas contineri, a quibus nefas sit in epithetis explicandis discedere. En [2]) Deipara salutatur *intaminata*, sed commentarii instar simul additur: *nihil illi commune esse cum mundo splendore gratiae vi-*

1) Videmus namque nobis iure optimo repetere posse quae in memorata praefatione Maraccius scripsit: « Denique haec eadem nomina atque elogia non pura at nuda attuli, sed eorumdem patrum verbis elucidata atque explicata, quando ea ab ipsis patribus et scriptoribus ex quibus collecta sunt, elucidantur atque explicantur. Nolui enim in Polyantheam hanc nec quoad nomen atque encomium, nec quoad nominis et encomii explicationem aliquid ingredi, quod ex sanctorum patrum, aliorumque scriptorum ecclesiasticorum praesertim veterum monumentis petitum non fuerit, ut securus possem dicere quod de sua in subdelegendis patrum dictis studio non modo concinne, sed prudenter et solide protulit Caesarius dialogo I. sub initium, nempe: *non quaedam proprie mea leviaque proferam, sed quaecumque clarorum beatissimorumque patrum prata peragrans, de illorum roseto collegi.* »

2) nn. 97. seqq.

duato, et nihil commune cum hominum genere tenebricosa corruptione involuto: immo haud secus intaminatam dici ac Christus intaminatus nuncupetur. Agerent ergo praepostere, mali essent interpretes et contra praesentem canonem peccarent, qui pari significatione Mariam ceterosque indiscriminatim iustos hoc insigniri epitheto arbitrarentur.

426. *Canon V. Planae disertaeque sententiae a maioribus adhibitae inter normas censeri debent, ad quas epithetorum interpretatio exigatur.* Epithetis enim ea adiungi significatio debet, quae loquentium aut scribentium animo consilioque respondeat. Animus vero consiliumque tam loquentium quam scribentium ex planis disertisque eorumdem sententiis luculentissime innotescit. Est igitur cur planae disertaeque sententiae potissimis interpretandi regulis accenseantur. Cuius regulae ut usum eximiamque utilitatem pervideas, tantisper finge in quaestionem venire, quo sensu quave significandi potestate Deipara a patribus *pulcra atque venusta* laudetur. Facillimum erit nodum explicare, dummodo disertae illorum sententiae recolantur, quibus Deiparam *natura pulcram ac natura venustam* extollunt. Hisce enim consideratis sententiis, illico edocemur multo plenius multoque nobilius *pulcram venustamque* appellari Deiparam, quam *pulcri et venusti sanctissimi quique ex Adami posteris celebrentur.*

427. *Canon VI. In corripienda amplificandaque epithetorum significandi potestate, ratio haberi omnino debet subiecti, cui illa tribuuntur.* Neminem namque fugit, *qualitates a subiectis* pendere quibus inhaerent, quae fingunt, quaeque multipliciter temperant ac diversimode informant. Sunt autem epitheta qualitatum indicia, atque illis harum signa continentur. Eorumdem ergo vis atque ratio ex subiectis non minimum pendet, quibus adscribuntur. Hinc longe aliter accipimus appositum *sancti,* quum illud de Deo, de angelis, deque hominibus usurpatum legimus: et longe aliter *bonum* dicimus Deum, et *bonum* sive angelum sive hominem appellamus. Quid ergo de epithetis iudicabimus quibus Deipara honestatur? Quibus ea honestatur, quam ex recepta [1]) apud maiores doctrina Modestus [2]) vocat *τὴν μετ᾽ αὐτὸν τῶν πάντων κρειττοτέραν*, *omnium secundum illum* (Deum) *praestantissimam?* Et de qua [3]) Petrus cellensis scribit: « O Virgo

1) nn. 54. seqq.
2) Encom. in Deiparam pagg. 8-20.
3) Sermo de Purificat. s. Mariae pagg. 37-38.

virginum quid est hoc? Ubi es? Singulari et quodam modo inaestimabili pene immediate accedis ipsi Trinitati, ut si ullo modo Trinitas illa quaternitatem externam admitteret, tu sola quaternitatem compleres: sed est Trinitas, nec aliquatenus ibi fieri potuit aut poterit quaternitas. Non ergo es una persona de Trinitate quae Deus, quia variari aut alienari non possunt illae personae quae ibi sunt, quia aeternaliter sunt quod sunt; nec etiam quarta ad Trinitatem es, quia quartum Trinitati ad aequalitatem nihil est: quid ergo es? Una et prima post Unitatem et Trinitatem, mater eius cuius Pater est Deus Pater: mater eius de quo procedit sicut et a Patre Spiritus sanctus. » Quae quum ita sint, epitheta Deiparae tributa significatione accipiemus omnino amplissima, nec quidquam illis subtractum putabimus nisi quod a creatae naturae conditione alienum est atque seiunctum.

428. Hucusque potiores exposuimus canones, qui in enarrandis appositis Deiparae adscriptis citra erroris periculum violari non possunt; reliquum iam est ut de ipsa probationis forma atque ratione disseramus. Disserere autem de illa, ut quidem decet, non possumus nisi animo recolatur diligenterque determinetur quid confirmari quidve ostendi demonstrando debeat. Duo porro sunt quae confirmari quaeque ostendi probatione debent: principio namque confirmari et ostendi *thesis* debet, *qua Virgini puritas asseritur et innocentia non communis sed singularis, non quaelibet sed eximia, non media sed summa et omnino eiusmodi qua potior nulli creatae effectaeque naturae conveniat.* Tum confirmari et ostendi *hypothesis* debet, *qua exordia Virginis affirmantur innoxia, eius origines purae, illius conceptus immaculatus, et innocentia ac sanctitas cum eiusdem exsistendi initio contemporalis.*

429. Huc redeunt quae statui probando debent, quaeque mutuo intimoque nexu copulantur. Si enim Deiparae innocentia eo usque excellit, ut innocentiam superet cuiusvis creaturae, atque innocentiam idcirco superet qua nitent angeli, qua protoparentes splenduerunt et qua Praecursor inclaruit; ea nequit [1]) non esse *originalis*. Et

1) Quod probe vidit Maraccius in notis ad Mariale Iosephi hymnographi, ubi, his relatis eiusdem verbis, *nulli sanctitate secunda Domina*, pergit pag. 420: « Hoc elogio Deiparam Virginem omnes omnino tam homines quam angelos in sanctitate excessisse proclamavit Iosephus; quod verificari nullatenus posset contracto peccato originali: ex hac enim parte angeli et protoplasti in paradiso essent b. Virgine sanctiores. » Et pag. 423. commemorato *immaculatissimae* epitheto quo insigniri Deipara consuevit, subdit: « Quid est Deiparam esse immaculatissimam, nisi ipsam privilegio singularissimo omnes per gene-

vicissim *originalis* esse debuit Deiparae innocentia, si inter illius decora numerandum sit, quod purior fuerit supernis spiritibus, quodque perfectissimam illius sanctitatis imaginem praesetulerit, propter quam de incarnato ex ea Unigenito divinis litteris [1]) consignatum legimus, *quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Est enim de originali praevaricatione verissimum quod [2]) Petrus cellensis his verbis complectitur: « Tyrannus ille cui ab ira indignationis tuae traditi fuimus, scorpionibus caedit nos, urit flagellis, in verberibus torquet et excruciat usque ad medullas viscerum, non est sanitas in carne nostra in qua habitat peccatum, non in corde ubi infidelitas et ignorantia regnant; omne caput languidum et omne cor moerens, a planta pedis usque ad verticem non est sanitas. Cum totam occupavit massam fermentum praevaricationis, nusquam locus remansit immunis a peccato et poena peccati. Totum cum omnibus partibus suis hominem inspiciamus, et quae membra quae possideant vitia diligenter discutiamus. A planta pedis usque ad verticem non est sanitas. »

430. Verum quonam pacto relatae epithetorum classes adhibendae sunt, ut *thesis iuxta ac hypothesis* in tuto collocentur? Dicam primum quo pacto adhiberi non debeant, tum designabo viam quae terenda est. Itaque summopere fallerentur qui sive thesim, sive hypothesim, sive etiam utramque ex singulis epithetis vel epithetorum classibus *per se* [3]) demonstrandam esse putarent. Quod enim ex singulis classibus, immo vero ex singulis singularum classium epithetis *per se* meritissime exigitur, huc recidit, ut singula quaeque ad thesim vel hypothesim stabiliendam haud secus referantur ac singulares penicilli ductus ad imaginem colorandam, singulares voces ad concentum pariendum et singulares milites ad assequendum victoriae triumphum conducant. Si singulae classes et singula epitheta hanc partem expleant, non est profecto cur quidquam ab illis aut

rationam naturalem ab Adamo descendentes in munditia, puritate at carentia cuiuscumque maculae superasse? Admissa autem in b. Virgine macula peccati originalis, plures ex posteris Adae, quoad peccati carentiam, in munditia et puritate a b. Virgine non superarentur. Nam omnes infantes Innocentes qui post baptismum moriuntur antequam ad usum rationis perveniant, quotquot etiam adulti perfecti iudicii ac rationis expertes totum vitae suae stadium percurrerunt, modo a peccato originali lavacro regenerationis mundentur, essent aeque immaculati ac Virgo beatissima: sunt anim pares quoad peccati actualis carentiam, nec beatissima Virgo ab ipsis in immunitate a labe originali dissideret. »

1) Luc. I. 35.

2) Serm. II. in adventu Domini pagg. 5-6.

3) *Per se*, inquam, sepositisque commentariis quibus singula illustrentur. Etenim si horum etiam ratio habeatur, nihil impedire quominus singularia quoque epitheta thesim vel hypothesim demonstrent, ex iis liquido patet quae crebro nn. 84. seqq. animadvertimus.

validius aut luculentius exspectetur. Describit [1]) Hilarius unigenitum Dei filium inquiens: « Infinita vocabula in Filio Dei concurrunt, quae pro loco, pro tempore, pro persona, pro virtutibus ab eo gestis accipiuntur. Dicitur verbum, sapientia, lumen, manus, brachium, leo, agnus, vitulus, lapis et cetera, ut diximus, pro potentia et virtutibus in eum concurrentibus. » Describit [2]) et Phoebadius ubi ait: « Filius modo verbum, modo virtus, modo sapientia, modo dextera, modo brachium, modo fons, modo lapis, modo agnus, modo vitulus appellatur. » Quid igitur? Num singulae appellationes id totum sistunt quod de Verbo carne facto profitemur? Num singulae plenam Christi imaginem repraesentant? Si res ita se haberet, frustra congererentur. Hoc igitur singulae praestant, ut tamquam radii solem iustitiae innuant, et nonnisi in fascem collecti eumdem spectandum referant.

431. Quibus ad epitheta translatis Deiparam respicientia, quemadmodum praeclare assequimur cuiusmodi sit singulorum munus, ita ad evidentiam usque intelligimus nonnisi [3]) ex illorum summa probationem theseos atque hypotheseos repeti oportere. Utique, iuvat enim quod maximi momenti est pluries inculcare, *non aliunde quam ex epithetorum summa thesis unicae singularisque innocentiae, qua Deipara fulget, comprobatur: neque aliunde quam ex eorumdem summa hypothesis immaculati conceptus adstruitur.* Singula viam insternunt, sed omnibus dumtaxat conspirantibus meta certissime attingitur.

1) Tract. II. n. 5. pag. 486, apud Mai in nova pp. Biblioth. T. I.

2) Tract. de Fide orth. cap. VI.

3) Quod universim dictum volo, neque enim contendo epitheta prorsus deesse quae *etiam seorsum* immaculatum ostendant Deiparae conceptum. Talia esse arbitror *abstracta*, talia *ex comparatis* non pauca, et talia quae legimus *antonomastice* adhibita. Quod ut de his postremis nonnihil expoliam, *inprimis* animadverto, non secus absoluta *immaculatae* appellatione in christianis monimentis Deiparam efferri, ac ea absoluto *Virginis* nomine significetur, vel auditis nominibus *Apostoli*, *Protomartyris*, *Philosophi*, *Urbis*, continuo *Paulus*, *Stephanus*, *Aristoteles*, *Roma* intelligantur. Tum animadverto, hominum neminem licet sanctissimum reperiri, quem maiores nostri unica et antonomastica *immaculati* voce designare consueverint. Sed cur enim vero? Quod ne unus quidem vel sanctissimus ex Adami posteris originalem noxam vitarit, at antonomasticum immaculati elogium in ipso conceptu non amiserit. Evidens igitur appositorum ratio persuadet, ut sola Deipara expers originalis naevi censeatur.

ARTICULUS III.

Quadruplex adhibetur probationis forma, qua et thesis de summa singularique Deiparae innocentia, et hypothesis de immaculato eiusdem conceptu demonstratur: forma absoluta: forma hypothetica: forma comparata: et forma quae dici ad hominem consuevit.

432. Praeiecimus quidquid opus erat ut erigi aedificium posset, ipsamque propterea aedificationis operam continuo adgredimur. Nemo itaque inficias eat, summam merito eam haberi innocentiam, eamque puritatem iure maximam aestimari, ad quam significandam exprimendamque conspirent [1]) hinc quidem epitheta omnino omnia culpam, defectum, labemque excludentia, inde vero epitheta similiter omnia quibus puritatis culmen innocentiaeque fastigium humanis verbis efferri possunt. Atqui talis est puritas neque alia est innocentia, quae unanimi suffragatione maiorum Deiparae vindicatur. Recolantur enim epitheta distinctis propriisque classibus superius comprehensa, et quo fieri acrius potest investigetur, an quidquam patres christianique scriptores praetermiserint, quo sive omnis culpae umbra a Deipara amandetur, sive omnia sanctimoniae puritatisque ornamenta eidem asserantur. Aut enim totus fallor, aut ne fingi quidem imaginando potest quod cumulatis studio maiorum epithetis adiiciatur.

433. Ut enim Virginem ab omni labe solutam doceant, omnia inprimis colligunt *negantia epitheta gradu positivo expressa,* illamque uno ore proclamant *immaculatam, intemeratam, intaminatam,*

1) Quod ut novo exemplo e copticis desumpto monimentis confirmem, velim animadvertatur: I. particulam ⲁⲧ penes Coptos respondere alphae privanti Graecorum, atque adeo efficere ut compositae ex ipsa voces vim potestatemque negantem praeseferant. Animadvertatur II. tribus vocabulis ⲁⲧⲑⲱⲗⲉⲃ, ⲁⲧⲁϭⲛⲓ, ⲁⲧⲧⲁⲕⲟ̀, quae coalescunt hinc ex particula privante, inde ex nominibus ⲑⲱⲗⲉⲃ, ⲁϭⲛⲓ, et ⲧⲁⲕⲟ̀ significantibus *inquinamentum, maculam, corruptionem*, id proprie efferri *quod alienum est a quovis inquinamento, quod exsors est cuiusvis labis, quodque nihil cum corruptione commercii habet*. Animadvertatur III. praeter tria haec vocabula vix alia Coptis praesto esse, quibus subiectum designent *ab omni inquinamento liberum, nullius conscium maculae* et *a quavis corruptela solutum*. Animadvertatur tandem IV. non semel sed omnino frequenter tria haec vocabula in ecclesiasticis Coptorum monimentis de Virgine usurpari, ipsamque propterea ex aequo dici tum (Theotoch. pagg. 101. tetrast. IV., 309. tetrast. II., 119. tetrast. IV., 130. tetrast. IX., 133. tetrast. II., 136. tetrast. VII., 162. tetrast. V.) ⲁⲧⲑⲱⲗⲉⲃ tum (ibid. pag. 102. tetrast. IV. et alibi,) ⲁⲧⲁϭⲛⲓ tum (ibid. pagg. 102. tetrast. III., 131. tetrast. VI. et alibi) ⲁⲧⲧⲁⲕⲟ̀. Hisce enim animadversis liquet, vel Coptis defuisse vocabula negantia, quibus a Deiparae primordiis labes omnes arcerent, vel hoc ipsos quo luculentissime poterant, praestitisse.

impollutam, inculpatam, illaesam, incorruptam, illibatam, intactam. Omnia deinde colligunt *negantia epitheta gradu superlativo concepta*, et Deiparam compellant *penitus immaculatam, immaculatissimam, illibatissimam, incorruptissimam, intemeratissimam, funditus illaesam et rugae atque labis penitus expertem.* Addunt *epitheta cumulata*, et Deiparam coniunctim dicunt *immaculatam et immaculatissimam, illaesam et intactam et prorsus intemeratam, illibatam et prorsus incorruptam ac naevi prorsus omnis expertem.* Neque his contenti manum praeterea admovent nunc quidem *ad epitheta cum excessus notione conserta*, et Deiparam vocant *super-immaculatam, superillibatam et supra mentem cogitationemque intemeratam:* et nunc *ad epitheta antonomastice accepta*, et Deiparam nuncupant *immaculatam illam, illam inviolatam, illam intemeratissimam et illam nullius consciam labis.*

434. Quid vero non sunt moliti, ut puritatis apicem, ut innocentiae verticem, et ut sanctitatis coronam Virgini adscriberent? Usurparunt *epitheta affirmantia utroque gradu, positivo et superlativo inflexa*, atque Deiparam concordes dixerunt *sanctam et sanctissimam, sacram et sacratissimam, puram et purissimam, innocentem et innocentissimam, pulcram et pulcherrimam, gratiosam et gratiosissimam, Deo gratam et Deo gratissimam, beatam et beatissimam.* Usurparunt *epitheta plenitudinem referentia*, et Deiparam laudarunt *perfecte sanctam, penitus sacram, undequaque pulcram, pretiosam ac beatam.* Usurparunt *epitheta in fascem collecta*, et Deiparae coniunctim encomia detulerunt *sanctissimae et purissimae et pulcherrimae et undequaque benedictae.* Usurparunt *epitheta antonomastice*, et Deiparam vocarunt *sanctam illam, illam sanctissimam, pulcram illam, illam pulcherrimam, gratiosam illam, illam gratiosissimam, puram illam, illam purissimam et penitus puram.* Usurparunt *epitheta quibus inest significatio excessus*, et Mariam non secus celebrarunt ac ut *super-sanctam, super-puram, super-innocentem, super-venustam, super-benedictam et omni admiratione maiorem.* Usurparunt *epitheta abstracta*, et Virginem dixerunt *ipsam sanctitatem, ipsam innocentiam, ipsam venustatem, ipsamque pulcritudinem.* Denique reliquas usurparunt epithetorum classes, quas priore articulo diligenter numeravimus, quaeque vim omnem humani sermonis exhauriunt. Nisi ergo supra mortalium loquendi facultatem situm sit, innocentiam creatam omnium maximam, et

puritatem creatam omnium supremam verbis efferre; hanc profecto a maioribus expressam et Virgini tributam fateamur oportet.

435. Iamvero cum innocentia et sanctitate creata omnium maxima et suprema fieri nequit, ut originalis praevaricatio copuletur. Hoc enim creatae innocentiae puritatisque fastigium spectari potest *vel in sua idea et forma, vel in facto, in historia atque in ipsis creaturis*. Sed in sua idea ac forma nullam patitur labem, et nullam rursum labem patitur, si ad factum, ad historiam, ipsasque creaturas referatur. Quemadmodum enim beatorum angelorum innocentia nullo umquam fuit taminata naevo; ita neque protoparentum puritas, quamdiu suam ipsi dignitatem servarunt, labem ullam recepit. Ea igitur testificationum nube, qua patres scriptoresque christiani ad culmen creatae puritatis atque innocentiae Deiparam evehunt, eamdem ab originali culpa integram solutamque demonstrant.

436. Et re sane vera quid a communi praevaricatione alienius, aut quid ab universali contagione remotius, quam quod sit *ipsa puritate purius, et ipsa sanctitate sanctius?* Quam quod sit *universis hominibus pulcrius, gratiosius, innocentius, et sanctissimis inter homines sanctius?* Quam quod sit *Cherubim purius et Seraphim immaculatius?* Quam quod sit *fulgidius sole, luce nitidius, venustius liliis et sacratis victimis sacratius?* Quam quod *universae creaturae visibilis atque invisibilis innocentiam vincat et sanctitatem praetergrediatur?* Et quam quod *ad Deum tam proxime accedat ut alterum puritatis, innocentiae, sanctitatisque gradum obtineat?* Atqui eiusmodi formularum nulla est, quae de Deipara in christianis monimentis non saepissime adhibeatur. Incredibili ergo maiorum consensione primordia Virginis immaculata eiusque origines illibatae ostenduntur.

437. Huic autem argumento *suapte forma absoluto* alterum addo *hypotheticum,* quod rite inspectum ad faciendam fidem persuasionemque gignendam accommodatissimum puto. Ponamus itaque *primum* maiores nostros in ea fuisse opinione, qua exordia Virginis infecta universali corruptione censentur. Quae illorum esse necessario debuit cogitandi quaeve loquendi ratio? Quacumque supernorum munerum copia locupletatam deinceps Deiparam existimarint, fieri non potuit ut in eam mentis oculos intenderent quin continuo perspicerent *lucem* successisse *tenebris, benedictionem maledicto, benevolentiam irae, amicitiam inimicitiae, puritatem*

impuritati, munditiem sordibus et sanctimoniam peccato. At vero fas ne fuit sibi polliceri quod ex animo hac cogitatione occupato non alia ad linguam verba defluerent, nisi quae hanc ipsam cogitationem longissime amandarent? Nisi quae ad avertendam omnem contractae culpae suspicionem mirifice conferrent? Si qui sibi istud persuaserint, illorum pace dicam, neque satis compertam habent humanam naturam, neque satis ad vinculum advertunt quo cum cogitationibus verba nectuntur. Quum igitur patres scriptoresque christiani in suis de Virgine tractatibus, homiliis, orationibus, hymnis non alia constantissime promant nisi quae ideam omnem culpae labisque avertunt; necesse est ab ea opinione abhorruisse credantur, qua eiusdem conceptus originali infectus culpa perhibetur.

438. Ponamus *deinde* eam de Virginis conceptu christianae antiquitati insedisse sententiam, quam nos illi adscribendam esse tuemur. Quo pacto suam hanc mentem ipsa efferre ac verbis significare potuisset? Non aliter credo quam proprium in usum conversis hinc quidem *vocibus negantibus* quae naevos omnes a Virgine arcerent, inde vero *vocibus aientibus* quae illi eximiam, unicam et singularem prae reliquo hominum genere innocentiam assererent. Aut hoc enim satis fuit, aut me latet si quid satis esse potuit. Verum ecquas tandem utriusque classis voces patres neglexerunt? Immo quas non adhibuerunt *positivas, superlativas, cumulatas, abstractas, antonomasticas, comparatas, proprias et metaphoricas?* Iure igitur nostro rationes ita subducimus. Opus omnino est ut eam maioribus nostris de conceptu Virginis fidem docrinamque tribuamus, quam si animo foverint, loqui non aliter debuerint ac loquuti revera sint, et a qua si alienum gesserint animum, non potuerint loqui quemadmodum illos constanter loquutos deprehendimus. Atqui relatis exemplis ferme innumeris ostendimus, maiores nostros constanter ita loquutos quemadmodum eos decebat, qui immaculatum Virginis conceptum probarent, et quemadmodum ii loqui nullatenus poterant, qui Virginis primordia peccato foeda arbitrarentur. Opus est igitur ut immaculatus Deiparae conceptus solemni vulgatissimoque penes maiores loquendi usu comprobatus videatur.

439. Quod ex eo pariter argumento perspicuum erit, cui tertium locum facimus, quodque *inspecta eiusdem forma comparatum* nominamus. Collatis itaque mutuo epithetis, tum iis quae de puritate deque innocentia Virginis tanta copia tantaque ubertate usurpantur,

tum iis quae in maiorum libris occurrunt ut aliorum puritas atque innocentia describatur; e vestigio cernimus I. nullum esse hominem sive martyrem, sive prophetam, sive apostolum, sive ipsius quoque Domini praecursorem, ad quem spectat [1]) oraculum, *inter natos mulierum non surrexit maior Iohanne Baptista,* de cuius puritate atque innocentia vel minima eorum pars adhibeatur quae ad exornandam Virginem omnium ore repetuntur. Tum II. cernimus, nullum esse angelum, nullum archangelum nullumque caelestem spiritum, cuius innocentiam sanctitatemque iis coloribus patres depingant, quos in excitanda Deiparae effigie ad manus numquam non habent. Ad haec III. cernimus, epitheta omnino plurima de puritate et innocentia Virginis frequentia, cuiusmodi sunt quae *comparata* diximus, neque de hominibus quamquam iustissimis, neque de angelis licet purissimis adhiberi potuisse. Praeterea IV. cernimus *syllogem* epithetorum quae de puritate et innocentia Virginis frequentantur, sic illi inter creaturas omnes *unice* adscribi, ut hoc ipso epithetorum usu eiusdem puritas atque innocentia super creaturas omnes efferatur. Tandem V. cernimus, unum esse Deum et unum Christum eius, cuius sanctitas similibus epithetis significari consuevit. Haec autem quae mihi sunt certissima, nemini dubia erunt qui et memoria teneat quae de Virgine adduximus, et in christianis monimentis hospes prorsus non sit ac peregrinus.

440. Bene habet, sed quid propterea quod in rem praesentem conferat, et quam versamus caussam iuvet? Istud omnino, nullam puritatis atque innocentiae dotem cuipiam creaturae visibili aut invisibili tribui posse, quae ex usu loquendi maiorum non multo potiori iure adscribi Deiparae debeat. Ex praescripto autem catholicae professionis tam angelis quam protoparentibus originalis puritas atque innocentia tribuatur oportet. Suffragantibus igitur patribus hoc ipsum originalis innocentiae decus multo potiori iure adscribi Deiparae debet.

441. Sane, ut postremo loco argumentum expediam quod *ad hominem* voco, evolvantur libri post obortas de conceptu Virginis contentiones ab iis exarati qui e veritate esse censuerunt, profectam ex Adamo damnationem ad ipsam quoque Virginem protendere, et ipsam quoque Virginem comprehensam tueri [2]) apostolicis verbis,

1) Matt. XI. 11. 2) Rom. V. 12

in quo omnes peccaverunt. Quam, quaeso, loquendi formam in eiusmodi libris receptam solemnemque animadvertimus? Illam ne cuius prolixum specimen ex maiorum hortis defloravimus? An aliam satius et funditus diversam? Mentiar aperte nisi incunctanter affirmem, inter utramque loquendi formam nihil plane consanguinitatis existere, et priorem a posteriori maxime dissidere. Patres nullum finem faciunt extollendae puritatis, qua Deipara nitet, nullaque ipsis succurrunt epitheta quamquam splendidissima ac prope divina, quae non infra innocentiam et Virginis puritatem sita esse testentur. At scriptores de quibus agimus, ad omnem gressum haerent, cuncta morose librant, sibi timent ne excedant, a plurimis pavidi abstinent, et ipsum [1]) *immaculatae* appositum vel vitant vel detorquent. Quae quidem ego argumentis confirmarem, nisi cavendum esset ne obducta vulnera contrectatione recrudescerent. Multis autem non est opus, ut quid cum tanta loquendi diversitate sit iunctum, declaretur. Sicut enim verborum conspiratio conspirationem probat sententiarum, ita verborum dissidium a dissidio sententiarum divelli non potest. Si ergo infecta haberi nequeunt exordia Virginis, quin loquendi ratio adhibeatur ab ea diversissima quae in patrum libris regnat et in christianis monimentis unice dominatur; nihil plane evidentius quam maiores nostros de conceptu Virginis credidisse quod vulgatus Anselmus [2]) his verbis expressit: « Nihil tibi, Domina, aequale, nihil comparabile est: omne enim quod est, aut supra te est, aut subtus te est: quod supra te est, solus Deus est; quod infra te, omne quod Deus non est. Ad tuam tantam excellentiam quis aspiciet? Quis attinget? Et certe ut ad hanc excellentiam pervenires, in humillimo loco, idest, in utero matris tuae purissima oriebaris. Quod si tali modo concepta et ordinata non fuisses, ad tantam celsitudinem non succrevisses. »

1) Describo Maraccii verba ex adnotationibus ad Mariale Iosephi pag. 491. « Si diligenter evolvantur libri, disputationes, tractatus et varia scripta eorum qui contra immaculatam Conceptionem scripserunt, vel eidem modeste subscribere recusarunt; nusquam legetur apud illos titulus *Immaculatae*, toties a Iosepho nostro *(et patribus plerisque omnibus)* attributus Virgini. Nihil enim disputationem sustinentes volebant dicere repugnans, ut ab Aristotele in Topicis didicerant, et probe callebant titulum *Immaculatae* quomodocumque enunciaretur, seque esse opinionis Virginem a peccato originali eximentis protestativum. Hinc Hieronymus ab Angesto exacti iudicii theologus lectura III. sui propugnaculi contra nolentes gloriosissimam virginem Mariam dici immaculatam, nullo alio pugnat argumento quam probatione praeservationis ipsius ab originali peccato; ratus non posse illi titulum Immaculatae competere, quam vel unius instantis macula foedasset. »

2) Tractat. de Concept. Virg. p. 501. col. 1. B-C.

ARTICULUS IV.

Petavii aliorumque difficultas qua probatio immaculati Conceptus ex epithetis ducta impugnatur: multiplex eiusdem solutio: et cuiusmodi censeri veritas debeat qua immaculatus Conceptus statuitur, uberior explanatio.

442. Versat Petavius quaestionem de immaculato Virginis conceptu, et quamquam illis ultro suffragetur qui in aientem partem concedunt, eruditi tamen diligentisque theologi esse ducit [1]) in eos animadvertere « Qui nec in citandis auctoribus fidem ac delectum adhibent, qui omnium maxime necessarius est: et quos ex antiquitate idoneos arcessunt, eorum dicta falsis interpretationibus et alienis ab illorum mente detorquent. » Tum subdit: « Necesse non esse de singulis dicere, sed satis esse universe de unico capite illorum erroris admonere, quod lucubrationum istiusmodi magnam partem occupavit. » Quod cuiusmodi sit, ita enarrare pergit: « Si quid apud veteres, Graecos praesertim, increbuit, quod b. Virginem ἄχραντον, ἄφθαρτον, ἀμίαντον, idest, *illibatam, incorruptam, impollutam*, et id genus alia sonare videtur, in hoc avide tamquam secundo Mercurio sibi oblatum involant, et ad rem suam accommodant; sed non est consequens. Siquidem illi etiam, quibus placuit originali contactam labe fuisse Virginem, partim in utero ipso antequam nasceretur, partim sub ipsum Redemptoris conceptum, tanta gratiae sanctitatisque copia superfusam esse putant; ut omnes originalis morbi reliquiae, cum ipso qui dicitur fomite concupiscentiae, sanatae vel in perpetuum compressae fuerint. Quam ob caussam immaculata et impolluta dici mereretur, licet originali perfusa culpa fuisset. Nam et immaculati et innocentes appellantur in Scriptura, qui praesente iustitia et sanctitate praediti sunt, quum ab originis vitio non fuerint excepti. Sic Propheta, qui se *in iniquitatibus conceptum* fatetur, *ero,* inquit, *immaculatus cum eo.* Paulus item *electos* ait *esse nos, ut essemus sancti et immaculati.* Et in Apocalypsi Iohannes de virginibus, *sine macula,* inquit, *sunt ante thronum Dei:* et sexcenta huiusmodi. Frustra igitur sunt qui iis et similibus ex vocabulis, quae summam in b. Virgine munditiam integritatemque

1) De Incarnat. lib. XIV. cap. II. §. IX.

significant, confectum sibi negotium putant, ut apud quos ista reperint, eos sibi in testimonium asciscant illius, quem probare volunt, intacti immaculatique conceptus. »

443. Quam a Petavio difficultatem obiectam mirum dictu est quanto plausu exceperint et quam crebro ii omnes inculcarint, quibus arrisit immaculatum Virginis conceptum aut penitus denegare aut in controversiam saltem adducere. Quibus ne facultas deinceps sit haec vel hisce similia repetendi, ea contra opponemus quae non ictus dumtaxat aciem retundant, sed ictum ipsum in auctores convertant.

444. Si qui igitur I. de argumento aliquo iudicium tulerint, quin *eiusdem materiam* compertam satis atque exploratam habuerint; quisque videt illorum arbitrium neque magni fieri, neque etiam probari utcumque posse. Exquirendum itaque diligenter est, utrum Petavius et utrum ii qui legenda sibi Petavii vestigia existimarunt, compertam satis eam habuerint materiam, e qua argumentum pro immaculato Virginis conceptu ex epithetis derivatum efflorescit. Hac autem indagatione suscepta, affirmemus oportet vix aliquam materiae particulam Petavio eiusque asseclis innotuisse. Ecquid enim ipsi promunt ceu materiam illius argumenti, de cuius pretio atque virtute contendimus? Nonnisi *perpauca* adducunt *epitheta negantia eaque gradu positivo concepta*. Atqui et epitheta negantia hoc gradu expressa multo sunt numerosiora, et huic epithetorum classi *aliae praeterea viginti diversaeque classes eaeque haud paullo splendidiores* adiungi debent. Quemadmodum igitur liquet, neque Petavio neque eiusdem adsectatoribus compertam fuisse materiam, qua sumpta ex epithetis probatio continetur; ita nihil manifestius quam ignosci quidem illis posse quod minus commode de hac probatione statuerint, illorum vero iudicium probari omnino non posse.

445. Praeterea II. in aestimandis ponderandisque argumentis momenti est omnino maximi, neque *illorum rationem* pervertere, neque *modum formamque* commutare. Si qui enim istud sibi permiserint, hi non ipsa expugnasse argumenta, sed aut lusisse operam aut sibimetipsis atque lectoribus fecisse fucum videri debent. Ut autem modestissime loquar, neque sibi, ut opus erat, ab hoc vitio Petavius cavit, neque illud eiusdem pedissequi declinarunt. His enim auctoribus putares, argumentum pro immaculato Conceptu vel ex singulis strui epithetis, vel certe nonnisi ex uno alterove simul iun-

cto componi. Atqui monuimus et vehementissime monuimus, plenam suisque absolutam numeris probationem non ex uno aut altero epitheto, immo neque ex pluribus simul, sed prorsus ex omnium summa atque harmonica copulatione deduci. Quid ergo mirum si Petavius, et quid mirum si eius socii enerve dixerint argumentum quod pervertebant, quodque propria exutum natura ac plane deformatum contemplabantur?

446. Ceterum III. Petavius non unam nobis viam aperit, qua haustam ex epithetis probationem confirmemus. Et viam nobis *principio* aperit, quum ex Psalmis, ex Apocalypsi atque ex Apostolo testimonia congerit, in quibus *immaculati* appositum adhibetur. Peto enim utrum eodem sensu *immaculati* nomen usurpari existimet, sive ubi *Davidi* sive ubi *virginibus* defertur? Respondebit negando, quod aliud plane sit *subiectum* quum David dicitur immaculatus, et quum virgines immaculatae celebrantur. Censet ergo iudicium de potestate appositorum non minimum *ex subiectis* pendere, quibus illa tribuuntur. Sed cur secum quoque non reputat, cuiusmodi ex fide maiorum sit Deipara, quae ab iisdem *immaculata et immaculatissima et super-immaculata et illa immaculata* dicitur? Hoc enim si secum reputaret, de potestate huius appositi, quum illud Virgini tribuitur, non ex ea decerneret quam induit quum Davidi adscribitur, sed ex ea satius qua Christus [1]) *immaculatus* nuncupatur. Nihil enim hac consequutione firmius aut evidentius. Apposita eo sunt accipienda sensu, quem exigit *subiectum* cui tributa leguntur. Ergo appositum quoque *immaculatae* delatum Virgini ea erit significatione sumendum quam Virgo ipsa postulat. Sed una atque concors est testificatio maiorum, nihil secundum Deum esse, nihilque cogitari posse Virgine purius, nihil innocentius, nihil sacratius; adeo ut in Virgine forma ipsa atque species creatae innocentiae puritatisque resplendeat. Immaculatae igitur epithetum Virgini adscriptum perfectissima erit significatione sumendum, quae-

1) Heb. X. 14. coll. I. *Petr.* II 19. Porro Augustinus cont. duas epistolas Pelagianorum lib. IV. cap. XI. haec laudat Ambrosii verba ex eiusdem in Isaiam commentariis: « Idcirco Christus *immaculatus*, quia nec ipsa quidem nascendi solita conditione maculatus est. » Unde Cassianus collat. XXII. cap. X. discrimen explanans, quo duo epitheta *sanctum* et *immaculatum* significandi potestate distant, ait: « Inter *sanctum* et *immaculatum* multa distantia est. Aliud enim est, esse quempiam sanctum, idest, divino cultui consecratum; aliud est autem esse absque peccato, quod unius Domini Iesu Christi singulariter convenit maiestati. » Ut enim in opere, *Cur Deus homo*, lib. II. cap. XVI. scribit Anselmus: « Dubium non est, eum omnino sine peccato esse; hoc autem esse non valet, nisi absque peccato de massa peccatrice sit assumptus. »

que ad illam proxime accedat, qua Deus purus et Christus impollutus atque immaculatus appellatur. Non est autem cur pluribus comprobetur, ab hac significatione omnem abhorrere labem, omnemque naevum summopere dissidere.

447. Aperit *deinde* viam nobis [1]) Petavius, ubi momenta enarrans rationum quibus inductus existimabat, *sanctissimam Dei matrem ac Virginem non solum omni proprio et actuali, ut vocant, delicto caruisse, verum etiam originali*, scribit: « Movet autem me, ut in eam sim partem propensior, communis maxime sensus fidelium omnium, qui hoc intimis mentibus alteque defixum habent, et quibus possunt indiciis officiisque testantur, *nihil illa Virgine castius, purius, innocentius, alienius denique ab omni sorde ac labe peccati procreatum a Deo fuisse.* » Atqui haec quibus egregius Theologus se fatetur in eam sententiam adductum qua immaculatus defenditur Virginis conceptus, illas ipsas constituunt epithetorum classes quas *comparatas* nominavimus, tantaque maiorum conspiratione frequentatas ostendimus. Hoc igitur si vir summus advertisset, neque a nobis dissideret, neque argumentum pro immaculato Virginis conceptu ex epithetis desumptum reiiceret atque improbaret.

448. Viam nobis *postremo* Petavius [2]) aperit inquiens: « Quod ab omni culpa suapte voluntate concepta immunis beata Virgo fuerit, saltem illa suadere possunt graecorum ac latinorum patrum elogia quae ἄχραντον, idest, impollutam et incontaminatam illam nuncupant, et eiusdemmodi titulis exornant, quae antecellentem omnibus et singularem vitae integritatem et innocentiam continent: quae nonnulli ad conceptus ipsius munditiam pertinere volunt. Sed ad incorruptam saltem, uti diximus, et nulla perstrictam vel levissima peccati macula vitam illius accommodari par est: ut cumque se habet originalis eiusdem conditio, quam qui communi omnium lege circumscribunt, prius illud tamen obtinent, nullius umquam culpae conscientia violatam eius integritatem fuisse. »

449. Sed unde in ista elogia tantam dimanare vim autumabimus? Et unde factum censebimus quod [3]) tridentini patres hisce

1) De Incarnat. lib. XIV. cap. II. §. X.

2) De Incarnat. lib. XIV. cap. I. §. XV.

3) Sess. VI. can. XXIII. Cum his autem componi ista debeat ex Sess. V. in decreto de peccato originali: « Declarat tamen haec ipsa sancta Synodus non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et *immaculatam* Virginem Mariam Dei genitricem, sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Xisti Papae IV. sub poenis in eius constitutionibus contentis, quas innovat. » Ex qua comparatione videmus, adscribi quidem Deiparae titulum *immacu-*

maxime elogiis atque epithetis innixi decreverint: « Si quis hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum qui labitur et peccat, numquam vere fuisse iustificatum; aut contra posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, *quemadmodum de beata Virgine Maria tenet Ecclesia,* anathema sit? » Quod scilicet, ratum Christianis numquam non fuerit, eiusmodi elogia atque epitheta, quibus Deipara salutatur *immaculata, immaculatissima, undequaque immaculata, omnique creatura immaculatior atque innocentior,* non quovis sensu sed omnino plenissimo quemque sua sponte referunt, sumi oportere. Hoc autem plenissimo accepta sensu omnem omnino labem excludunt, et nullum sive actuali sive originali noxae locum permittunt. Immo multo manifestius rimam omnem obstruunt culpae originali, quam actuali eidemque levi. Sicut enim nemini ignota est [1]) doctrina Thomae, quod *proprie loquendo peccatum veniale non causat maculam in anima:* et sicuti nemini ignotum est, propter veniale peccatum neque caritatem exstingui, neque divinam similitudinem obliterari, neque in Dei iram et Satanae captivitatem offendi; ita neminem fugit, originali peccato animam sordescere, exui gratia, divina similitudine privari et Dei maledicto ac daemonis servituti obnoxiam reddi. Nisi ergo eam velimus labefactatam traditionem, qua immunitas Virginis ab omni actuali

latae, quum Synodus docet suae intentionis non esse illam decreto de amplitudine originalis peccati comprehendere; eumdem vero titulum illi non tribui, quum Synodus authentice declarat Ecclesiae traditionem de Virgine, cuius puritatem nullum umquam actuale peccatum violaverit. Quamnam vero huius discriminis rationem assignabimus? Hanc profecto, *necessariam* quidem esse immunitatem a quovis actuali peccato ut quis *immaculati* elogio decoretur, eam tamen *non sufficere*, nisi immunitas ab originali quoque culpa veluti ad cumulum accesserit. Prudenter ergo Synodus illud ipsum *immaculatae* elogium quod omisit in canone, usurpavit in decreto quo et suae esse intentionis negavit ambitu originalis praevaricationis Deiparam complecti, et voluit ut Constitutiones servarentur Xisti Pontificis qui eiusmodi probaverat Conceptionis officium, in quo ista ex Patribus referebantur. Ex Hilario: *O Virgo benedicta super omnes feminas, quae angelos vincis puritate, quaeque omnes sanctos superas pietate!* Ex Cypriano: *O Virgo iusta et omni iustitia plenissima, cuius conceptio fuit singularis!* Ex Basilio: *O Maria, tu candoris et decoris forma, cui in terra non est aequalis, nec in caelis similis!* Ex Augustino: *O mater Domini, sicut in prima femina abundavit delictum, ita et in te superabundavit omnis plenitudo gratiae, et ideo super omnes ignara delicti. Fecit enim Deus ut Maria non solum non peccaret, sed neque peccatum excogitare posset, et super cunctos ab omni labe praeservata fuit.* Ex Origene: *Quae nec serpentis persuasione decepta, neque eius venenosis afflatibus est infecta.* Ex Ambrosio: *Haec enim est Virgo, in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpae fuit.* Ex Anselmo: *Si quid originalis peccati in propagatione matris Dei exstitit, illud propagantium non propagatae fuit. Deus enim castaneae confert ut inter spinas et a spinis remota concipiatur, alatur et formetur. Non potuit Filius hoc facere matri? Plane potuit ac voluit; quod si voluit et fecit; ideoque non puto verum esse amatorem Virginis, qui celebrare respuit festum eius immaculatae conceptionis.* Et ex Cyrillo: *Post Filium, temerarium est in Maria Virgine ponere culpam aliquam aut peccatum.*

1) S. I. II. q. LXXXIX. a. 1.

culpa ostenditur, fateamur oportet eadem traditione, et multo etiam illustrius, ipsam ab originali quoque culpa immunem integramque probari. Quod sane luculenter docuit [1]) Odo cameracensis ubi explanans verba Canonis, *hostiam immaculatam,* scripsit: « Idest, sine omni macula culpae, utpote concepta et nata sine peccato et deinde sine culpa vixit in mundo, ideo immaculata. Nata quidem est de humana carne, sed sine conditione propagationis humanae: ideo immaculata. Et sine viro de sancta Virgine concepta: ideo immaculata. Est concepta sine humano opere, sola virtute divina: ideo immaculata. Non enim potest initium habere culpabile opus, quod solus Deus fecit et non alius: ideo immaculata. Hominis enim initium, qui sine humana administratione, solo Deo auctore, creatus est, (quamvis de massa peccatrice) non possumus culpare, nisi Deo peccatum velimus adscribere: ideo immaculata. Tamen de pura ab omni peccato Virgine creditur conceptus et natus: ideo immaculata. Ex quo enim angelica salutatione audivit: *gratia plena;* creditur purificata fide etiam reliquum vitae, custode Spiritu sancto, vixisse sine omni culpa. Ab immaculata ergo sumpta est haec hostia, ideo et ipsa immaculata. Et hoc loco admonemus, quod panis adpositus altari debet esse candidissimus, et in quo nulla possit inspici macula; ut hoc appareat in figura quod praedicatur de substantia, ut pura et immaculata videatur exterius figura, cuius substantia dicitur interius pura et immaculata. »

450. Sumptam ergo ex epithetis immaculati conceptus probationem abunde [2]) vindicavimus, neque solum vindicavimus, verum etiam firmius validiusque stabilivimus. Quare si qui forte a nobis petant, cuiusmodi sit veritas qua immaculatum Virginis conceptum profitemur, haec nobis ex superioribus praesto sunt quae respondeamus.

Principio itaque respondemus, veritatem esse cum constanti atque universali Christianorum loquendi usu penitissime consertam, atque sua ex eo sponte micantem.

Respondemus deinde veritatem esse ex ea thesi *analytice* eductam, qua Deiparae culmen creatae puritatis adscribitur.

Tum respondemus veritatem esse iisdem epithetis iisdemque

1) Exposit. sacri Canonis Distinct. III. p. 225. in Maxima PP. Biblioth. T. XXI.

2) De quibus vindiciis ea quoque iuverit contulisse quae Ioh. Baptista Federicius disserit in opere italico de immaculato Deiparae conceptu, pag. 91-94

christianis formulis comprobatam, quibus Deipara cuiusvis expers actualis culpae etsi levissimae ostenditur.

Respondemus tandem veritatem esse, quam classes bene multae epithetorum eaeque maioribus solemnes ex sese atque immediate praeseferunt. Fuit ergo Deipara, ut [1]) sapiens Idiota loquitur, *praebenedicta*, *combenedicta et postbenedicta;* deque ea idcirco repeti cum eodem debet: « Tota pulcra es, Virgo gloriosissima, non in parte sed in toto; et macula peccati sive mortalis, sive venialis sive originalis non est in te, nec umquam fuit, nec erit. »

1) Contemplat. de Virginis perfect. cap. III.



SECTIO TERTIA

VIRGINIS TYPI

De typis symbolisque in Scripturis contentis atque ex maiorum sententia ad Deiparam pertinentibus. Eorumdem recensio, ductaque ex iis generatim demonstratio, qua intaminata Virginis innocentia eiusque origines illibatae comprobantur. Succedunt tum distributio in classes et traditae a patribus eorumdem explanationes, tum multiplex eaque insignis confirmatio, qua Deipara nullo umquam infecta naevo et cuiusvis semper exsors maculae ostenditur.

451. In Hebraeorum sacris, ut verbis utar [1]) Roberti Lowth, res, loca, tempora, officia, ceteraque huiusmodi duplicem quasi personam sustinent, unam propriam, alteram allegoricam: adeoque in eorum scriptis ita tractari possunt, ut vel huius vel illius, vel etiam ut simul utriusque ratio habeatur. Exempli gratia de Davide, de Salomone, de Hierosolymis ita potest institui sermo, ut simpliciter intelligantur vel urbs ipsa eiusque reges, vel ea quae in sacra iudaicae religionis allegoria per urbem regesque illos significantur; vel etiam ut utramque partem simul respiciat et complectatur scriptoris animus, ita ut quae alteram exprimunt sensu aperto, proprio, historico accepta, alteram sensu recondito, interiore ac prophetico adumbrent. Ut enim Thomas [2]) verissime scribit: « Auctor sacrae Scripturae est Deus, in cuius potestate est ut non solum voces ad significandum accommodet, quod etiam homo facere potest, sed etiam res ipsas. Et ideo cum in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium ista scientia, quod ipsae res significatae per voces [3]) etiam significant aliquid. Illa ergo prima significatio qua voces significant res, pertinet ad primum sensum qui est sensus historicus vel litteralis; illa vero significatio qua res significatae per

1) De sacra poesi Hebraeorum, Praelect. XI. de allegoria mystica. Simillima inter ipsos Protestantes docent Grotius ad Matth. I. 22, Glassius Philolog. Sacr. lib. II. P. I. Tr. I. Sect. I., Spencerus de legibus Hebraeorum ritualibus lib. I. cap XI., Iohannes David Michaelis, Christophorus Blasca, aliique apud Bauerum Hermeneut. sacr. §. IX. et Patritium De interpret. ss. Scripturarum lib. I. cap. X. n. 201.

2) S. I. p. q. I. a. X. et Quodlibet. VII. q. VI. aa. XIV. XV. XVI.

3) Quod diligenter explanat, argumentisque confirmat Iohannes Ranolder in Praelimin. Hermeneut. cap. II. §§. XI. seqq. pagg. 36. seqq.

voces iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis, qui super litteralem fundatur et eum supponit. »

452. Duplex igitur quaestio sese continuo obiicit, e quibus prior sic habet: *utrum in Scripturis reperiantur typi, idest, personae, res, actiones, eventus, gesta quae peculiari Dei consilio et instituto conformata ita fuerint ac directa, ut Deiparam eiusque dotes atque insignissima ornamenta praemonstrarent.* Hanc altera excipit: *cuiusmodi sint hi typi, et quibus Scripturarum libris, narrationibus, effatisque contineantur.* Equidem intelligo tantam esse coniunctionem et intimam adeo societatem Virginem inter atque Emmanuelem, inter singularem illam mulierem et nasciturum ex ea semen quod Serpentis caput contereret, inter matrem et filium, Mariam inter et Christum, ut censeri verisimillimum debeat non deesse in Scripturis typos, qui ad Virginem spectent, quique ad illam eiusque dona referantur. Si enim, ut est [1]) apud Irenaeum, *per typos et parabolas Christus designabatur,* si ut idem [2]) subdit, *oportebat quaedam quidem praenuntiari paternaliter a patribus, quaedam autem praefigurari legaliter a prophetis, quaedam vero deformari secundum formationem Christi ab his qui adoptionem perceperunt:* si Augustinus [3]) de Christo scribere merito potuit, *cui prophetando venturo gens una deputata est, cuius reipublicae tota administratio prophetia esset illius Regis venturi, et civitatem caelestem ex omnibus gentibus conditurî:* et si vel ipse [4]) Christianus Wahlius monuit, *probe tenendum esse ex mente scriptorum novi Testamenti nihil evenisse vel evenire potuisse Iesu et rei Christianae, cuius vestigia et lineae primae non inveniantur in veteris Testamenti libris;* videri omnino non iniuria posset a quavis analogia alienissimum, nullos praeivisse typos, qui Deiparam significarent.

453. Nihilominus fixum mihi ratumque est neutram adgredi aut expedire quaestionem, sed de iis tantum esse sollicitum quae patres senserint, quaeque maiores existimarint. Huc igitur mea studia convertam, et principio investigabo *quid illi de typis* [5]) *symbolisque ad Virginem spectantibus universim iudicarint:* tum vero investi-

1) Con. Haeres. lib. IV. cap. XXVI. al. XLIII. n. 1.

2) Ibid. cap. XXV. al. XLII. n. 3.

3) De consensu Evangelist. lib. I. cap. XI. n. 17.

4) In clavi N. T. Philolog. ad v. πληρόω.

5) Novi discrimen quo *typi a symbolis* secernuntur: et novi omnes quidem typos esse symbola, non autem omnia atiam symbola vicissim esse typos. In praesenti tamen tractatione opus haud esse arbitror, ut huic partitioni subtilius inhaeream.

gabo *quos nominatim typos, quaeve nominatim symbola ad Virginem retulerint, deque Virgine explicanda esse tradiderint*. Quibus definitis atque compertis, impeditum non erit aliquot doctrinae capita stabilire cum ea quam versamus tractatione penitissime cohaerentia. Scilicet impeditum non erit stabilire quid I. ex patrum suffragio tenendum sit de Scripturarum oraculis, quae ad asserendas explanandasque Virginis dotes adhibeantur: quid II. de Virginis dignitate atque praestantia ipsimet crediderint: et quam III. innocentiam, quamve eximiam puritatem Virgini tribuendam esse iudicarint.

CAPUT I.

Exponitur sententia patrum de typis symbolisque Deiparam praemonstrantibus: typi iuxta ac symbola universim recensentur: tum argumentum instituitur ex iis deductum, quo sanctitas nullo umquam infecta naevo Deiparae vindicatur.

454. Mutuus rerum habitus rectusque inquisitionis ordo postulare videntur, ne prius de typis symbolisque ex iudicio maiorum ad Deiparam pertinentibus *speciatim* disseratur, quam ipsorum mens atque sententia de iisdem typis symbolisque ad eam referendis *generatim* innotuerit. Inanis namque foret contentio omnis quae circa typos *singulatim* acceptos versaretur, nisi *in universum* antea constaret visum esse patribus ea in Scripturis reperiri, quae veluti typi ac symbola Deiparae merito censeantur. Hoc igitur quod adgredimur caput eo pertinebit, ut maiorum sententia *generatim* explicetur, iique typi eaque symbola *universim memorentur*, quae ex illorum iudicio ad praesignandas Virginis dotes consignata Scripturis occurrunt.

ARTICULUS I.

Duplex innuitur ratio investigandae et assequendae veterum sententiae de typis Deiparam praesignantibus: de ea nominatim ratione agitur, quae disertis illorum testimoniis continetur: cuiusmodi haec sint, quamque insigniter eorumdem persuasionem patefaciant.

455. Quae maiorum mens fuerit atque doctrina de biblicis sive typis sive symbolis ad Deiparam referendis, duplici potissimum

ratione deprehendi potest evidenterque cognosci. Huc enim ex aequo faciunt tam *eorumdem usus scribendique consuetudo,* quam *diserta effata apertaque testimonia.* Sive emim ipsi verbis minime dubiis declarent, persuasum sibi esse non pauca in Bibliis haberi quae ceu totidem typi aut Deiparae symbola spectari debeant: sive in suis operibus editisque commentariis de Virgine disserentes ad biblicos typos et Scripturarum symbola provocent; suam pariter mentem suumque consilium patefaciunt. Quare ea ratione tantisper seposita quam altero loco innuimus, quaeque ex insequentibus abunde enitescet, illam nunc inibimus quae apertis disertisque eorumdem verbis absolvitur.

456. Itaque [a]) Iacobus monachus ubi de Deipara sermonem habet, hac ipsam circumloquutione describit: « Prophetarum illam acclamationem, divinorum oraculorum adimpletionem, nostrae illud salutis caput. » Quae iisdem prorsus iterata verbis legimus [b]) apud Georgium nicomediensem qui de Ioachimo et Anna loquens ait: « Quamobrem etiam immaculatam illam gignunt, regenerationis nostrae auctricem, nostrae reformationis caussam, per quam vitiata in nobis Dei imago ad suum rediit decorem, per quam tunicas peccati abiicientes, induti sumus stolam luminis: prophetarum illam acclamationem, divinorum plenitudinem oraculorum, nostrae illud salutis caput. » Neque aliter non uno in loco Andreas cretensis, qui [c]) primum exclamat: « Ave sis perspicacis acutiorisque praescientiae speculum, quo inclyti spiritu prophetae ac interpretes, Dei ad nos

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1254. E. apud Combefisium Auctar. T. I. *Τὸ τῶν προφητῶν ἀναφώνημα· τὸ τῶν θείων χρησμῶν ἐκπλήρωμα· τὸ τῆς ἡμῶν σωτηρίας κεφάλαιον.*

b) Orat. in Deiparae praesentat. pag. 1086. C-D. apud Combefisium Auctar. Tom. I. *Διὸ καὶ γεννῶσι τὴν ἄχραντον, τὴν τῆς ἀναγεννήσεως πρόξενον ἡμῶν, τὴν τῆς ἀναπλάσεως ἡμῶν αἰτίαν· δι' ἧς τὸ κατ' εἰκόνα θεοῦ ἀχρειωθὲν, πρὸς τὴν οἰκείαν ἐπανῆλθεν εὐπρέπειαν· δι' ἧς τοὺς τῆς ἁμαρτίας χιτῶνας ἀποβάλλοντες, τὴν τοῦ φωτὸς στολὴν ἠμφιασάμεθα· τὸ τῶν προφητῶν ἀναφώνημα· τὸ τῶν θείων χρησμῶν ἐκπλήρωμα· τὸ τῆς ἡμῶν σωτηρίας κεφάλαιον.*

c) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 103. A. apud Gallandium Tom. XIII. *Χαίροις τὸ νοερὸν τῆς διορατικῆς προγνώσεως κάτοπτρον, δι' οὗ τὴν περὶ ἡμᾶς ἀπειροδύναμον τοῦ θεοῦ συγκατάβασιν, οἱ κλεινοὶ τοῦ πνεύματος ὑποφῆται μυστικῶς ἐφαντάσθησαν· χαίροις διόπτρα προβλεπτικὴ, δι' ἧς τὸν ἐρχόμενον ἄνωθεν μετὰ δόξης ἀνισχόντα ἥλιον τῆς δικαιοσύνης, οἱ τῷ ἀμειδεῖ σκιαζόμενοι τῆς ἁμαρτίας σκότει δεξάμενοι, κατακράτως περιελάμφθησαν· χαῖρε τὸ πάντων προφητῶν καὶ πατριαρχῶν ἐγκαλλώπισμα, καὶ τῶν ἀνεξιχνιάστων τοῦ θεοῦ προγνώσεων ἀψευδέστατον κήρυγμα.*

infinitae virtutis demissionem mystice secretiusque ceu imaginati perceperunt. Ave sis dioptra perspectiva, qua ii qui in tristi peccatorum umbra tenebris obsiti essent, venientem ortum de caelo cum gloria suscipientes iustitiae solem, mirabiliter illustrati sunt. Ave prophetarum omnium patriarcharumque gloriatio, nec non impervestigabilium Dei praescientiarum ac decretorum verissima praedicatio. » Tum [a]) alibi inquit: « O sola tuarum excellentiis gratiarum, post maiorem omni nomine sanctitatis principatum, omni propriae appellationi praecellens, ut nemo possit sanctitatem tuam condigno nomine appellare! Quae quidem multis obscure exemplis in veteri Testamento velut aenigmatice fueris designata, perspicuis vero notis in novo declarata, nullo tamen modo clare, qualis habes, comprehensa. O prophetarum dioptra, apostolorum gloria, corona martyrum, gratia sacerdotum, lumen monachorum, omniumque sanctorum robur ac coronis! » A quibus vix aut ne vix quidem haec distant quae [b]) Tarasius Annae tribuit Zachariam de Virgine trienni atque in templo oblata alloquenti: « De hac vaticinare quae edita in lucem est prophetarum impletio, et rerum a Deo hominibus promissarum summa. » Neque haec distant quae [c]) idem de Virgine subdit: « Tu es prophetarum speculum, et rerum ab illis praenunciatarum exitus. »

457. Quid vero Iohannes damascenus? Is est [d]) qui Deiparam alloquens ait: « Ave sis in qua vetus novumque Testamentum transactum fuit. Ave sis flos deiferorum patrum et patriarcharum multiplici flore constans. Ave sis praenuntiatum nomen a prophetis, qui

a) Encom. in deposit. Zonae s. Deiparae pag. 801. C-D. apud Combefisium Tom. II. Ὦ μόνη τῶν σῶν ὑπερβολαῖς χαρίτων μετὰ τὴν ὑπερώνυμον ἁγιαρχίαν, ἐπέκεινα πάσης κυρίας προσηγορίας γενομένη· ὥστε μηδενὶ σχ.... τῆς σῆς ἁγιότητος ἔχειν ἀξιωνύμῳ ὀνόματι προσαγορεύεσθαι· ἡ πολλοῖς μὲν κατὰ τὴν παλαιὰν ὑποδείγμασιν, ὡς αἰνίγμασιν, ἠρέμα διασημανθεῖσα· λαμπροῖς δὲ κατὰ τὴν καινὴν γνωρίσμασιν ἐμφανισθεῖσα· οὐδενὶ δὲ τρόπῳ τρανῶς, ὥσπερ εἶς καταλαμβανομένη· ὦ προφητῶν μὲν διόπτρα· ἀποστόλων δὲ δόξα· μαρτύρων στέφανος· ἱερέων χάρις· ἀσκητῶν φῶς, καὶ πάντων ἁγίων κράτος καὶ κορωνίς.

b) Orat. in Deiparae praesent. Προφήτευσον περὶ ταύτην, τὴν τῶν προφητῶν ἀναδειχθεῖσαν πλήρωσιν· καὶ τῆς ἐπαγγελίας θεοῦ πρὸς ἀνθρώπους ἀνακεφαλαίωσιν.

c) Ibid. Σὺ εἶ τῶν προφητῶν ἡ διόπτρα, καὶ τῶν ῥημάτων αὐτῶν ἡ ἐκπλήρωσις.

d) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 836. A. Χαίροις τὸ τῆς παλαιᾶς καὶ καινῆς διαθήκης συμπέρασμα· χαίροις τὸ τῶν θεοφόρων πατέρων καὶ πατριαρχῶν πολύανθον ἄνθος· χαίροις τὸ τῶν ἀπ᾽ αἰῶνος ἁγίων προφητῶν προκατάγγελτον ὄνομα.

a seculo exstiterunt. » Et is [a]) est qui ad efferendas Mariae laudes scribit: « Agnoscat arca undique auro contecta quam nihil habeat, quod cum hac comparari possit, urnaque illa aurea manna ferens, candelabrum, mensa, veteraque omnia. Illa enim quod eius figurae essent, honorem habuerunt, tamquam [1]) veri exemplaris adumbrationes. » Quare [2]) auctor sermonum in ecclesiasticam precem *Salve Regina,* qui Bernardi nomine inscribuntur: «Non solum, *inquit,* caelum et firmamentum Domina rerum intelligitur, sed aliis nominibus convenienter appellatur et rerum vocabulis designatur. Ipsa Tabernaculum Dei, ipsa Templum, ipsa Domus, ipsa Atrium, ipsa Cubiculum, ipsa Thalamus, ipsa Sponsa, ipsa Filia, ipsa Arca diluvii, Arca Testamenti, Urna aurea, ipsa Manna, Virga Aaron, Vellus Gedeonis, Porta Ezechielis, Civitas Dei. Ipsa Caelum, ipsa Terra, ipsa Sol, ipsa Luna et Stella matutina, Aurora ipsa et Lucerna, Rubus et Mons, Fons quoque hortorum et Lilium convallium. »

458. Eodem ista pertinent ex Petro siculo [b]) qui de Virgine ait: « Cuius Virginis praeludia lex et prophetae omnes insolitis olim modis praenuntiaverunt, gloriamque eius praeoccupante oculo visam praemonstrarunt. » Eodem ista quae habet [c]) Iosephus hymnographus: « Umbrae legis et prophetarum aenigmata te futuram praemonstrarunt, o undequaque innocens, verissimam Dei matrem, per quam maledictio exaruit, et perfecta benedictio atque gratia salutaris effloruit. » Eodem [d]) ista quae habentur in Anthologio: « Ave inac-

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 845. E. Ἐπιγινωσκέτω τὸ πρὸς αὐτὴν ἀσύγκριτον, κιβωτὸς πάντοθεν χρυσίῳ κεκαλυμμένη, καὶ μαννοφόρος στάμνος χρυσῆ, καὶ λυχνία, καὶ τράπεζα, καὶ πάντα τὰ παλαιά· τῷ γὰρ ταύτης τύπῳ τετίμηται, ὡς ἀληθοῦς πρωτοτύπου σκιάσματα.

b) Hist. manich. n. 5. pag. 8. apud Mai in nov. pp. Biblioth. T. IV. P. II. Ἧς ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται πάντες τὰ σήμαντρα πάλαι ξενοπρεπῶς προκατήγγειλαν· καὶ τὴν δόξαν αὐτῆς προβλεπτικῷ ὄμματι προϋπέφηναν.

c) Men. die XXXI. Augusti Ode δ'. pag. 171. col. 1. A. Νόμου σκιαὶ, καὶ προφητῶν αἰνίγματα προεδήλουν ἔσεσθαί σε, πάναγνε, θεοῦ μητέρα παναληθῆ, δι' ἧς ἡ κατάρα ἀπεστειρώθη, καὶ ἤνθησε τελεία εὐλογία καὶ σωτήριος χάρις.

d) Anthólog. die XVII. Ianuarii pag. 336. col. 1. D. Χαῖρε πύλη κυρίου ἡ ἀδιόδευτος, ἣν προεκήρυξαν πάντες οἱ δικαιότατοι· καὶ ὁ προφήτης Δανιὴλ ὄρος ἀλάξευτον· καὶ

1) Etiam Paulus ad Coloss. II. 17, Hebr. VIII. 5, X. 1. typos vocat *umbras*, et Petrus epist. I. cap. III. 20-21. rem typice designatam appellat ἀντίτυπον.

2) Super *Salve Regina*, Serm. III. n. 2. pag. 744. D-F. inter opp. Bernardi T. V. Huic adde Eckbertum schonaugiensem in serm. de b. Virgine n. 4. pag. 705. B-C. ibidem, et utrique adde Bernardum *super Missus est* Hom. II. n. 11. pag. 746. F. opp. T. III.

cessa Domini porta, quam iustissimi plerique omnes [1]) praenunciarunt: et Daniel Propheta montem non sectum, et David melodus cum Moyse ceterisque, rubum et urnam et virgam, nebulam et thronum magnumque montem nobis ostenderunt. » Eodem quae hisce simillima scribit [2]) Hesychius Hierosolymitanus, et eodem quae tradit Chrysippus eiusdem Ecclesiae presbyter, qui Mariae laudationem his verbis [a]) auspicatur: « Virgam Iesse semper virentem, quae cuncto generi humano vitam pro fructu attulit, omni quidem tempore beatam praedicare, admirari et laudibus extollere convenit. » Tum [3]) explanata Gabrielis salutatione, e vestigio [b]) pergit: « Hactenus Gabriel verbis salutationis finem imponit. Nos autem peropportunum est modo ut plurimarum prophetiarum faustas acclamationes illi adscribamus et dedicemus. Ave igitur semper, ave gratia plena: ave quae vulvam adepta es praeter naturam vel ipsis caelis latiorem, quandoquidem per hanc comprehendisti eum, quem ne caeli quidem capiunt. Ave fons lucis omnem hominem illuminantis. Ave solis ortus qui nullum ferre potest occasum. Ave armarium vitae. Ave quae es hortus Patris. Ave quae es pratum totius fragrantiae sancti Spiritus.

Δαυὶδ μελῳδὸς σὺν Μωϋσεῖ καὶ τοῖς λοιποῖς, βάτον καὶ στάμνον καὶ ῥάβδον, νεφέλην καὶ θρόνον καὶ μέγα ὄρος ἀναδείχθησαν ἡμῖν.

a) Orat. de laudibus Virginis pag. 424. E. Biblioth. graeco-lat. T. II. *Τὴν ἀειθαλῆ ῥάβδον Ἰεσσαὶ, τὴν ὅλῳ τῷ ἀνθρωπίνῳ γένει καρποφορήσασαν τὴν ζωὴν, ἐν παντὶ μὲν πρέπει χρόνῳ μακαρίζειν, θαυμάζειν, ἀνευφημεῖν.*

b) Ibid. pag. 425. C-E. *Καὶ ἡ μὲν τοῦ ἀρχαγγέλου φωνὴ μέχρι τούτου ὁρίζει τὸν ἀσπασμόν· ἡμᾶς δὲ εὔκαιρον νῦν ἐκ πλειόνων αὐτῇ ἐπαναθεῖναι τὴν τῶν προῤῥήσεων εὐφημίαν· χαῖρε οὖν ἀεὶ, χαῖρε ἡ κεχαριτωμένη· χαῖρε ἡ μήτραν λαχοῦσα παρὰ τῆς φύσεως, καὶ αὐτῶν πλατυτέραν τῶν οὐρανῶν, εἴπερ ὃν μὴ χωροῦσι μηδὲ οἱ οὐρανοὶ, σὺ διὰ ταύτης ἐχώρησας· χαῖρε ἡ τοῦ φωτὸς πηγὴ τοῦ φωτίζοντος πάντα ἄνθρωπον· χαῖρε ἡ τοῦ ἡλίου ἀνατολὴ, τοῦ μὴ δῦναι δυναμένου ποτέ· χαῖρε τὸ ταμεῖον τῆς ζωῆς· χαῖρε ὁ κῆπος ὁ τοῦ πατρός· χαῖρε ὁ λιμὴν ὅλης τῆς εὐωδίας τοῦ πνεύματος· χαῖρε ἡ ῥίζα πάντων τῶν ἀγαθῶν· χαῖρε τοῦ μαργαρίτου πεῖρα, τοῦ τιμὴν ἅπασαν ὑπερβαίνοντος· χαῖρε ἡ ἄμπελος ἡ καλλίβοτρυς· χαῖρε ἡ νεφέλη τοῦ ὑετοῦ τοῦ τὰς ψυχὰς τῶν ὁσίων ποτίζοντος· χαῖρε τὸ φρέαρ τοῦ ἀεὶ ζῶντος ὕδατος· χαῖρε ἡ βάτος ἡ καιομένη τῷ νοητῷ πυρὶ, κατακαιομένη δὲ οὐδαμῶς· χαῖρε ἡ κεκλεισμένη πύλη, μόνῳ δὲ ἀνοιγεῖσα βασιλεῖ· χαῖρε τὸ ὄρος, ὅθεν ὁ ἀκρογωνιαῖος ἄνευ χειρῶν ἀπετμήθη λίθος· ταῦτα γὰρ καὶ πολλὰ ἕτερα παραπλήσια πάντες αὐτὴν κατὰ μέρος οἱ θεοφόροι προσφθέγγονται.*

1) Quam sententiam passim in ecclesiasticis hymnis confirmant Armenii, Copti, Syri, atque horum lumen Ephraemus Orat. de Virginis laudibus pag. 575. opp. graec. T. III.

2) Orat. de laudibus Virginis pag. 421. C-E. biblioth. graeco-lat. T. II.

3) Ibid. pag. 425. A-B.

Ave radix omnium bonorum. Ave specimen gemmae omne pretium excedentis. Ave vitis uvas pulcras producens. Ave nubes pluviae potum animis sanctorum exhibentis. Ave quae es puteus semper viventis aquae. Ave quae es rubus ardens igne spiritali, nusquam tamen adureris. Ave porta clausa, soli Regi aperta. Ave mons unde lapis angularis abscissus est sine manibus. His enim atque aliis multis huiusmodi [1]) cuncti divinitus acti particulatim eam alloquuntur. »

459. Absolvam praeclarissimis [2]) Germani verbis, qui postquam omnigenis laudum praeconiis Deiparam [a]) cumulavit, subdit: « Salve legis ac gratiae mediatrix, veteris novique Testamenti obsignatio, totius prophetiae perspicua plenitudo, inspiratae a Deo veritatis Scripturarum acrostichis, Dei ac Verbi animatus et mundissimus tomus, in quo sine voce et scripto inscriptor ipse Deus ac Verbum quotidie legitur. » Tum [b]) pergit: « Nec vero, quidquid tandem dicamus nuptiale pro meritis canticum ei absolvemus, donec etiam ex Scriptu-

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1310. A-C. apud Combefisium Anctar. T. I. *Χαίροις ἡ νόμου μεσῖτις καὶ χάριτος· τὸ παλαιᾶς καὶ νέας τῶν διαθηκῶν ἐπισφράγισμα· τὸ πάσης προφητείας ἐκφανέστατον πλήρωμα· ἡ ἀκροστιχὶς τῆς θεοπνεύστου τῶν γραφῶν ἀληθείας· ὁ τοῦ Θεοῦ καὶ λόγου ἔμψυχός τε καὶ καθαρώτατος τόμος, ἐν ᾧ ἀφθέγκτως, ἀγράφως, αὐτὸς ἐγγραφεὺς ὁ Θεὸς καὶ λόγος καθ' ἡμέραν ἀναγινώσκεται.*

b) Ibid. pag. 411. B-C. *Καὶ οὐδ' ἂν, εἴ τι καὶ φῶμεν, τὸν ἐπιθαλάμιον αὐτῇ κατ' ἀξίαν συμπληρώσομεν ὕμνον, εἰ μὴ καὶ τῶν ἀπὸ γραφῆς λειμώνων αὐτῇ τὰ ἄνθη μυστικῶς ἐρανισάμενοι, τὸν τῶν ἐγκωμίων ἀναπλέξωμεν στέφανον· οὐκ ἔστι γὰρ, οὐκ ἔστιν, ὅπου μὴ διὰ πάσης ὁμοῦ τῆς θεοπνεύστου γραφῆς περιερχόμενος ἴδοι τις ἂν αὐτῆς κατεσπαρμένας ποικίλως τὰς ἐπισημασίας, ἃς εἰ κατὰ σαυτὸν τῷ φιλοπόνῳ τῶν λόγων παραγυμνασίας, εὑρήσεις ἂν ἐκτυπώτερον ὅσην παρὰ Θεοῦ τὴν δόξαν ἐνεκολπώσατο.*

1) Quae cum his conferri debent Iohannis damasceni ex Orat. II. in Deiparae nativit. pag. 856. A. *Χαῖρε χρυσίον καθαρὸν, καὶ μηδαμοῦ ῥυτίδα κακίας φέρουσα· ἐξ οὗ ἥ τε λυχνία, καὶ ἡ τράπεζα, καὶ πάντα τὰ κατὰ τὸν νόμον χρυσία κατ' ἔμφασιν ἀλληγορικὴν, ἐπὶ σὲ τὸν χρυσώνυμον καὶ πολυώνυμον μεταλαμβάνεται. Ave aurum purum, nec malitiae usquam ruga deformis: ex quo auro tum candelabrum tum mensa tum reliqua omnia Regis ritu aurea allegoriae non ambigua significatione de te aureis multisque nominibus celebri accipiuntur.*

2) Hippolytus Maraccius in priore adnotatione ad Mariale sancti Germani Patriarchae constantinopolitani sic habet: « Orationem hanc sane luculentissimam (cuius stylus totaque compositio insiguem exprimit in Mariam Deiparam Virginem affectum, eximiamque rerum divinarum scientiam ac meditationem) adscribit sancto Andreae hierosolymitano archiepiscopo cretensi Franciscus Combefis, qui illam ex cod. Em. cardinalis Mazzarini exscriptam, sub eiusdem sancti Andreae nomine una cum aliorum graecorum Patrum homiliis graecae et latine evulgavit anno MDCXLVIII. Leo autem Allatius in sua de Georgiis dissertatione, Georgio nicomediensi metropolitae assignat, et Regius codex bibliotb. Regis christianissimi n. CCLXXV. eius auctorem statuit s. Iohannem damascenum. Verum sub nomine sancti Germani Patriarchae constantinopolitani extat graece ms. in variis christiani orbis bibliothecis, signanter vero in graeco ms. codice bibliothecae Vaticanae n. CIX. Quam ex nova versione praestantissimi viri Iohannis Matthaei Caryophili iconiensis episcopi ad memoriam posteritatis hoc loco damus, licet sub eiusdem sancti Germani nomine tum graece tum latine, Andrea Scotti interprete, una cum Tomo secundo bibliothecae veterum Patrum editionis quartae parisiensis iam ea fuerit evulgata. »

rae pratis mystice ei flores corrogantes, encomiorum coronam texamus. Nusquam enim est, nusquam est, inquam, ubi Scripturam divinitus inspiratam lustrans, non varie perspersa eius nomina quis videat, quae si apud te ipse studiosa exercitatione discusseris, clarius expressum inveneris, quantam donante Deo gloriam sit complexa. »

460. Huc itaque recidit explorata maiorum sententia constanterque iterata doctrina, spectari Deiparam aliter non posse ac ut *veteris novique Testamenti obsignationem, divinorum oraculorum adimpletionem, utriusque Foederis* [1]) *summam complexionemque, Prophetarum acclamationem, nomen divinitus praedictum, typis expressum, umbris signatum, ab* [2]) *omnibus Spiritu actis hominibus celebratum, et verissimam Scripturarum acrostichidem.* Sicut enim in acrostichide totius tractationis argumentum ex summis litteris e vestigio cognoscitur; ita universa Scriptura in Maria, veluti in quadam summa intelligitur. Nihil autem sive illustrius sive validius desiderari potest, quo indubitata maiorum doctrina de typis symbolisque Deiparam praesignantibus comprobetur.

ARTICULUS II.

De typis symbolisque ex maiorum sententia Deiparam praemonstrantibus.

461. Cognita maiorum doctrina de typis symbolisque ad praesignandam Deiparam Scripturarum usu receptis, nihil esse nobis antiquius debet quam probe tenere, quos ipsi typos quaeve symbola ad Deiparam referenda esse existimarint. Quod quidem videri arduum non potest, quum quotquot sunt testes qui praesignatam in Scripturis Deiparam tradiderunt, tot etiam numerentur qui proprios eiusdem typos propriaque symbola recensuerint. Haec enim recen-

1) Id namque sibi vult *τὸ συμπέρασμα*, quo nomine usum Iohannem damascenum novimus.

2) Hinc Sophronius senior in serm. de Deiparae Assumptione ad Paulam et Eustochium col. 95. F. Inter opp. Hieronymi T. XI. scribit: « Profecto cum nec sanctitas vel facundia suppeditet, ut beatam et gloriosam Virginem Mariam digne laudare queam; quoniam (ut verum fatear) quidquid humanis dici potest verbis, minus est a laude caeli: quia divinis est angelicis excellentius praedicata et laudata praeconiis. A Prophetis quidem praenuntiata, a Patriarchis figuris et aenigmatibus praesignata, ab Evangelistis exhibita et monstrata, ab Angelo venerabiliter atque officiosissime salutata. » Quibus simillima tradunt Hildephonsus toletanus Serm. I. de Virginis Assumpt. pag. 668. col. 1. B-D. apud Combefis. in biblioth. concionat. T. VII., Richardus a s. Laurentio lib. X. de laudibus Mariae pagg. 534. seqq. et Engelbertus abbas admontensis in tract. de gratiis et virtutibus b. Mariae P. IV. cap. I. p. 697. apud Pezium Anecdot. T. I. P. II.

sentur in Menaeis, haec in Anthologio, haec in ceteris Latinorum, Graecorum, Coptorum, Syrorum, Armeniorumque Ecclesiasticis libris, haec in Patrum operibus obvia sunt, atque haec in reliquis Christianis monimentis iterata occurrunt. Quae suis deinde locis proponentur, ad evidentiam usque ostendent, neque haec dici ambitiosius, neque nobis temere excidisse, sed rei ipsius veritati adamussim respondere. In praesentia tamen ne aut repetitionibus fastidium, aut satietatem prolixitate creemus, satis nobis erit unum alterumve testem, sed nulli exceptioni obnoxium, in medium producere.

462. Itaque Germanus post ea quae superiori articulo retulimus, continenti oratione [a]) subdit: « Vide itaque multimodis eam (Deiparam) honestatam nominibus, multisque Scripturae locis perspicue declaratam: ut cum verbi gratia nominat Virginem, tabernaculum, prophetissam, tum nuptialem thalamum, domum Dei, templum sanctum, secundum tabernaculum, mensam sanctam, altare, propitiatorium, thuribulum aureum, sancta sanctorum, cherubim gloriam, urnam auream, tabulas testamenti, virgam sacerdotalem, sceptrum regni, diadema pulcritudinis, cornu olei unctionis, alabastrum, candelabrum, vaporem, lucernulam, ellychnium, vehiculum, dumum, petram, terram, paradisum, locum, arvum, fontem, agnam, guttam, ac si qua alia inclyti Spiritus sancti interpretes pro mysticae in symbolis inspectionis ratione, eam prophetice nominant. Puta rubum, ut cum Moyses [1]) ait: *vadam et videbo visionem hanc magnam, quamobrem ardeat rubus, nec comburatur.* Virgam autem, ut cum Isaias [2]) dicit: *egredietur virga de radice Iesse et flos de radice ascendet.* Appellatur [3]) radix: *et erit radix Iesse et qui exsurget regere gentes; in*

a) Orat. in Deiparae nativit. pagg. 1311-1318. apud Combefisium Auctar. T. I. Θία γὰρ αὐτὴν πολυσήμοις ὀνόμασι καλλυνομένην, καὶ πολλαχοῦ τῆς γραφῆς ἐμφαντικῶς δηλουμένην, ὡς ὅταν φέρει εἰπεῖν, παρθένον αὐτὴν ὀνομάζει· νεάνιδα, προφῆτιδα, εἶτα παστάδα, οἶκον Θεοῦ, ναὸν ἅγιον, δευτέραν σκηνὴν, τράπεζαν ἁγίαν, θυσιαστήριον, ἱλαστήριον, χρυσοῦν θυμιατήριον, ἅγια ἁγίων, Χερουβὶμ δόξαν, στάμνον χρυσῆν, πλάκας τῆς διαθήκης, ἱερατικὴν ῥάβδον, σκῆπτρον βασιλείας, διάδημα κάλλους, κέρας ἐν ᾧ τὸ μῦρον τῆς χρίσεως, ἀλάβαστρον, λυχνίαν, ἀτμίδα, λαμπάδιον, θρυαλλίδα, ὄχημα, θάμνον, πέτραν, γῆν, παράδεισον, χώραν, ἄρουραν, πηγὴν, ἀμνάδα, σταγόνα, καὶ ὅσα ταύτην οἱ κλεινοὶ τοῦ πνεύματος ὑποφῆται, κατὰ τὴν ἐν συμβόλοις μυστικὴν ἐποπτείαν προβλεπτικῶς ὀνομάζουσιν. κ. τ. λ.

1) Exod. III. 3.
2) Is. XI. 1.
3) Is. XI. 10.

eum gentes sperabunt. Terra [1]) sancta: *Moyses, Moyses solve calceamentum de pedibus tuis, terra enim in qua stas, terra sancta est.* Terra [2]) desiderabilis: *et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.* Terra [3]) veritatem producens: *veritas de terra orta est.* Thaemam [4]): *Deus a Thaemam veniet.* Mons [5]): *et Sanctus de monte umbroso ac condenso. Abscissus est lapis de monte sine manibus. Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* Oliva [6]): *ego autem quasi oliva fructifera in domo Dei.* Arca [7]): *surge Domine in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae.* Thronus [8]): *vidi Dominum sedentem super thronum excelsum et elevatum, et plena omnis domus gloria eius.* Porta [9]): *et dixit Dominus ad me, porta haec clausa erit, non aperietur, et vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingredietur et egredietur per eam, et erit clausa porta.* Sion [10]): *veniet ex Sion qui liberet et avertat impietates a Iacob. Elegit Dominus Sion, elegit in habitationem sibi.* Mater [11]): *mater Sion dicet, homo et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.* Et [12]): *unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me.* Ferculum [13]): *fecit sibi rex Salomon ferculum de lignis Libani.* Lectulum [14]): *lectum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortibus Israel.* Capitulum [15]): *et vidi, et ecce manus extenta ad me, et in ea capitulum libri: et expandit illum coram me, et erant scripta in eo anteriora et posteriora, et dixit ad me: fili hominis comede capitulum istud.* Liber [16]): *et erunt vobis verba haec, ait Deus, ut verba libri signati, quem si dederint ipsum homini scienti litteras, dicentes, lege haec, et dicet, non possum legere, signatus est enim.* Tomus [17]): *et dixit Dominus ad me, sume tibi volumen novi magni, et scribe in eo hominis stylo, ut velociter depredationem faciat spoliorum, prope est enim.* Forceps [18]): *et missus est ad me unus de Seraphim, et in manu habebat carbonem quem forcipe sumpsit de altari, et tetigit os meum et dixit: ecce tetigit hoc labia tua, et peccata tua circumpurgabit.* Virgo [19]): *ecce Virgo in utero accipiet et pariet Filium, et vocabunt*

1) Exod. III. 5.
2) Ps. CV. 24.
3) Ps. LXXXIV. 10.
4) Abac. III. 13.
5) Daniel. II. 45.
6) Ps. LXVII. 17.
7) Ps. LI. 10.
8) Ps. CXXXI. 8.
9) Is. VI. 1.
10) Ezech. XLIV. 2.
11) Is. LIX. 20. Ps. LXXXVI 5.
12) Luc. I. 43.
13) Cant. III. 9.
14) Cant. III. 7.
15) Ezech. II. 9.
16) Is. XXIX. 11.
17) Is. VIII. 1.
18) Is. VI. 6.
19) Is. VII. 14.

nomen eius Emmanuel. Prophetissa [1]): *et accessi ad prophetissam, et in utero concepit ac peperit Filium: et dixit Dominus ad me, voca nomen eius, cito spolia, velociter depredare, quia antequam sciat puer vocare patrem aut matrem, accipiet virtutem Damasci et spolia Samariae.* Regina [2]): *adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta, variegata.* Proxima [3]): *tota pulcra es, proxima mea, tota pulcra, et macula non est in te. Surge, veni proxima mea sponsa, veni de Libano.* Soror [4]): *quam pulcri facti sunt oculi tui, soror mea sponsa.* Hortus [5]): *hortus conclusus, fons signatus.* Filia [6]): *audi filia et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris tui, et concupiscet rex pulcritudinem tuam. Multae* [7]) *filiae acquisierunt divitias, multae fecerunt virtutem; tu autem emines, supergressa es universas.* Nubes [8]): *ecce Dominus sedebit super nubem levem, et veniet in Aegyptum, et concutientur manufacta Aegypti.* Visio [9]): *vidi visionem ignis, et splendor eius in circuitu, velut visio arcus quum fuerit in nube in diebus pluviae. Haec visio similitudinis gloriae Domini.* Electrum [10]): *et vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis.* Dies [11]): *dies diem eructat verbum.* Caelum [12]): *de caelo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum. Caelum caeli Domino.* Oriens [13]): *regna terrae cantate Deo, psallite Domino qui ascendit super caelum caeli ad orientem.* Occasus [14]): *iter facite Domino, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.* Sol [15]): *in sole posuit tabernaculum suum, et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.* Civitas [16]): *gloriosa dicta sunt de te civitas Dei. Fluminis impetus laetificat civitatem Dei, Deus in medio eius, et non commovebitur.* Later [17]): *et tu fili hominis sume tibi laterem, et pones eum ante faciem tuam, et describes in eo civitatem Hierusalem, et dabis super eam obsidionem.* Locus [18]): *quam terribilis est locus iste, non est hic aliud nisi domus Dei, et haec porta caeli.* Et [19]) *assumpsit me spiritus, et audivi post me vocem commotionis magnae. Benedicta* [20]) *gloria Do-*

1) Is. VIII. 3.
2) Ps. XLIV. 10.
3) Cant. IV. 7.
4) Cant. IV. 10.
5) Cant. IV. 12.
6) Ps. XLIV. 11.
7) Prov. XXXI. 29.
8) Is. XIX. 1.
9) Ezech. I. 27. coll. II. 1.
10) Ps. XVIII. 3.
11) Ps. XXXII. 13.
12) Ps. CXIII. 16.
13) Ps. LXVII. 33.
14) Ps. XVIII. 6.
15) Ps. LXXXVI. 3.
16) Ps. VLV. 6.
17) Ezech. IV. 1.
18) Gen. XXVIII. 17.
19) Ezech. III. 12.
20) Ps. CXXXI. 4.

mini de loco suo. Si dedero somnum oculis meis et palpebris meis dormitationem, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. Vellus [1]): *descendit sicut pluvia in vellus, et sicut gutta stillans super terram.* »

463. Huic typorum imaginumque recensioni, quam Germano in acceptis referimus, alia aeque illustris ac praeclara succedit quam debemus Iohanni damasceno, qui primum Virginem [a]) compellans ait: « Beata es in generationibus generationum, solaque digna quae beata praediceris. Ecce enim te beatam dicunt omnes generationes. Viderunt [2]) te filiae Hierusalem, Ecclesiae inquam, beatamque praedicaverunt reginae, hoc est, iustorum animae, teque in aeternum laudabunt. » Tum continuo [b]) pergit: « Tu enim es *solium illud regium* cui Angeli adstiterunt, suum herum et creatorem cernentes insidentem. Tu *spiritualis* es *Edem*, antiqua illa sanctior ac divinior. In illa siquidem terrenus Adam commorabatur, in te autem Dominus qui de caelo descendit. Te olim *arca* figuravit, in qua secundi mundi semen servatum fuit. Te *rubus* delineavit, *tabulae a Deo exaratae* expresserunt, *legis arca* praenuntiavit, *urna aurea, candelabrum, mensa, virga Aaronis* quae floruit, aperte praesignarunt. Quid? annon te *fornax illa* praemonstravit, cuius ignis

a) Orat. I. in Deiparae Dormit. §. VIII. pag. 863. D. Μακαρία εἶ ἐν γενεαῖς γενεῶν, ἡ μόνη ἀξιομακάριστος· ἰδοὺ γὰρ μακαρίζουσί σε πᾶσαι γενεαί· σὲ εἶδον θυγατέρες Ἱερουσαλὴμ, τῆς ἐκκλησίας λέγω, καὶ ἐμακάρισάν σε αἱ βασίλισσαι, ἤτοι δικαίων ψυχαὶ, καὶ εἰς αἰῶνας αἰνέσουσί σε.

b) Ibid. pagg. 863-864. Σὺ γὰρ εἶ ὁ βασιλικὸς θρόνος, ᾧ παρεστήκεισαν ἄγγελοι τὸν ἑαυτῶν ὁρῶντες δεσπότην, καὶ δημιουργὸν ἐποχούμενον· σὺ Ἐδὲμ νοητὴ κεχρημάτικας τῆς πάλαι ἱερωτέρα καὶ θειοτέρα. κ. τ. λ. In carmine autem pro festo annunciationis Deiparae pag. 691. A-B. opp. T. I. scribit: « Θαυμαστὸν τῷ ἱεροφάντῃ Μωϋσεῖ ἡ βάτος καὶ τὸ πῦρ ἔδειξε τέρας· ζητῶν δὲ τὸ πέρας εἰς διάβασιν χρόνου, ἐν κόρῃ ἁγνῇ ἔφη κατοπτεῦσαι, ἣ ὡς θεοτόκῳ λεχθείη, χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ κύριος μετὰ σοῦ.

Δανιὴλ σε ὄρος καλεῖ νοητὸν, γεννήτριαν θεοῦ ὁ Ἡσαΐας, βλέπει δὲ ὡς πόκον Γεδεὼν, ὁ Δαβὶδ δὲ ἁγίασμα φάσκει, πύλην δέ σε ἄλλος· ὁ δὲ Γαβριὴλ σοι κραυγάζει, χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ κύριος μετὰ σοῦ.

« Admirabile sacrorum interpreti Moysi *rubus et ignis* ostendunt signum. Quaerens autem finem in transitum temporis, in puella pura dixit perspicere, velut Deiparae dicatur: ave gratia plena, Dominus tecum.

« Daniel te *montem* vocat *intelligibilem*, genitricem Dei Esaias: videt autem ut *vellus* Gedeon: David *sacrarium* dicit: *ianuam* vero te alius: Gabriel autem tibi clamat: ave gratia plena, Dominus tecum. »

1) Ps. LXXI. 6. 2) Cant. VI. 8.

roridus simul ac flammeus erat; quae divini ignis in te habitantis figuram praeferebat? Quin Abraham *tabernaculum* te manifestissime significabat. Deo quippe Verbo in utero tuo velut in tabernaculo degenti, humana natura subcinericium panem, sui primitias ex purissimo sanguine tuo obtulit, divino igne coctas, panemque factas, in divina eius persona subsistentes et ad veram corporis anima rationali et intelligentia instructi existentiam venientes. Parum abfuit quin me *Iacob scala* praeteriret. Quid enim an non cuivis perspicuum est, te ea praesignatam figuratamque esse? »

« Quo loco praeconia Prophetarum ponam? An non ad te referenda, siquidem ea vera esse ostendere velimus? Quodnam est *dominicum illud vellus,* in quod regis omnium Dei Filius, qui Patri coaeternus est, eiusque regni consors, pluviae instar descendit? An non tu perspicue? Quaenam item *ea virgo,* quam Esaias provido spiritu in utero habituram, Deumque qui nobiscum foret, parituram praedixit? Quid *mons ille* Danielis, ex quo lapis angularis Christus sic abscissus fuit, ut viri scalprum non subierit? nonne ipsa es, quae nullo semine suscepto peperisti, ac rursus Virgo permansisti? Veniat divinissimus Ezechiel, *clausamque portam* ostendat, Domino perviam nec tamen apertam, quemadmodum prophetico instinctu praenuntiavit. Dicta sua eventu comprobata monstret. Te dubio procul ostendet, per quam transiens qui super omnia Deus est, assumta carne, virginitatis portam nequaquam aperuit. Signaculum quippe in aeternum perseverat. » Nescio autem an non aeque insignia haec sint quae [a]) habet Theodorus studita inquiens: « Age vero

a) Orat. VI. in Deiparae dormit. n. 4. pagg. 58-60. apud Mai in nov. pp. Biblioth. T. V. P. III. Ἀλλ᾽ οἷα πρὸς αὐτὴν, εἴτε ἀφ᾽ ἑαυτῶν, εἴτε παρὰ τῶν προφητικῶν στομάτων ἐκλεξάμενοι οἱ μακάριοι ἀπόστολοι; Χαίροις, φησὶ, κλίμαξ ἐστηριγμένη ἀπὸ γῆς εἰς οὐρανὸν, δι᾽ ἧς ἡ καθ᾽ ἡμᾶς κάθοδος, καὶ ἡ εἰς οὐρανοὺς ἄνοδος γέγονε τοῦ κυρίου, κατὰ τὸν μέγαν πατριάρχην Ἰακώβ· χαίροις βάτε παραδοξοειδέστατε, ἐξ ἧς ἐπεφάνη ἄγγελος κυρίου ἐν φλογὶ πυρὸς, ἥνπερ κατακαῖον τὸ πῦρ οὐ κατέκαιεν, κατὰ Μωϋσέα τὸν θεοπτικώτατον· χαίροις ὁ θεόδεκτος πόκος, ἐξ ἧς ἀπεῤῥύη ὁ οὐράνιος δρόσος πλήρης λεκάνη ὕδατος, κατὰ Γεδεὼν τὸν θαυμασιώτατον· χαίροις πόλις βασιλέως τοῦ μεγάλου, ἣν οἱ βασιλεῖς θαυμάζοντες μεγαλύνουσι, κατὰ Δαβὶδ τὸν ᾀσματόγραφον· χαίροις ἡ νοητὴ Βεθλεὲμ, ὁ οἶκος τοῦ Ἐφραθᾶ, ἐξ οὗ ἐξελήλυθεν ὁ βασιλεὺς τῆς δόξης τοῦ εἶναι εἰς ἄρχοντα ἐν τῷ Ἰσραὴλ, οὗ αἱ ἔξοδοι ἀπ᾽ ἀρχῆς ἐξ ἡμερῶν αἰῶνος, κατὰ Μιχαίαν τὸν θειότατον· χαίροις τὸ κατάσκιον παρθενικὸν ὄρος, ἐξ οὗ ὁ ἅγιος τοῦ Ἰσραὴλ ἐπεφάνη, κατὰ Ἀμβακοὺμ τὸν θεοβόητον· χαίροις λυχνία χρυσοειδέστατε καὶ φωτοφόρε, ἐξ ἧς περιέλαμψε τοῖς ἐν σκότει καὶ σκιᾷ θανάτου καθημένοις τὸ ἀπρόσιτον φῶς τῆς θεότητος, κατὰ Ζαχαρίαν τὸν θεσπέσιον· χαίροις τὸ παγκόσμιον ἱλαστήριον τῶν βροτῶν, δι᾽ οὗ ἀπὸ ἀνατολῶν ἡλίου

quid Virgini responderunt sive propriis *sive prophetarum verbis* beati apostoli? Ave [1]) aiebant, scala a terra in caelum protensa, per quam Domini ad nos descensus, et in caelum reditus fuit, ut Iacob patriarcha vidit. Ave rube mirabillime, ex quo angelus Domini apparuit in ignis flamma, quem ardens ignis non amburebat, sicut summo Dei spectatori Moysi ostensum est. Ave Deo gravidum vellus, ex quo caelestis ros defluxit, immo plenus aqua catillus, quod admirabili coutigit Gedeoni. Ave civitas regis magni, quam admirabundi reges magnificant, et hymnographus David delineat. Ave intellectualis Bethlehem, domus Ephratha, ex qua egressus est Rex gloriae ut fieret princeps in Israhele, cuius exitus ab initio dierum seculi, ut ait divus Michaeas. Salve umbrose mons virginee, ex quo sanctus Israhelis apparuit, ut Habacucus divinitus instinctus clamat. Ave lucerna auro splendens et lucifera, ex qua sedentibus in tenebris et in umbra mortis effulsit inaccessa deitatis lux, secundum divinitus afflatum Zachariam. Ave universale mortalium propitiatorium, per quod ab ortu solis usque ad occasum nomen Domini glorificatur in gentibus, et in omni loco glorificatio nomini eius offertur, sicut ait sanctissimus Malachias. Ave legis nebula, in qua Dominus resedit, ut est apud sacra magnaque voce praeditum Isaiam. Ave sacer mandatorum Domini liber, noviter scripta gratiae lex, per

χαίροις τὸ παγκόσμιον ἱλαστήριον τῶν βροτῶν, δι' οὗ ἀπὸ ἀνατολῶν ἡλίου καὶ ἕως δυσμῶν τὸ ὄνομα κυρίου δεδόξασται ἐν τοῖς ἔθνεσι καὶ ἐν παντὶ τόπῳ θυμίαμα τῷ ὀνόματι αὐτοῦ προσάγεται κατὰ Μαλαχίαν τὸν ἁγιώτατον· χαίροις κούφη νεφέλη, ἐν ᾗ κύριος κεκάθηκε, κατὰ Ἡσαΐαν τὸν ἱεροφωνότατον· χαίροις ἱερὰ βίβλος τῶν προσταγμάτων κυρίου, καὶ ὁ νεοχάρακτος νόμος τῆς χάριτος, δι' ἣν τὰ ἀρεστὰ θεῷ, ἡμῖν γνωστά ἐστι κατὰ Ἱερεμίαν τὸν πολυθρηνότατον· χαίροις πύλη κεκλεισμένη, δι' ἧς κύριος ὁ θεὸς τοῦ Ἰσραὴλ εἰσελήλυθεν καὶ ἐξελήλυθεν κατὰ Ἰεζεκιὴλ τὸν θεοπτικώτατον· χαίροις τὸ ἀλάξευτον χειρούψηλότατον ὄρος, ἐξ οὗ ὁ ἀκρογωνιαῖος ἀποτέτμηται λίθος κατὰ Δανιὴλ τὸν θεολογικώτατον.

1) Em. editor in subiecta adnotatione sic habet: « Imitatur Theodorus sanctum Cyrillum alexandrinum in oratione de b. Maria opp. T. V. part. 2. pag. 379. Dicerem imitari quoque Damascenum; nisi nuper pag. 54. in adnotatione monuissem lectores, orationem illam de nativitate b. Mariae, editam inter damascenicas, Theodorum potius habere parentem, teste etiam codice vaticano 455. » In ea porro adnotatione ad quam provocat, scribit: « In codice prisco vat. 455. f. 226. b. legitur alia oratio cum hoc titulo: τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν Θεοδώρου τοῦ νέου ὁμολογητοῦ εἰς τὸ γενέθλιον τῆς ὑπεραγίας θεοτόκου, ἐν ᾧ τὸ ἑξήκοντα χαῖρε: *sancti patris nostri Theodori, novi confessoris* (idest Studitae), *in nativitatem sanctissimae Deiparae, ubi sexaginta ave.* Incipit. Λαμπρῶς πανηγυρίζει ἡ κτίσις σήμερον: *splendide hodie solemnitatem agit creata natura.* Equidem vix dubito quin praedicta oratio Studitae nostri sit: sed quia sub s. Iohannis damasceni nomine edidit eam Lequienius opp. T. II. p. 849. seqq., a me praetermitti debuit. »

quam Deo placita nobis innotescunt, prout luctuosissimus ait Hieremias. Ave ianua clausa, per quam Deus Israhelis ingressus est, sicut summus Dei speculator Ezechiel scribit. Ave nulla manu laborate mons celsissime, ex quo angularis abscissus fuit lapis, sicut ait summus theologus Daniel. » Quibus tam Germani quam Iohannis damasceni et Theodori studitae conspirantibus testimoniis illustriores typi et symbola pleraque omnia ex maiorum sententia Deiparam praemonstrantia continentur.

ARTICULUS III.

De singulari Deiparae praestantia eiusque sanctitate cuiusvis inscia labis, quae cum descriptis typis symbolisque cohaerent.

464. Recoli animo nequeunt descripti typi, commemorataque Deiparae symbola, quin tres eorumdem conditiones qualitatesque continuo deprehendantur, cum quibus singularis Deiparae praestantia eiusque sanctitas nullo umquam infecta naevo penitissime devinciuntur. Has ego qualitates conditionesque ex ordine expendam, intimumque aperiam nexum quo cum ea Virginis praestantia eaque sanctitate iunguntur, quam illi asserendam tribuendamque contendimus.

465. Itaque si quid est in universa rerum natura splendidum, si quid penes homines magnificum, et si quid inter ipsos angelos celsum ac sublime; id omne ex patrum iudicio atque sententia non secus ac typus et Deiparae symbolum spectari debet. Sane nihil est in universa rerum natura sive *caelo* grandius sive *sole* splendidius. Atqui et *caelum* et *sol* veluti Deiparae symbola a patribus adhibentur. Nihil est penes homines magnificentius *solio regio, throno et diademate*. Atqui et *solium regium et thronus et diadema* symbolis Deiparae a patribus connumerantur. Denique nihil est inter ipsos angelos vel *Cherubim sublimius* vel *celsius Seraphim*. Atqui *et Cherubim et Seraphim* tamquam umbrae et symbola Deiparae a patribus frequentantur. Quid ergo consequens esse arbitrabimur? Scilicet praestantiam excellentiamque Deiparae, quae horum omnium antitypus est atque exemplar, tantam esse ut id omne longissime praetergrediatur et vincat quod in natura eminet, quod apud ho-

mines fulget, et quod inter ipsos quoque angelos splendescit atque emicat.

466. Ad haec quidquid sancti, quidquid puri, quidquid illibati, et quidquid a vestigio quolibet sive labis sive maculae seiuncti umquam fuit in iudaico cultu et in mosaica religione; id omne a patribus inter typos refertur qui Deiparam praesignaverint. Inter eiusmodi namque typos refertur *Templum,* refertur *Altare,* refertur *Tabernaculum,* refertur *Urna,* refertur *Candelabrum,* refertur *Virga sacerdotalis,* referuntur *tabulae Testamenti,* et ipsa quoque referuntur *Sancta sanctorum.* Quaenam igitur erit puritas, quae innocentia, quaeve Deiparae sanctitas? Principio quidem talis quae typis eam praemonstrantibus respondeat. Deinde vero talis quae sanctitate et munditia typorum iure potior videatur. Haec enim est exemplaris et antitypi dignitas ut dotem typo praesignatam illique inhaerentem multo nobilius complectatur ac possideat. Atqui Deiparae innocentia et sanctitas neutri conditioni faceret satis, si non prius ipsa fuisset innocens quam noxia, si non prius pura quam infecta, neque prius sancta quam peccati labe profana. Ea igitur puritas eaque sanctitas Deiparae adscribatur oportet, quae ab omni culpae sorde immunis semper fuerit atque soluta.

467. Quod similiter postulat altera qualitas, quae proprios Deiparae typos comitatur. Horum namque numero, si patribus credimus, typi quoque censentur ex iis ducti, quae originalem praevaricationem universalemque ruinam antecesserunt. Et eiusmodi profecto sunt hinc quidem *Eden,* inde vero *terra illa virgo,* e qua protoparentis corpus conditum fuit atque formatum. Sed potuisset ne Deipara hisce typis adumbrata a patribus existimari, si non antea fuisset concepta quam peccato obligata, et si ex sua origine fuisset terra maledicta et prorsus a Paradiso separata? Nemo id dixerit, immo vero ne mente quidem cogitarit. Typologia ergo Deiparae comparata sic est, ut non splendide minus quam necessario universim demonstret, illius innocentiam numquam maculis fuisse obnoxiam, et illius puritatem numquam peccati sordibus fuisse corruptam.

CAPUT II.

De typis ex sacris Iudaeorum rebus ad Deiparam praesignandam depromptis: eorumdem apud patres explicationes: tum vero quam praeclare ex typis iuxta illorumque explicationibus omnimoda et cuiusvis exsors labis innocentia Deiparae comprobetur.

468. Si qui legerint Pauli epistolas, hi facile animadvertent solemne [1]) Apostolo fuisse ex sacris Iudaeorum rebus imagines typosque mutuari, quibus christianam oeconomiam praesignatam et supremis quibusdam adumbratam lineis ostenderet. Immo facile [2]) animadvertent, ne scriptoribus quidem prioris foederis insolens aut rarum fuisse ex eodem fonte praestantissima quaeque derivare, quibus divina, caelestia et a communi usu remota atque seiuncta quo splendidius possent illustrarent. Neque profecto mirum, quum Israelitis nihil foret augustius nihilque iis sanctius, quae ad religionem, ad cultum, ad templum, ad sacerdotium, sacrasque ceremonias pertinerent. Ex hoc autem ipso rerum sacrarum veluti campo insignem quamdam typorum copiam Deiparam praemonstrantium maiores nostri collegerunt, illosque eo studio eaque cura explanarunt, ut suam mentem suamque fidem de singulari Deiparae dignitate eiusque innocentia omnibus expleta numeris evidentissime significarint. Hos typos, traditasque eorumdem a patribus explanationes praesenti capite complectemur, eoque spectabimus ut omnes intelligant atque oculis propemodum usurpent, censeri Deiparam non posse cuivis obnoxiam culpae, quin stata apud maiores doctrina labefactetur.

ARTICULUS I.

De typis ex Templo, Tabernaculo, Altari, Propitiatorio, Victimisque desumptis eoque ex patrum sententia pertinentibus ut Deipara cuiusvis expers maculae praemonstrata videatur.

469. Quemadmodum in Israelitarum religione atque cultu prae reliquis omnibus emincbat Templum, atque omnia ad ipsum

1) Coloss. II. 16-17 Hebr. IX. 9. seqq., X. 1. Lege Danielis Huetii Demonstrat. evangelic. Proposit. VII-IX. cap. CLXX.

2) Quod prae ceteris eleganter docuerant Ro-

referri Templum videbantur; ita typus omnino nullus ex sacris Israelitarum rebus desumptus praeponi illi debet qui Templo ipso continetur. De hoc autem typo, quo praesignatam Deiparam patres existimarunt, Iohannes damascenus [a]) sic habet: « Sileat sapientissimus Salomon, nihilque iam [1]) sub caelo novum esse inficietur. O Virgo divinis gratiis affluens, Templum Dei sanctum, quod spiritalis Salomon, ille princeps pacis, abs se constructum inhabitavit: Templum non auro decoratum, sed auri loco Spiritu fulgens. » Et [b]) alibi: « Ave Templum, purissime fabricata domus Domini, de qua [2]) David ait: sanctum est Templum tuum, mirabile in iustitia. » Et [c]) rursum. » Ave Dei domus divinis effulgens splendoribus, domus gloria Domini plena, praeque ignitis Seraphim spiritu lucentior. »

470. Cum his vero apte conspirant quae Gabrieli Deiparam alloquenti Hesychius [d]) tribuit scribens: « Quoniam a concubitu nuptiali munda es, quoniam Templum incorruptum et tabernaculum ab omni sorde liberum conservasti; et Pater hospitatur apud te, et Spiritus sanctus obumbrat, et assumpta carne Unigenitus ex te nascitur. » Neque ea minus apte conspirant quae de Anna habet [e])

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 848. B-C. Σιγάτω Σολομὼν ὁ σοφώτατος, καὶ μὴ λεγέτω, μηδὲν καινὸν ὑπὸ τὸν ἥλιον· ὦ παρθένε θεοχαρίτωτε, ναὸς Θεοῦ ἅγιος, ὃν ὁ πνευματικὸς Σολομὼν, ὁ εἰρηνάρχης κατασκευάσας κατῴκησεν, οὐ χρυσῷ καλλωπιζόμενος, ἀλλ' ἀντὶ χρυσοῦ λάμπων τῷ πνεύματι.

b) Orat. II. in Deiparae nativit. pag. 854. C. Χαῖρε ναὲ, τὸ καθαρότευκτον κυρίου δῶμα, περὶ οὗ φησὶν ὁ Δαβίδ· ἅγιος ὁ ναός σου, θαυμαστὸς ἐν δικαιοσύνῃ.

c) Ibid. pag. 854. D. Χαῖρε οἶκος Θεοῦ, ὁ θείαις ἀγλαΐαις ἐκλάμπων δόμος, ἡ πλήρης δόξης κυρίου, καὶ τῶν πυρίνων Σεραφὶμ φωτοειδεστέρα ἐν πνεύματι.

d) Orat. in Deiparam pag. 424. B. in biblioth. graeco-lat. vet. pp. T. II. Ἐπειδὴ καθαρὰ τυγχάνεις κοίτης γαμικῆς, ἐπειδὴ τὸν ναὸν ἄφθαρτον καὶ τὴν σκηνὴν ῥύπου παντὸς ἐλευθέραν ἐτήρησας· καὶ ὁ πατὴρ ἐπιδημεῖ σοι, καὶ τὸ πνεῦμα ἐπισκιάζει, καὶ μετὰ σαρκὸς ἐκ σοῦ ὁ μονογενὴς τίκτεται.

e) Orat. in Deiparae concept. pag. 12. B. Καὶ εἶπεν αὐτὴ ἡ μακαρία Ἄννα· προσάξω αὐτὴν δῶρον κυρίῳ τῷ Θεῷ μου· ἴδε οὖν σαφῶς τῇ τριάδι λειτουργοῦντας Μαριὰμ καὶ Ἄνναν καὶ τὸν Ἰωακείμ· τεχθείσης γὰρ τῆς παιδὸς καὶ προκοπτούσης ἡλικίᾳ, οὐ προσήγαγον αὐτὴν διετῆ, οὐδὲ πάλιν τετραετῆ, ἀλλὰ τριετῆ, ὡς τριάδος ἀχωρίστου νύμφην καὶ παστάδα ἀμίαντον κοινῶς προσήγαγον αὐτὴν, ὡς μελλούσης αὐτῆς ἀμφότερα εἶναι· πρῶτον μὲν δῶρον τῷ θεῷ προσηνέχθη· ἔπειτα δὲ καὶ ναὸς καὶ θρόνος· προφητικῶς οὖν προσήγαγον τὴν παρθένον· ὢ τοῦ θαύματος· ὁ ἔμψυχος ναὸς καὶ θρόνος χερουβικὸς εἰς ναὸν ἐκ λίθων κατασκευασμένον προσφέρεται.

bertus Lowth de sacra Hebraeorum poesi, Praelect. VIII. quae est *de imaginibus ex rebus sacris*, et Herderus de poes. hebr. indole part. II.

1) Eccl. I. 10.

2) Ps. LXIV. 5.

Iohannes euboeensis antistes his verbis: « Et ipsa beata Anna dixit: afferam illam (Virginem) donum Domino Deo meo. Habes igitur Annam et Ioachim perspicue sacrificium Triadi offerentes Mariam. Editam enim in lucem puellam atque aetate progredientem obtulerunt, non bimulam nec item quadrimam, sed trimulam, tamquam Triadis indivisae sponsam et thalamum immaculatum ipsam communiter adduxere, quippe quae utrumque erat futura, primum quidem Deo oblatum donum, deinde vero et templum et thronus. Igitur fatidice Virginem adduxerunt. O rem plane miram! Animatum templum affertur et cherubicus thronus in Templum lapidibus exaedificatum. » Et [a]) aliquot interiectis: « Maria Templo offertur, et puella tenerrima novum templum consurgit, templum illa quidem Deum excipiens, nec templum modo, verum et cherubicus thronus. Genita e stirpe Davidis in sublime efferetur, et Iudaeorum Templum dissipabitur. »

471. Hinc qui [b]) Epiphanii nomine citari solet, Deiparam sistit ita loquentem: « Ego Virgo incorrupta quae in utero gestavi, effecta sum templum immaculatum habitantis in me Verbi Dei nuptiarum expertis. » Hinc [c]) Basilius seleuciensis angelicae salutationi, *Dominus tecum*, hunc subiicit commentarium: « Quoniam templum existis vere Deo dignum. » Hinc Gregorius nazianzenus [d]) scribit: « Versatur in ore non paucorum hic sermo, scilicet e sinu Virginis ortum esse Deum hominem, quem Spiritus magni Dei coagmentavit, templo templum sanctum exstruens. Mater enim Christi templum, Christus autem Verbi. » Hinc [e]) Georgius nicomediensis in

a) Ibid. pag. 14. B. *Μαριὰμ τῷ ναῷ προσφέρεται, καὶ νέος ναὸς ἡ νεακόρη ἀνίσταται· θεοδόχος ναὸς, καὶ οὐ μόνον ναὸς, ἀλλὰ καὶ θρόνος χερουβικός· ἡ ἐκ Δαυὶδ βλαστήσασα ἀναδειχθήσεται, καὶ ὁ ναὸς τῶν Ἰουδαίων καταλυθήσεται.*

b) Orat. de laudibus Deiparae pag. 297. A. inter opp. Epiphanii T. II. *Ἡ κοιλιοφορήσασα παρθένος ἐγὼ ἄφθαρτος, ναὸς ἀμόλυντος γέγονα τοῦ ἐνοικήσαντος ἐν ἐμοὶ λόγου θεοῦ ἀπειρογάμου.*

c) Orat. in Deiparam pag. 591. B. apud Combefisium Auctar T. I. *Ἐπειδὴ ναὸς ὑπάρχεις ὄντως ἀξιόθεος.*

d) Carm. VIII. ad Nemesium vv. 180-184. pag. 1080. opp. T. II.

Ἔστι μὲν οὐκ ὀλίγοισι καὶ ὃς λόγος, ὡς ἀπὸ κόλπων
Παρθενικῶν βλάστησε θεὸς βροτὸς, ὃν συνέπηξε
Πνεῦμα θεοῦ μεγάλοιο, ναῷ ναὸν ἁγνὸν ἐγείρων.
Μήτηρ γὰρ Χριστοῖο ναὸς, Χριστὸς δὲ λόγοιο.

e) Orat. in Deiparae ingress. in Templum pag. 1099. C-D. apud Combefisium Auctar. T. I. *Εἰσάγαγε τὴν πόλιν τοῦ θεοῦ τὴν ἔμψυχον, τοῖς ὁρμήμασι αὐτοῦ εἰς αἰῶνα εὐφραινομένην·*

praeclara oratione qua Templum compellans ait: « Induc animatam Dei civitatem, quam eius [1]) perpetuo impetus incitamentaque laetificant: sanctificatum inquam illud tabernaculum, domum gloriae, indissolubile templum, cuius tu figura ac symbolum exsistis. Quod sis exspectans veram manifestationem, eam modo tenes. Eam intus suscipiens, tamquam meliori concede. Siste hactenus quae sunt symbolica, ne ultra aenigmatis haereas. Quamdiu umbris animum intendis? Quamdiu pro littera gloriaris? Ecce iam illuxerunt radii gratiae: ecce qui in spiritum transferat quae sunt litterae. » Quibus simillima tradunt [2]) Hildephonsus toletanus, antiquus auctor [3]) libri de ortu et obitu patrum, Petrus Damiani [4]), et ipso vetustior [5]) Venantius Fortunatus qui beatum Martinum his verbis alloquitur:

» Cernis et egregiam speciosa luce Mariam.
» Vidisti templum Domini diademate fultum,
» Vidisti thalamum sponsi super omnia pulcri.

Hinc [a]) Psellus Deiparam extollens inquit: « Templum et thronus et arca omnium Regis et Dei tu es, laudatissima Domina, sola Deipara, nostri propitiatorium qui sub tuam umbram confugimus. » Hinc [6]) Armeniorum Ecclesia canit: « Templum incorruptibile Verbi Patris benedicunt chori spirituales; nos quoque laudamus consonantes caelestibus. » Et rursum, praeeunte [7]) Nersete claiensi: « Salve templum Verbi Dei, quae tristitiam progenitricis Evae abstulisti. » Hinc quae eodem pertinentia habentur tum [8]) apud Syros, tum pe-

τὸ ἡγιασμένον σκήνωμα· τὸν οἶκον τὸν ἔνδοξον· τὸν ναὸν τὸν ἀκατάλυτον, οὗ τύπος καὶ σύμβολον αὐτὸς καθέστηκας· τὴν ἀληθῆ περιμένων φανέρωσιν, ταύτην ἤδη κατέχεις· ταύτην ἔνδον εἰσάγων, παραχώρησον ὡς κρείττονι· στῆσον ἕως τούτου τὰ τῶν συμβόλων· παῦσον τὰ τῶν αἰνιγμάτων· μέχρι τίνος τῇ σκιᾷ προσανέχεις; μέχρι τίνος ἐγκαλλωπίζῃ τῷ γράμματι; ἰδοὺ αἱ τῆς χάριτος ἀκτῖνες ἐπέλαμψαν· ἰδοὺ τὰ τοῦ γράμματος εἰς τὸ πνεῦμα μετέστησαν.

a) Penes Allatium de Symeon. scriptis pag. 240. Ναὸς καὶ θρόνος καὶ κιβωτὸς τοῦ παμβασιλέως καὶ Θεοῦ σὺ εἶ, πανύμνητε δέσποινα, μόνη Θεοτόκε, τὸ ἱλαστήριον ἡμῶν τῶν προσφευγόντων ὑπὸ τὴν σκέπην σου.

1) Ps. LXXXVI. 2.

2) Serm. I. in Virginis assumpt. pag. 670. col. 1. A-C. apud Combefis. in Biblioth. PP. concionat. T. VII.

3) De ortu et obitu patrum n. 36. pag. 387. inter opp. Isidori hispalensis T. VII.

4) In offic. b. Virginis pag. 10. col. 2. A. opp. T. IV.

5) De vita s. Martini lib. III. p. 447. opp. T. I.

6) Confess. eccles. armen. pag. 33.

7) Ex hymnario eccles. arm. pag. 1168.

8) E Syrorum monimentis iuverit contulisse quae habentur apud Ephraemum Serm. III. de diversis pag. 607. B-C. opp. syr. T. III., et in offic. Maronit. pagg. 457, 478, 486. ubi Deipara *mundum Domini universorum templum* celebratur.

nes Coptos qui Deiparam [a]) ita salutant: Salve templum Spiritus sancti. » Hinc Graecorum usu [b]) recepta cantica: « Veluti animata arca legis datorem continuisti, et veluti sanctum templum suscepisti Sanctum, o Virgo mater, qui propter suam in homines benevolentiam homo factus est. » Atque hinc [1]) Latinorum hymni precesque [2]), quae eamdem fidem easdemque sententias praeseferunt.

472. Huc igitur redeunt ornamenta Deiparae, ut illam Templum praemonstrarit, ipsa vero fuerit *Templi exemplar atque antitypus, Templum novum, Templum priore longe nobilius, Templum immaculatum, indissolubile, spiritu fulgens, plenum gloria Domini, a Deo exstructum, purissime fabricatum, Templum sanctum Sancti, Seraphim splendidius, novum sub caelo atque vere Deo dignum.* Iamvero sunt ne ista eiusmodi quae ferant, ut Deiparae origines censeantur immundae, ut eius primordia habeantur infecta, et ut ipsa culpae tenebris aliquando obvoluta existimetur? Nisi communes rerum notitiae funditus pervertantur, sicuti haec componi mutuo non possunt, ita non alia credi Deipara debet, nisi quae iustitiae luce semper effulserit.

473. Quae quidem omnia iis egregie confirmantur quae tum Patres tradunt quum Deiparae typis *Tabernaculum* accensent, eiusque vim potestatemque explanando declarant. Sic enim inter ceteros habet [c]) Georgius nicomediensis ubi praesentationem Deiparae in

a) Theotoch. pag. 206. tetrast. II.
Χερε πιερφει ῆτε πιπνευμα εθουαβ

b) Antholog. pag. 183. col. 1. C-D., Octoech. pag. 10. col. 2. A. et Men. die I. Octobris Ode ϛ'. pag. 6. col. 2. B. Ὡς ἔμψυχος κιβωτὸς τὸν νομοδότην ἐχώρησας· ὡς ἅγιος δὲ ναὸς ἐδέξω τὸν ἅγιον, ἄνθρωπον γενόμενον ἐπ' εὐεργεσίᾳ τῶν ἀνθρώπων, μητροπάρθενε.

c) Orat. in Deiparae praesentat. pag. 1090. A-C. apud Combefisium Auctar. Tom. I. Σήμερον τῷ ναῷ προσάγεται ὁ ναὸς ὁ ἔμψυχος· ὁ τῶν οὐρανῶν ὑψηλότερος, καὶ πάσης τῆς κτίσεως εὐρυχωρότερος· σήμερον τῷ ναῷ ἐνοικίζεται ἡ τὴν ἀποικίαν τοῦ ἀνθρωπείου γένους πρὸς τὴν ἰδίαν ἑστίαν διὰ τοῦ τόκου ἀναγάγουσα· σήμερον ἡ νοητὴ σκηνὴ τῇ νομικῇ τάξει τῆς χάριτος εὐαγγελίζεται, καὶ τῷ γράμματι ὑποχωρεῖν τῷ πνεύματι διακελεύεται· σήμερον τὸ δοχεῖον τοῦ πνεύματος ἐν τῷ ναῷ ἀποτεθὲν, πρὸς ὑποδοχὴν τοῦ λόγου ἐξευτρεπίζεται· οὐδὲ γὰρ ἔδει τοῖς ῥύποις τοῦ κόσμου τὸ καθαρώτατον συνδιαιτᾶσθαι σκήνωμα· ἀλλὰ πρὸς τὸν ἄμεμπτον μεταβλεθὲν χῶρον, ἐκεῖ τὰ τῆς χαρᾶς ὑποδέξασθαι προοίμια.

1) Thesaur. hymnolog. T. I. pag. 12. et T. II. pag. 92.

2) Harum specimen peti potest ex Missali gothico apud Muratorium liturg. rom. T. II. pagg. 521-549., et ex Missali mozarabico apud Lesleum T. II. pag. 363. col. 2., D. ubi Deipara *templum, sacrumque Unigeniti templum* dicitur.

Templo describit: « Hodie animatum templum in Templo offertur, templum inquam excelsius caelis, toto creatorum ambitu latius atque capacius. Ea hodie in Templo collocatur, quae exsul humanum genus, per eum quem genuit, in proprias sedes reduxit. Hodie spiritale tabernaculum fausta nuncia gratiae legali ordini perfert, iubetque litterae ut locum cedat spiritui. Hodie vasculum Spiritus in Templo depositum suscipiendo Dei Verbo aptatur. Neque enim decebat, ut tabernaculum illud mundissimum in mundi sordibus versaretur; sed ut in irreprehensibilem translatum locum primos illic gaudii gustus susciperet. » Dum vero Templum [a]) alloquitur in quo versari Deipara debebat, ait: « Orna [1]) Sancta sanctorum, ac praesanctum illud tabernaculum suscipe, tabernaculum inquam, immaterialis substantiae capax, quo [2]) fuit erectum tabernaculum nostrum quod ceciderat, quo destructum proavi David tabernaculum, excitatum est, quo membra nostra per praevaricationem dissoluta, ad propriam integritatem commissa sunt. »

474. Consonat [b]) Ephraemus a quo Virgo dicitur « Sanctum tabernaculum, quod spiritalis Beseleel aedificavit. » Consonat Proclus qui expendens verba [3]) Petri *faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum et Eliae unum*, caelestem Patrem ita loquentem [c]) inducit: « Ecce nunc quoque tabernaculum vis Christo erigere, quale Moysi et Eliae? Christo, inquam, tabernaculum, qui una mecum [4]) extendit caelum? Tabernaculum ei qui mecum pariter fundavit terram? Tabernaculum ei qui quod elegit tabernaculum, virginalem nimirum uterum, accepit? » Consonat [d]) Modestus qui de

a) Orat. in Deiparae ingres. in Templum p. 1095. C-D. apud Combefisium Auctar. T. I. Κόσμησον τὰ τῶν ἁγίων ἅγια, καὶ τὴν ὑπεραγίαν σκηνὴν ὑπόδεξαι, τὴν χωρητικὴν τῆς ἀΰλου οὐσίας· τὴν τὸ πεπτωκὸς ἡμῖν ἀναστήσασαν σκήνωμα· τὴν τοῦ προπάτορος Δαβὶδ περιῃρημένην σκηνὴν ἀνεγείρασαν· δι' ἧς τὰ διαλελυμένα τῇ παραβάσει ἡμῶν μέλη πρὸς τὴν ἰδίαν ἡρμόσθη ὁλότητα.

b) Precat. IV. pag. 529. opp. graec. T. III. Σκηνὴ ἁγία, ἣν ὁ πνευματικὸς Βεσελεὴλ ἐτεκτήνατο.

c) Orat. in Dominic. transfigurat. §. III. pag. 651. B-C. apud Gallandium Tom. IX. Ἰδοὺ καὶ νῦν σκηνὴν ἐγεῖραι θέλεις τῷ Χριστῷ, ὁμοίαν Μωϋσεῖ καὶ Ἠλίᾳ; σκηνὴν τῷ Χριστῷ, τῷ ἅμα ἐμοὶ ἐκτείναντι τὸν οὐρανόν; σκηνὴν, τῷ ἅμα ἐμοὶ θεμελιώσαντι τὴν γῆν; σκηνὴν, τῷ λαβόντι σκηνὴν, ἣν ᾑρετίσατο γαστέρα παρθενικήν;

d) Encom. in Deiparam pag. 25. Σήμερον ἡ τὸν Θεὸν καὶ δεσπότην οὐρανοῦ καὶ γῆς

1) Hebr. IX. 3.
2) Amos. IX. 11.
3) Luc. IX. 33.
4) Is. XLIV. 24

Virgine in caelos recepta inquit: « Hodie rationale tabernaculum, quo mirum in modum exceptus est in carne Deus et Dominus caeli et terrae, ab eo compositum est et consecratum; ut sit in aeternum incorruptibilitatis consors cum ipso [1]) ad fortem protectionem et salutem tutelamque nostrum omnium Christianorum. » Hinc praeclarum [2]) Pseudo-Hieronymi effatum: « Christus in Maria, quasi sponsus in thalamo, et corpus Mariae quasi tabernaculum. »

475. Ceterum praeteriri non debent quae Iohannes euboeensis [a]) his verbis complectitur: « Ait enim [3]) propheta, et erigam tabernaculum Davidis quod cecidit et illius ruinas iterum aedificabo. Ecce erigitur [4]) tabernaculum Davidis in conceptione et nativitate filiae eius. » Neque haec praeteriri debent quae de oeconomia Verbi loquens [b]) Dionysius alexandrinus contra Paulum samosatenum scribit: « Non in servo *(Unigenitus)* inhabitavit, sed in sancto suo tabernaculo [5]) non manufacto, quod est Deipara Maria. » Sanctum revera tabernaculum, de quo [c]) Graeci in officio pro funere monachorum inquiunt: « Diversorium Deo dignum [6]) exstitisti, sanctissima. » Et de quo [7]) Arnoldus carnotensis ait: « Ecce tabernaculum Dei habens intra se Sanctum sanctorum, virgam signorum, tabulas testamenti, altare incensi, ambo Cherubim respicientia in alterutrum,

ὑπερφυῶς δεξαμένη λογικὴ σκηνὴ κατὰ σάρκα, συνέσταλται καὶ καθίδρυται σύσσωμος ὑπ᾽ αὐτοῦ ἐν ἀφθαρσίᾳ εἶναι σὺν αὐτῷ αἰωνίως, εἰς σκέπην κραταιὰν καὶ σωτηρίαν καὶ προστασίαν ἡμῶν ἁπάντων χριστιανῶν.

a) Orat. in Deiparae concept. pag. 10. Φησὶ γὰρ ὁ προφήτης· καὶ ἀναστήσω τὴν σκηνὴν Δαυὶδ τὴν πεπτωκυῖαν· καὶ ἀνοικοδομήσω τὰ κατεσκαμμένα αὐτῆς· ἰδοὺ ἀνίσταται ἡ σκηνὴ Δαυὶδ ἐν τῇ συλλήψει καὶ γεννήσει τῆς αὐτοῦ θυγατρός.

b) Epist. adv. Paulum samosat. pag. 261. C. Οὐκ εἰς δοῦλον ἐνῴκησε, ἀλλ᾽ ἐν τῇ ἁγίᾳ αὐτοῦ σκηνῇ τῇ ἀχειροποιήτῳ, ἥ τις ἐστὶν ἡ θεοτόκος Μαρία.

c) Euchelog. pag. 551. D. Ὤφθης ἐνδιαίτημα θεοπρεπὲς, παναγία.

1) Eccl. VI. 14.

2) Comm. in Ps. XVII. 12. pag. 41. inter opp. Hieronymi T. VII. App.

3) Amos. IX. 11.

4) Cuius appellationis auctor quoque est Tarasius, qui orat. in Deiparae praesentat. ipsum vocat τὴν σκηνὴν ἀμίαντον, *illibatum tabernaculum.*

5) De Christo scribit Apostolus Hebr. IX. 11. *Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum*, διὰ τῆς μείζονος καὶ τελειοτέρας σκηνῆς, οὐ χειροποιήτου, τουτέστιν, οὐ ταύτης τῆς κτίσεως, οὐδὲ δι᾽ αἵματος τράγων καὶ μόσχων, διὰ δὲ τοῦ ἰδίου αἵματος εἰσῆλθεν ἐφάπαξ εἰς τὰ ἅγια, *per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, idest, non huius creationis, neque per sanguinem hircorum et vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta.* E quibus liquet 1) corpus tam Deiparae quam Christi eadem phrasi *tabernaculum non manufactum* appellari: propterea vero 2) utriusque corpus hac phrasi efferri, quod praeter et supra naturam exstiterit. Recepto enim penes Hebraeos loquendi usu, ut ex iis constat quae habentur Hebr. VIII. 2, IX. 24, II. Cor. V. 1, Ephes. II. 11, Act. VII. 58. et Marc. XIV. 58, idem valet οὐ χειροποίητον *non manufactum*, ac praeter et supra naturam factum.

6) In funereo autem pro viris secularibus officio pag. 583. E. τὸ πανάγιον τοῦ Θεοῦ σκήνωμα, *sanctissimum* dicitur *Dei tabernaculum.*

7) Orat de laudibus Mariae pag. 1282. B. in Biblioth. Max. PP. T. XXII.

manna, et sine umbra propitiatorium palam expositum. Haec non in figura sed in ipsa veritate sacrarium Virginis in se continebat reposita, exhibens mundo legem et disciplinam, incensionem zeli, castitatis odorem, concordiam testamentorum, panem vitae, inconsumptibilem cibum, sanctitatem et humilitatem et obedientiae holocaustum, poenitentiae omnibus tutum naufragis portum. »

476. Sed audiendus postremo est Iohannes damascenus, qui eximia verborum ubertate et gravissimo sententiarum pondere ea omnia complectitur, quae ad hunc *tabernaculi* typum referuntur. Principio namque [a]) scribit: « Cedat celebratissimum illud tabernaculum quod Moyses ex pretiosa omnigenaque materia in deserto paravit, quin et isto prius illud Abrahae tabernaculum vivo ac rationali Dei tabernaculo. Hoc enim non actionis divinae conceptaculum fuit, sed substantiali modo Filii Deique personae. » Tum [b]) pergit: « Ave tabernaculum, divinitatis polus, ipsis caeli axibus praestantior, ex qua Deus sua ipse persona cum hominibus est conversatus, et ex qua aeterna mundo propitiatio advenit. » His autem ubi assumptae Deiparae triumphum [c]) celebrat, addit: « Quid autem ii, qui sanctissimo sacerrimoque corpori adstabant? Cum tremore ardentique amore et exsultationis lacrymis divinum illud felicissimumque tabernaculum in orbem cingentes amplexabantur et exosculabantur, uullumque non membrum corpori admoventes ex eius contactu sanctitate et benedictione perfundebantur. » Ne quid vero reliquum fecisse videretur, Deiparam praeterea [d]) vocat « Divinissimum tabernaculum, ad quod angeli non sine metu accedunt. » Immo de ipso quoque Virginis sepulchro [e]) scribit: « Sepulchrum

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 845. D. Ὑποκυπτέτω σκηνὴ ἡ περίπυστος, ἣν ἐν ἐρήμῳ Μωσῆς κατεσκεύασεν ἐκ πολυτίμου καὶ παντοδαποῦς ὕλης, καὶ πρὸ ταύτης ἡ τοῦ πατρὸς Ἀβραάμ, τῇ ἐμψύχῳ καὶ λογικῇ σκηνῇ τοῦ θεοῦ· αὕτη γὰρ οὐκ ἐνεργείας θεοῦ ὑπῆρξε δοχεῖον, ἀλλ᾽ οὐσιωδῶς τῆς τοῦ υἱοῦ καὶ θεοῦ ὑποστάσεως.

b) Orat. II. in Deiparae nativit. pag. 854. B. Χαῖρε σκηνή, ὁ θεότητος πόλος, οὐρανοῦ τῶν ἀψίδων προφερεστέρα, ἀφ᾽ ἧς αὐτοπροσώπως ὡμίλησε θεὸς ἀνθρώποις, καὶ ἐξ ἧς τὸν κόσμον ἱλασμὸς ἐπεδήμησεν αἰώνιος.

c) Orat. II. in Deiparae dormit. pag. 875. A. Τί δὲ οἱ παρεστῶτες τῷ παναγίῳ καὶ ἱερωτάτῳ σώματι; φόβῳ τε καὶ πόθῳ, καὶ ἀγαλλιάσεως δάκρυσι τὸ θεῖον καὶ πανόλβιον περιστοιχίσαντες σκήνωμα, περιεπτύσσοντο, κατησπάζοντο, ἅπαν μέλος προσῆγον τῷ σώματι, ἐκ τῆς ἀφῆς ἁγιασμοῦ τε καὶ εὐλογίας πληρούμενοι.

d) Ibid. §. XIII. pag. 876. B. Τὸ θειότατον σκήνωμα, ᾧ δεδιότες προσίεσαν ἄγγελοι.

e) Orat. III. in Deiparae dormit. §. II. pag. 883. D. Οὗτος ὁ τάφος τῆς πάλαι σκη-

hoc antiquo est tabernaculo pretiosius, rationale et animatum ac divinitus illuminatum candelabrum includens, et mensam vitam ferentem, quae non panem propositionis sed caelestem, non ignem materia constantem sed eum qui materia omni superior est deitatis nimirum suscepit. » Quae tanto studio ab Iohanne damasceno inculcata, in ecclesiasticis Coptorum, Graecorumque libris non infrequenter usurpantur. Et ex Coptorum quidem libris haec [a]) insignia sunt: « Te iustam vocant, o benedicta in mulieribus, quia secundum es [1]) tabernaculum quod Sancta sanctorum dicitur. » Neque haec minus insignia videri debent ex Graecorum libris [b]) desumpta: « Divinitus structum tabernaculum, una cum seraphim Sancta sanctorum cooperiens, te, o Virgo, olim Moyses praefiguravit, praemonstrans partum tuum immaculatum, Christum carnem assumpturum. »

477. Auctores igitur sunt patres inter typos umbrasque Deiparae censeri *Tabernaculum* oportere, ipsam vero Deiparam esse *tabernaculum longe mosaico praestantius ac nobilius, tabernaculum caelis excelsius, sanctum, sanctissimum, divinum, divinissimum, eo usque mundum ut eo dignus non fuerit mundus, Deo dignum, non manufactum atque idcirco praeter et supra naturam evectum, aedificatum a spiritali Beseleel, a Deo fixum, quodque cum primum iaceretur, erectum fuit prolapsum Davidis tabernaculum, et universa quae ceciderat hominum natura ad pristinam propriamque ingenuitatem revocata.* Sed nisi verba forte desint, quibus omnimoda Deiparae puritas, eiusque innocentia nullo umquam deturpata naevo significentur; haec profecto eiusmodi sunt quibus splendidiora vix aut ne vix quidem reperiri atque usurpari posse videntur.

νῆς τιμιώτερος, τὴν λογικήν τε καὶ ἔμψυχον, θεοφεγγῆ λυχνίαν δεξάμενος, καὶ τὴν ζωηφόρον τράπεζαν, οὐ καρποὺς προθέσεως, ἀλλ' οὐράνιον· οὐ πῦρ ὑλικὸν, ἀλλ' ἄϋλον δεξαμένην πῦρ τῆς θεότητος.

a) Theotoch. pag. 54. C.

Ϲⲉⲙⲟⲩϯ ⲉⲣⲟ ⲇⲓⲕⲉⲟⲥ, ⲱ ⲑⲏ ⲉⲧⲥⲙⲁⲣⲱⲟⲩⲧ ϧⲉⲛ ⲛⲓϩⲓⲟⲙⲓ, ϫⲉ ϯⲙⲁϩⲥⲛⲟⲩϯ ⲛ̀ⲥⲕⲏⲛⲏ, ⲑⲏ ⲉⲧⲟⲩⲙⲟⲩϯ ⲉⲣⲟⲥ, ϫⲉ ⲑⲏ ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ⲛ̀ⲧⲉ ⲛⲏ ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ⳾

b) Men. die XII. Maii Ode γ'. pag. 51. col. 2. B. et in Offic. quadrag. Sabb. Tyroph. *Σκηνήν σε θεότευκτον προδιέγραψε Μωσῆς, τοῖς Σεραφὶμ συγκαλύπτουσαν ἁγίων τὰ ἅγια, προτυπῶν σου, παρθένε, τὸν τόκον τὸν ἄχραντον Χριστὸν σαρκὶ γεννήσεσθαι.*

1) Eodem titulo Deipara ornatur pagg. 55-56-58-59-63-64-65.

478. Ad lucis tamen accessionem splendorisque incrementum nonnihil conducent quae tradunt patres, quum ad Virginem tamquam eiusdem typos umbrasque traducunt *Altare, Propitiatorium* ac *Victimas,* horumque typorum vim significationemque declarant. Et de typo quidem ex Altari desumpto sic habet [a]) Methodius: « Salve in aeternum indesinens nostra laetitia. Tu nobis festae lucis initium, tu medium, tu finis, pretiosissima regni margarita, vere totius victimae [1]) adeps, animatum panis [2]) vitae altare. Salve dilectionis Dei thesaure: salve fons benevolentiae Filii in hominum genus: salve [3]) Spiritus sancti mons inumbrate. » Quibus iungi ista debent quae Andreas cretensis et Theophanes scribunt de *Mensa,* quae Virginem praesignarit. Ille namque [b]) ait: « Purpurea vestis quae lanam tinxit ineffabilis incarnationis Verbi, thuribulum aureum, mensa in qua panis Christus fuit depositus, Deipara Virgo celebratur. » Theophanes [c]) vero subdit: « Sanctissimum Dei montem et candelabrum et urnam et arcam et mensam, virgam item ac thuribulum, divinumque thronum et portam et templum et thalamum, quotquot divina sapimus, laudemus innocentem illam atque Virginem, ex qua Deus citra mutationem incarnatus est, et supra naturam deificavit quod ineffabili unitione suscepit. » Et de altari quidem ac mensa Virginem adumbrantibus gemina occurrunt [4]) apud

a) De Symeone et Anna pag. 819. A. apud Gallandium T. III. *Χαίροις εἰς ἀεὶ ἡ ἄληκτος χαρά· σὺ τῆς ἑορτῆς ἡμῶν ἀρχὴ, σὺ μεσότης, σὺ τέλος, ὁ πολύτιμος μαργαρίτης τῆς βασιλείας· τὸ ὄντως οὖθαρ πάσης ἁγιαστείας· τὸ ἔμψυχον θυσιαστήριον τοῦ ἄρτου τῆς ζωῆς· χαίροις ἀγάπης θεοῦ θησαυρέ· χαίροις φιλανθρωπίας υἱοῦ πηγή· χαίροις πνεύματος ἁγίου κατάσκιον ὄρος.*

b) Antholog. die IX. Decembris Ode θ'. pag. 183. col. 1. D. *Ἡ πορφυρὶς, ἡ τὸ ἔριον βάψασα τῆς ἀποῤῥήτου τοῦ λόγου σαρκώσεως, τὸ θυμιατήριον τὸ χρυσοῦν, ἡ τράπεζα· ἐν ᾗ ὁ ἄρτος Χριστὸς ἐναπετέθη, ἡ θεοτόκος παρθένος δοξάζεται.*

c) Antholog. die XIX. Ianuarii Ode θ'. pag. 344. col. 1. D. *Ὄρος θεοῦ πανάγιον, καὶ λυχνίαν, καὶ στάμνον, καὶ κιβωτὸν, καὶ τράπεζαν, ῥάβδον τε καὶ πυρεῖον, καὶ θεῖον θρόνον, καὶ πύλην, καὶ ναὸν, καὶ παστάδα ὑμνήσωμεν θεόφρονες τὴν ἁγνὴν καὶ παρθένον· ἐξ ἧς θεὸς σαρκωθεὶς ἀτρέπτως καὶ ὑπὲρ φύσιν ἐθέωσε τὸ πρόσλημμα ἀποῤῥήτῳ ἑνώσει.*

1) In scripturis חֵלֶב *adeps* pro optimo rei cuiusque frequentissime accipitur, Gen. XLV. 18, Num. XIX. 12, XXIX. 30-32, Deut. XXXII. 14. alibi. Etiam apud Graecos *στέαρ πυροῦ pinguedo frumenti aut tritici,* interprete Suida, idem valet ac *κάλλιστον pulcherrimum optimumque frumentum.* Quod ergo Virgo dicitur *vere totius victimae adeps,* summam eiusdem praestantiam demonstrat.

2) Ioh. VI. 48.

3) Ps. LXXXIII. 8.

4) Theotoc. pag. 74. tetrast. 1. Ⲁⲩⲉⲛ ⲡⲓⲗⲁⲥⲧⲏⲣⲓⲟⲛ ϩⲓϫⲉⲛ ϯⲡⲁⲣⲟⲉⲛⲟⲥ.

Coptos, itemque in officio [a]) aquae benedictae minoris in quo legimus: « Salve mons, salve rube, salve porta, salve scala, salve divina mensa, salve Domina cunctorum auxilium. »

479. Immo et ista in eodem [b]) legimus: « Salve, Virgo, mundi propitiatorium, salve urna mannae divinae, salve lucis lucerna tota aurea, o Dei sponsa. » Hinc ea quae scribit [c]) Iohannes damascenus inquiens: « Ave sis praenuntiatum nomen a prophetis, qui a seculo exstiterunt. Ave sis tabernaculum novum purpura varium, quod variorum intextor Beseleel novo opere elaboravit. Ave sis oraculum aureum ex lapidibus et auro textum. Ave sis propitiatorium duobus Seraphim obumbratum. » Hinc quae [d]) Modestus his verbis complectitur: « Ave propitiatorium divinissimum et in Deo fundatum, per quod processit propitiatio mundi universi, salvator Christus Deus. » Hinc quae in Menaeis ex Iosepho [e]) recitantur: « Te mortalium omnium propitiatorium [1]) fide supplico atque deprecor. O benedicta, misericordem in me reddens iudicem filium tuum, effice ut te prout debeo glorificem. » Atque hinc verba [f]) Georgii nicomediensis ubi de oblata in Templo Deipara ait: « Sic prorsus immaculata offertur agna, ut victima omni acceptior creatori sacrificetur, non sanguinis litatione sed superexcellenti puritate. » Quum igitur innocentiae sanctitatisque forma in nulla re plenius quam in *Altari*, in *Mensa*, in *Pro-*

a) Eucholog. pag. 443. E. Χαῖρε ὄρος, χαῖρε βάτε, χαῖρε πύλη, χαῖρε κλίμαξ, χαῖρε θεία τράπεζα, ἡ πάντων χαῖρε βοήθεια δέσποινα.

b) Ibid. pag. 443. D. Χαῖρε κόσμου ἱλαστήριον, παρθένε, χαῖρε στάμνε, καὶ λυχνία πάγχρυσε, τοῦ θείου μάννα καὶ φωτὸς, θεόνυμφε.

c) Orat. in Deiparae annunliat. pag. 836 A-D. Χαίροις τὸ τῶν ἀπ᾽ ἁγίων προφητῶν προκατάγγελτον ὄνομα. Χαίροις ἡ πορφυροποίκιλτος νέα σκηνὴ, ἣν ὁ ποικιλτὴς ἐκαινούργησε Βεσελεὴλ. χαίροις τὸ χρυσοῦν διάλιθον καὶ χρυσοΰφαντον λόγιον· χαίροις τὸ ὑπὸ τῶν δύο Σεραφὶμ κατασκιαζόμενον ἱλαστήριον.

d) Encom. in Deiparam §. X. pag. 44. Χαίροις ἱλαστήριον τὸ θειότατον καὶ θεοΐδρυτον, δι᾽ οὗ τοῦ σύμπαντος κόσμου προῆλθεν ἱλασμὸς καὶ σωτὴρ Χριστὸς ὁ Θεός.

e) Men. die IV. Novembris Ode δ'. pag. 27. col. 2. E. Σὲ τὸ ἱλαστήριον πάντων βροτῶν πίστει ἱκετεύω καὶ δέομαι· εὐλογημένη, ἵλεών μοι τὸν κριτὴν, τὸν σὸν υἱὸν, ἀπέργασαι ὅπως κατὰ χρέος δοξάζω σε.

f) Orat. in Deiparae praesentat. pag. 1090. D. Οὕτως ἡ πανάσπιλος ἀμνὰς παρεπίκεινα πάσης θυσίας ὁλοκαυτωθῆναι τῷ κτίστῃ προσάγεται, οὐ δι᾽ αἵματος χύσεως, ἀλλὰ δι᾽ ὑπερβάλλουσαν καθαρότητα.

1) Eadem *propitiatorii* imagine designata Virgo perhibetur in Paraclit. pagg. 213. col. 1. C., 448. col. 2. D. et 449. col. 1. B.

pitiatorio, Victimisque emineat atque exstet, arduum non est colligere quid de puritate Deiparae his praesignata typis existimari debeat. Praesertim quum Deipara non modo dicatur *Altare,* sed etiam *animatum Altare panis vitae,* non solum dicatur *Mensa,* sed etiam *Mensa intaminata atque divina:* non solum dicatur *Propitiatorium,* sed etiam *Propitiatorium mundi et duobus Seraphim obumbratum:* neque solum dicatur *Victima,* sed *Victima immaculata, adeps victimae, atque idcirco victimarum omnium propter puritatis superexcellentiam nobilissima Deoque acceptissima.*

ARTICULUS II.

De Arca, Candelabro, Thuribulo atque Urna quae inter Virginis typos a patribus numerantur, deque eiusdem innocentia cuiusvis inscia culpae quae illis praesignatur.

480. Recitatis [1]) Psalmi verbis, *surge Domine in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae,* continuo subdit [a]) auctor sermonum qui neocaesariensi Gregorio tribuuntur: « Vere enim arca est sancta Virgo intrinsecus et extrinsecus deaurata, quae universum sanctificationis thesaurum suscepit. Surge Domine [2]) ex sinu Patris, ut collapsum primi parentis genus erigas. » Eodem titulo Deiparam exornat vulgatus Athanasius, qui illam [b]) compellans ait: « O perfecte intemerata atque immaculata! quam [3]) David arcam vocat sanctificationis; Salomon autem [4]) lectum aureum ac thronum convallemque liliorum, virtutum scilicet, ut puto, divinarum, et paradisum a Deo plantatum. » Neque minus splendide [c]) Methodius qui ex typi dignitate ad exemplaris nobilitatem progressus infert: « Si enim arcae

a) Orat. in Deiparae annunciat. pag. 13. D. Κιβωτὸς γὰρ ἀληθῶς ἡ ἁγία παρθένος ἔσωθεν καὶ ἔξωθεν κεχρυσωμένη, ἡ ὅλον τὸν θησαυρὸν δεξαμένη τοῦ ἁγιάσματος· ἀνάστηθι κύριε ἐκ τῶν κόλπων τοῦ πατρὸς, ἵνα ἐξαναστήσῃς τὸ πεπτωκὸς γένος τοῦ πρωτοπλάστου.

b) Orat. in Deiparae descript. pag. 407. inter opp. Athanasii T. II. Ὦ πανάφθορε καὶ πανάμωμε, ἣν δὴ Δαβὶδ μὲν κιβωτὸν καλεῖ ἁγιάσματος· Σολομὼν δὲ κλίνην χρυσῆν καὶ θρόνον καὶ κοιλάδα· ἀρετῶν, οἶμαι, τῶν θείων, καὶ παράδεισον θεοφύτευκτον.

c) De Symeone et Anna §. V. pag. 809. E. apud Gallandium T. III. Εἰ γὰρ κιβωτῷ

1) Ps. CXXXI. 8. coll. II. Paral. VI. 41

2) Ioh. I. 18.

3) Ps. CXXXI. 8.

4) Cant. II. 1, et III. 10.

tuae illius sanctitatis imagini typoque tantus a Deo honor habitus est; quis tandem qualisve venerationis cultus a nobis minimis tibi vere reginae fuerit exhibendus? Vere inquam Dei legislatoris animatae arcae: caelo vere Deo capaci qui nusquam capi potest? » Ut enim [a]) Proclus subdit: « Est haec sacrarium peccato inaccessum: est sanctificatum Deo templum, aureum altare holocautomatum, divinum compositionis thymiama, sacrum unctionis oleum, pretiosum nardi pistici alabastrum. Haec sacerdotale Ephod, aureum candelabrum. Haec arca intrinsecus et extrinsecus deaurata, corpore scilicet [1]) et spiritu sanctificata. »

481. Quare [b]) Theodorus studita de Virgine in caelum evecta scribit: « Hodie condita ex auro et divinitus fabricata sanctitatis arca de terrenis habitaculis ad supernam Hierusalem commigrat. » Theophanes vero [c]) canit. « Te, Dei mater, David propheticis oculis in Bethlehem vidit veluti arcam gestantem puerum supremum Deum. » Haec autem egregie confirmat [d]) Iohannes euboeensis antistes ubi de conceptu Virginis loquens ait: « Ecce nova arca praeparatur quae infinito intervallo arcam Noe et Moysis praestantia antecellit: illa enim Legem, haec vero Deum recepit. » Egregie confirmat [e]) Io-

τῇ εἰκόνι τῆς σῆς ἁγιότητος τοσαύτη πρὸς τοῦ Θεοῦ ἀπενεμήθη τιμή· τί ἄρα καὶ ποταπὸν τῶν παρ' ἡμῶν τῶν ἐλαχίστων ἐποφειλόμενόν σοι σέβας τῇ ὄντως βασιλίδι; τῇ ὄντως ἐμψύχῳ κιβωτῷ τοῦ νομοδότου Θεοῦ; τῇ ὄντως χωρητῷ οὐρανῷ τοῦ ἀχωρήτου θεοῦ γινομένῃ;

a) Orat. in Deiparam §. XVII. pag. 645. A-B. apud Gallandium T. IX. Αὕτη τὸ ἄδυτον τῆς ἀναμαρτησίας ἱερόν· αὕτη ὁ ἡγιασμένος τοῦ Θεοῦ ναός· αὕτη τὸ χρυσοῦν τῶν ὁλοκαυτωμάτων θυσιαστήριον, τὸ θεῖον τῆς συνθέσεως θυμίαμα, τὸ ἅγιον τῆς χρίσεως ἔλαιον, τὸ πολύτιμον τῆς πιστικῆς νάρδου ἀλάβαστρον· αὕτη τὸ ἱερατικὸν Ἐφούδ, ἡ χρυσῆ λυχνία· αὕτη ἡ κεχρυσωμένη ἔσωθεν καὶ ἔξωθεν κιβωτὸς, σώματι καὶ πνεύματι ἡγιασμένη.

b) Orat. in Deiparae dormit. n. 1. pag. 56. apud Mai in nov. pp. Biblioth. T. V. P. III. Σήμερον ἡ χρυσότευκτος καὶ θεοκατασκεύαστος κιβωτὸς τοῦ ἁγιάσματος ἐκ τῶν ἐπιχθονίων σκηνωμάτων ἀπαροῦσα πρὸς τὴν ἄνω Ἱερουσαλὴμ μετακομίζεται.

c) Can. in fratrem Theodorum Graptum pag. 225. apud Combefisium in opp. Origg. rerumque CP. Δαβὶδ καθὰ κιβωτὸν ἐν Βηθλεὲμ προφητικοῖς ὄμμασι, μῆτερ Θεοῦ, βλέπει σε βρέφος τὸν ὑπέρθεον φέρουσαν. Hisce similia habet Psellus apud Allatium de Symeonum scriptis pag. 212.

d) Orat. in Deiparae concept. Ἰδοὺ νέα κιβωτὸς παρασκευάζεται, μυριοπλασίονα χιλιάδων κρείττων τὴν ἐπὶ τοῦ Νῶε καὶ τῆς ἐπὶ τοῦ Μωϋσέως· ἐκείνη γὰρ νομοδόχος, αὕτη δὲ Θεοδόχος.

e) Orat. II. in Deiparae dormit. pag. 869. B. Σήμερον ἡ ἱερά τε καὶ ἔμψυχος κιβω-

1) I. Cor. VII. 34.

hannes damascenus ubi extollens assumptae Virginis triumphum inquit: « Hodie sacra et animata arca Dei viventis, quae suum in utero gestavit artificem, in templo Domini quod nullis est exstructum manibus, requiescit. » Eademque perspicuitate confirmat Leo Augustus qui primum [a]) scribit: « Habebat quidem antiquus Israel arcam, tui imaginem, adiutricem, si quando rebus adversis urgeretur, et ut quandoque inopiam levaret; verum quae gerebantur, utpote reipsa imaginis atque figurae, iis erant longe inferiora quae per te praestantur. » Postquam vero hoc pluribus ostendit, illico [b]) pergit: « Reveretur enim Deus sacratissimam arcam suam, benignumque se exhibet iis qui benignitate indigni sunt. Ergo ubi tu praesens es, nulla adversariis suppetit loquendi fiducia, nullum tristia locum inveniunt, ubi tui splendoris laetitia affulget. Quum enim a principio in hunc mundum veneris, ut laeto magis statu componeres; eamdem semper retines voluntatem, nec umquam beneficia nobis praestare cessas. »

482. Consentiunt quae tradit Hildephonsus toletanus antistes [1]) his verbis: « Illa namque omnia umbra sunt futurorum, in Maria vero manifesta veritas, antequam Christus Rex subsiliendo pertransiit de morte ad vitam, de corruptione ad incorruptionem. Sicque Ecclesiam una cum Matre reduxit ad superos, quoniam ipsa et Dei templum, et arca novi Testamenti, in qua verus Deus versatur non in figura et in aenigmate, sed in veritate pro salute omnium Deus homo immolatur. In cuius profecto sanguine testamentum confirmatum est novum, quod testatus est cum patribus nostris, et reconditum in utero Virginis, inde ad nos usque translatum. Quae

τὸς τοῦ ζῶντος θεοῦ, ἡ τὸν ἑαυτῆς τεχνίτην κυοφορήσασα, ἐν ναῷ κυρίου ἀχειροτμήτῳ καταπαύεται.

a) Orat. in Deiparae dormit. pag. 1745. D-E. apud Combefisium Auctar. Tom. I. Ἦν μὲν οὖν Ἰσραὴλ τῷ γηραιῷ τῆς σῆς δόξης εἰκὼν, κιβωτὸς ἐπίκουρος ἐλαττουμένοις, καὶ τὸ ἐκείνων ἐνίοτε ἐνδεὲς ἀναπληροῦσα· ἀλλ' ἦν εἰκόνος, ὡς ἀληθῶς τὰ γενόμενα· καὶ πολὺ τῶν διὰ σοῦ γενομένων λειπόμενα.

b) Ibid. pag. 1748. C-E. Δυσωπεῖται γὰρ σὲ θεὸς τὴν πανιερωτάτην αὐτοῦ κιβωτὸν, καὶ χρηστεύεται πρὸς τοὺς οὐκ ὄντας ἀξίους χρηστότητος· οὐκ οὖν ὅπη σὴ παρουσία, τῶν ἐναντίων ἡ ὁμιλία λαμβάνει τὴν παῤῥησίαν· οὐδ' εὑρίσκει χώραν τὰ σκυθρωπὰ τῆς σῆς ἐπιχωριαζούσης φαιδρότητος· ἀπ' ἀρχῆς γὰρ εἰς κόσμον παριοῦσα ἐπὶ φαιδροτέρᾳ τούτου καταστάσει, τὴν αὐτὴν ἀεὶ διασώζεις προαίρεσιν, τῆς τῶν δεξιῶν χορηγίας οὐ λήγουσα.

1) Serm. de Deiparae assumpt. pag. 578. E. in Biblioth. max. PP. lugdun. T. XII.

nimirum Virgo ac si arca hodie de captivitate huius seculi angelorum exequiis glorificata reducitur, non in Ierusalem quam decoxit vel devastavit Chaldaeorum exercitus, sed in illam veram et caelestem quam fundavit Deus et non homo, collocatur. » Consentiunt quae comparatione instituta Deiparam inter eiusque Filium [1]) Petrus cellensis scribit: « Praeterea de foederis vel potius sanctificationis arca quid aliud dicam? Nisi quod et mater arca est foederis, continens in se quidquid est sanctificationis vel creatae vel creantis: et Filius in matre similiter arca sanctificationis est potius exsistens quam continens sanctificationum sanctificationem. Habet autem tabulas testamenti, quia in corde eius universa describuntur mandata vitae et pacis. Habet et virgam Aaron: *virga* [2]) *aequitatis, virga regni eius*. Fronduit quoque in nativitate, floruit in resurrectione, germinavit in ascensione, unus protulit in Spiritus promissione vel missione. Nostra quoque virga seu Virgo floruit credens angelo, floruit concipiens in utero, germinavit parturiens ex utero. Filius est nostra apud Patrem propitiatio, quia interpellat pro nobis; mater apud Filium, quia rogat pro culpis nostris, Filius est sanctus sanctorum, quia Deus deorum; et mater est sancta sanctarum, quia Virgo virginum. Filius habet phialam purissimae carnis, ut ab ea sumatur poculum vitae; mater similiter in omni conversatione sua casta et munda praebet nobis exemplum conversandi sine querela. De thuribulo Filii Pater odoratur incensum propitiationis; de thuribulo matris tota perfunditur domus angelicae conversationis. Filius est altare de terra sancta, quia corpus habet de matre sine macula, in quo cremantur holocautomata dum condonantur peccata; Domina nostra nihilo minus est altare terrenum, quia refugium est miserorum. » Itemque consentiunt quae in Euchologio habentur, sive ubi [a]) dicitur: « Secrete et mystice imaginem tuam delineavit Moyses, o illibata Deipara, dum te quondam vivam diceret columnam et arcam auream, in qua sancta quaeque reponerentur. » Sive ubi [b]) repetitur:

a) Can. funer. pro mulieribus defunctis pag. 588. D. *Κρυφιομύστως ἐδήλου ὁ Μωϋσῆς, Θεοτόκε ἄχραντε, τὴν εἰκόνα σου σεπτῶς, ὥσπερ στήλην ἔμψυχόν ποτε καὶ χρυσῆν τε κιβωτὸν, ἐν ᾗ τὰ ἅγια.*

b) Ibid. pag. 591. B. Ὁ *ἐν γράμμασι νόμος τὴν κιβωτὸν σεμνὴν, ὁ τῆς χάριτος λό-*

1) Lib. de Panib. quaest. XXI. pag. 779. E. in Biblioth. max. PP. lugdun. T. XXIII.

2) Ps. XLIV. 7. coll. Hebr. 1. 8.

« Scriptis Lex exarata arcam suam venerandam celebrat, te vero Deiparam gratiae sermo laudat: inde Christus incarnatus processit quem superexaltamus in secula. » Quibus cum [1]) alia, tum ista [a]) respondent Syrorum usu frequentata: « Ave arca aurea quam fecit Moyses, Maria virgo sanctissima, ave fons benedictionum. »

483. Sumptum ex *Arca* typum alter excipit *Candelabri,* quem ita patres ad Deiparam referunt, ut opportunis quoque commentariis illustrent. Et sane ex illorum numero Germanus plura simul apte coniungens [b]) inquit: « At, o urna, ex qua manna refrigerii nos ardoribus malorum exusti ebibimus! O mensa, per quam qui fame tabescebamus, pane vitae supra modum repleti sumus! O candelabrum, cuius fulgoribus qui in tenebris sedebamus, ingenti luce perfusi sumus! habes ex Deo quod sit ex dignitate ac addeceat laudis praeconium; at neque indignum nostrum et impar, nostro tamen desiderio atque amore oblatum, repuleris. » Sequitur [c]) Iacobus

γος τὴν θεοτόκον ὑμνεῖ, ὅθεν ὁ Χριστὸς σαρκωθεὶς ἐπεδήμησεν, ὃν ὑπερυψοῦμεν εἰς αἰῶνας.

a) Thesaur. hymnolog. T. III. pag. 187.

ܫܠܡ ܠܟܝ ܐܪܘܢܐ ܕܕܗܒܐ ܕܥܒܕ ܡܘܫܐ ܡܪܝܡ ܒܬܘܠܬܐ ܩܕܝܫܬܐ. ܫܠܡ ܠܟܝ ܡܒܘܥܐ ܕܒܘܪܟܬܐ.

b) Orat. in Deiparae Zonam pag. 240. C. apud Combefisium in Manipulo origg. rerumque CP. Ἀλλ' ὦ στάμνε, ἐξ ἧς τὸ μάννα τῆς ἀναψύξεως, οἱ τοῖς δεινοῖς καυσωθέντες πεπώκαμεν· ὦ τράπεζα, δι' ἧς οἱ λιμώττοντες τὸν τῆς ζωῆς ἄρτον ὑπερεπλήσθημεν· ὦ λυχνία, ὑφ' ἧς οἱ ἐν τῷ σκότει καθήμενοι, τὸ μέγα φῶς κατηυγάσθημεν· ἔχεις ἐκ θεοῦ τὸν ἐπάξιόν σοι καὶ πρέποντα ἔπαινον· μὴ ἀπώσῃ δὲ καὶ τὸν ἡμέτερον ἀνάξιον, ἀλλ' οὖν ἐκ πόθου σοι προσαγόμενον.

c) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1258. B-E. apud Combefisium Auctar. T. I. Ἔστι τεκμήριόν τι τῆς αὐτοῦ συγκαταβάσεως ἐν τῷ βίῳ; παρήχθη τε καθαρώτατον αὐτοῦ ἐνδιαίτημα, ὃ φθάσαντες ἐν πνεύματι προεκηρύξαμεν; ἐφήπλωται ἡ φωτεινὴ νεφέλη, ἡ τὸν ἀέναον ὑετίζουσα δρόσον, τὸν τῆς ἀθυμίας τὸν φλογμὸν κατασβέσοντα ὄντα; ἤρεισται ἡ κλίμαξ, δι' ἧς τῶν οὐρανίων δυνάμεων ὁ βασιλεὺς πρὸς τὴν κατωτάτην ἡμῶν καταβήσεται παροικίαν; τέθειται μετέωρος ἡ τὸ λαμπάδιον Χριστὸν κομιοῦσα λυχνία; τί περὶ τῆς ἀδιοδεύτου πύλης ἀκηκόατε; δι' ἧς ὁ δυνατὸς μόνος ἐπιδημήσας, πύλας καὶ μοχλοὺς τοῦ ᾅδου συντρίψει, καὶ ἡμᾶς ὡς κραταιὸς ἀφαρπάσει; τί περὶ τῆς σκηνῆς ἐμάθετε τῆς ἀληθινῆς; κεκόσμηται ταύτῃ καὶ πεποίκιλται ἡ παστάς; κατασκεύασται ἡ τὸν ἄρτον τῆς ἀναβιώσεως ἡμῶν βαστάζουσα τράπεζα; ἆρα τὸ χρυσοῦν ηὐτρέπισται θυσιαστήριον, ἐν ᾧ σαρκικῶς ἀνάψας ὁ δαπανητικὸς τῆς ἁμαρτίας ἄνθραξ, τὴν εὐωδίαν ἡμῖν ἐπιπνεύσει τῆς ἀναστάσεως; ἐχαλκεύθη ἤδη ἡ μυστικὴ λαβίς; παρήχθηνται αἱ πλάκες τῆς νέας διαθήκης; τί

1) Cf. antiquos rythmos inter opera Bernardi T. VI. pag. 920. col. 2. A.

monachus qui iustos pridem vita functos exhibet his verbis illos interrogantes qui novi adveniebant: « Nullumne in mundo eius incarnationis certum indicium? Fuit ne mundissimum eius productum domicilium, quod olim in spiritu futurum praedicavimus? Est ne explicata nubes lucida iugem illum depluens rorem, quo maestitiae aestus extinguendus est? Fixa ne est scala [1]) per quam caelestium virtutum rex ad infimum nostrum incolatum descensurus est? Sublime positum est candelabrum, quod lampadulam Christum portaturum est? Quid [2]) de porta audistis per quam nullus transiet? Per quam solus ille potens transiens portas ac vectes inferni confringet, nosque ut fortis rapiet? Quid didicistis de vero tabernaculo? Illi ne ornatus varioque opere excultus thalamus? Instructa ne est mensa panem ferens vitae redivivae? Aureum ne paratum altare in quo desolatorius peccati carbo carne exardens suavem nobis resurrectionis odorem efflaturus est? Iamne [3]) forceps mystica cusa est? Productae sunt tabulae novi testamenti? Quodnam de his omnibus liquido signum compertum est? Dicite laetitiae symbolum iis qui solatio indigent. » Cum utroque, Iacobo et Germano, in eamdem mentem sententiamque concedunt Andreas cretensis et Modestus hierosolymitanus, quorum prior [a]) exclamat: « Sola tu vere benedicta, quam Zacharias in divinis perspicacissimus vidit aureum candelabrum lucernis septem et septem infusoriis splendidum, nempe septem divini Spiritus charismatis undique collustratum. » Posterior vero [b]) Deiparae obitum describens ait: « Et sanctos quidem oculos clausit quae fulgendo omnium edidit luminare; quae veluti aureum candelabrum sine contactu illum in mundo tamquam facem gestavit, qui luminaria condidit. » Hinc canticum penes Co-

περὶ τούτων ἁπάντων ἐναργὲς συνέγνωσται σημεῖον; καταγγείλατε τὴν ἐλπιζομένην ἐλευθερίαν· εἴπατέ τι σύμβολον εὐθυμίας τοῖς δεομένοις παραμυθίας.

a) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 103. E. apud Gallandium T. XIII. Σὺ μόνη ἀληθῶς εὐλογημένη, ἣν Ζαχαρίας ὁ θεοπτικώτατος λυχνίαν χρυσῆν ἑώρακεν, ἑπτὰ λύχνοις καὶ ἑπτὰ ἐπαρύστρισι κατακαλλυνομένην, εἴτ᾽ οὖν τοῖς ἑπτὰ τοῦ θείου πνεύματος περιλαμπομένην χαρίσμασι.

b) Encom. in Deiparam §. XII. pag. 50. Καὶ ὄμματα ἅγια καμμύει ἡ τὸν φωστῆρα τῶν ἁπάντων ἐκλάμψασα, ἡ ὡς λυχνία χρυσῆ ἀνέπαφος δᾳδουχήσασα αὐτὸν ἐν κόσμῳ τὸν ποιητὴν τῶν φωστήρων.

1) Gen. XXVIII. 12.
2) Ezech. XLIV. 1.
3) Is. VI. 6.

ptos [a]) solemne: « Tu es aureum candelabrum puram gestans lampadem omni tempore ardentem, quae est mundi lux inaccessa ex luce inaccessibili, Deus verus ex Deo vero, qui ex te sine mutatione carnem accepit. » Atque hinc Graecorum [b]) adprecatio: « Te lucidam lampadem lucidumque candelabrum, ubi deitatis ignis inhabitans tenebricosa detentos corruptione illustravit, celebramus, o immaculata, partum tuum benedicentes universi, o benedicta. »

484. Neque aliter [c]) Georgius nicomediensis, qui Deiparam in templum ingredientem describens, ipsum templum sic affatur: « Suscipe [1]) inauratum in spiritu candelabrum, cuius lampas modica mundi illustrat fines, per quod incenderunt septem Spiritus dona, mundumque inferiorem illustrarunt. » Concinit Leo Augustus [d]) scribens: « Erant his *(Israelitis)* quoque candelabrum septenario luminum fulgore conspicuum, et urna in qua manna servabatur, et virga, virginitatis tuae praeconium, quasi florem emittens, et id genus alia quibus natio illa merito super omnes nationes sese efferebat. Verum recesserunt haec omnia cum inclyto eorum nomine ac maiestate. Quum enim te adumbrarent, adventu fulgoris tui abdita sunt. Tu vero perpetuo lumine collustratum candelabrum lucens a peccati tenebrosa morte eruisti pariter atque eruis. » Concinit vulgatus Epiphanius [e]) his verbis: « O candelabrum virgineum,

a) Theotoch. pag. 60. tetrast. II.
ʼⲚⲟⲟ ⲡⲉ ϯⲗⲩⲭⲛⲓⲁ ⲛ̀ⲛⲟⲩⲃ, ⲉⲧⲧⲟⲩⲃⲏⲟⲩⲧ, ⲉⲧϥⲁⲓ ϧⲁ ⲡⲓⲗⲁⲙⲡⲁⲥ ⲉⲑⲙⲟϩ ⲛ̀ⲥⲏⲟⲩ ⲛⲓⲃⲉⲛ, ⲉⲧⲉ ⲫⲟⲩⲱⲓⲛⲓ ⲙ̀ⲡⲓⲕⲟⲥⲙⲟⲥ ⲡⲓⲁⲧϣⲁϧⲱⲛⲧ ⲉⲣⲟϥ, ⲡⲓⲉⲃⲟⲗϧⲉⲛ ⲡⲓⲟⲩⲱⲓⲛⲓ ⲛ̀ⲁⲧϣⲁϧⲱⲛⲧ ⲉⲣⲟϥ: ⲡⲓⲛⲟⲩϯ ⲛ̀ⲧⲁⲫⲙⲏⲓ ⲉⲃⲟⲗϧⲉⲛ ⲟⲩⲛⲟⲩϯ ⲛ̀ⲧⲁⲫⲙⲏⲓ: ⲁϥϭⲓⲥⲁⲣⲝ ⲛ̀ϧⲏϯ ϧⲉⲛ ⲟⲩⲙⲉⲧⲁⲧϣⲓⲃϯ.

b) Offic. quadrag. Fer. IV. Hebd. I. Ieiun. Ode η'. pag. 114. *Σὲ τὴν φαεινὴν λαμπάδα, καὶ λυχνίαν, ἐν ᾗ τὸ πῦρ τῆς θεότητος οἰκῆσαν ἐφώτισε τοὺς νυκτῶδει συσχεθέντας φθορᾷ, ἀμίαντε, γεραίρομεν ἅπαντες εὐλογοῦντες, εὐλογημένη, τὸν τόκον σου.*

c) Orat. in Deiparae ingressum in Templum pag. 1095. C. apud Combefisium Auctar. T. I. *Δέξαι τὴν ἐν πνεύματι κεχρυσωμένην λυχνίαν, ἧς τὸ λαμπάδιον καταυγάζει τὰ πέρατα· δι' ἧς ἀνῆψαν τὰ τοῦ πνεύματος ἑπτὰ χαρίσματα, καὶ τὸν περίγειον κόσμον ἐφώτισαν.*

d) Orat. in Deiparae dormit. pag. 1748. E. apud Combefisium Auctar. Tom. I. *Ἦν αὐτοῖς καὶ λυχνία φωτῶν ἑβδομάδι περιαυγαζομένη, καὶ στάμνος τοῦ μάννα ταμεῖον, καὶ ῥάβδος τῆς σῆς παρθενίας ἀνθοφοροῦσα τὸ κήρυγμα, καὶ τὰ ἄλλα, οἷς μέγα εἰκότως ἐφρόνει τὸ ἔθνος παρὰ πάντα τὰ ἔθνη· ἀλλ' ὑπεχώρησε μετὰ τοῦ κλειτοῦ ὀνόματος αὐτῶν καὶ τῆς σεμνότητος· σὲ γὰρ σκιαγραφοῦνται, τῇ σῇ ἐκρύβη ἐπιφανείᾳ· φαίνῃ δὲ ἄρα ἡ ἀείφωτος σὺ λυχνία, τοῦ σκοτεινοῦ καὶ ῥυσαμένη, καὶ ῥυομένη θανάτου τῆς ἁμαρτίας.*

e) Orat. de Virginis laudibus pag. 296. A. inter opp. Epiphanii Tom. II. *Ὦ λυχνία*

1) Ex. XXV. 23.

quod dispulit tenebras et lucem emisit! O candelabrum virgineum, quod splendidam lucernam in caelo et in terra relucentem gestavit! » Et ea concinunt quae de Virginis conceptu [a]) Georgius hymnographus habet: « Rubus incombustus, aureum candelabrum, animatus Domini Dei thalamus, virga gloriosa in utero matris quae eam genuit, incipit efflorescere. »

485. Candelabro succedit *Thuribulum,* quo typi instar usus [b]) Ephraemus Deiparam vocat « Thuribulum aureum, in quo Verbum carnem induens mundum universum bono odore replevit, et inobedientiae combusta sunt crimina. » Iohannes vero damascenus [c]) sic eam compellat: « Ave thuribulum, vas mente aureum, divinum intus carbonem ferens, et qua fragrans odor Spiritus corruptelae putorem mundo exsufflavit. » Cum quibus haec componenda sunt [d]) ex Coptorum hymnis: « Tu es thuribulum aureum purum carbones gestans ignis benedicti. Equidem nullatenus erro, si te appellem thuribulum aureum, illud, inquam, illud, in quo incensum electum coram sanctis obtulerunt. » Tum haec [e]) ex missali alexandrino: « Thuribulum aureum mundum plenum precioso unguento, quod

παρθενική, ἡ τὸ σκότος ἀπελαύνουσα, καὶ τὸ φῶς καταυγάζουσα· ὦ λυχνία παρθενική, ἡ τὸν φωτεινὸν λύχνον τὸν ἐκλάμποντα ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς βαστάσασα.

a) Men. die IX. Decembris Ode η'. pag. 78. col. 1. A. Ἡ βάτος ἡ ἄφλεκτος, λυχνία ἡ χρυσῆ, ὁ ἔμψυχος θάλαμος κυρίου τοῦ θεοῦ, ἡ ἔντιμος ῥάβδος ἐν γαστρὶ τῆς μητρὸς τῆς αὐτὴν τεκούσης ἀπάρχεται βλαστάνειν.

b) Precat. IV. pag. 529. D. opp. graec. T. III. Θυμιαστήριον χρυσοῦν, ἐν ᾧ ὁ λόγος τὴν σάρκα ἀνάψας, τὴν οἰκουμένην εὐωδίας ἐπλήρωσε, καὶ τὰ τῆς παρακοῆς κατεκαύθη ἐγκλήματα.

c) Orat. II. in Deiparae nativit. pag. 854. B. Χαῖρε θυμιατήριον, τὸ σκεῦος τὸ χρυσόνουν, ἡ τὸν θεῖον ἄνθρακα ἔνδον φέρουσα, ἀφ' ἧς διέπνευσεν εὐωδία τοῦ πνεύματος, τὴν μυδῶσαν φθορὰν ἐκ κόσμου ἀπελαύνουσα.

d) Theotoc. pag. 61. tetrasl. III.

Ⲛⲑⲟ ⲡⲉ ϯϣⲟⲩⲣⲏ ⲛ̀ⲛⲟⲩⲃ ⲛ̀ⲕⲁⲑⲁⲣⲟⲥ ⳹ ⲉⲧϥⲁⲓ ϧⲁ ⲡⲓϫⲉⲃⲥ ⲛ̀ⲭⲣⲱⲙ ⲉⲧⲥⲙⲁⲣⲱⲟⲩⲧ ⳹

Ibid. pag. 62. tetrast. I.

Ⲧⲟⲧⲉ ⲁⲗⲏⲑⲱⲥ ⲛ̀ϯϣⲟϥⲑ ⲁⲛ ⲛ̀ϩⲗⲓ ⲁⲓϣⲁⲛⲙⲟⲩϯ ⲉⲣⲟ ϫⲉ ϯϣⲟⲩⲣⲏ ⲛ̀ⲛⲟⲩⲃ ⳹

Ⲑⲏ ⲙⲉⲛ ⲉⲧⲉⲙⲙⲁⲩ ⲁⲩⲧⲁⲗⲟ ⲉ̀ⲡϣⲱⲓ ⲛ̀ϧⲏⲧⲥ ⲙ̀ⲡⲓⲥⲑⲟⲓⲛⲟⲩϥⲓ ⲉⲧⲥⲱⲧⲡ ⲙ̀ⲡⲉⲙⲑⲟ ⲛ̀ⲛⲏ ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ⳹

e) Apud Assemanum in cod. liturg. lib. IV. P. IV. pagg. 22-23.

Ⲧⲁⲓ ϣⲟⲩⲣⲏ ⲛ̀ⲛⲟⲩⲃ ⲛ̀ⲕⲁⲑⲁⲣⲟⲥ, ⲉⲧϥⲁⲓ ϧⲁ ⲛⲓⲁⲣⲟⲙⲁⲧⲁ ⲉⲧϧⲉⲛ ⲛⲉⲛϫⲓϫ ⲛ̀Ⲁⲁⲣⲱⲛ ⲡⲓⲟⲩⲏⲃ, ⲉϥⲧⲁⲗⲟ ⲥⲑⲟⲓⲛⲟⲩϥⲓ ⲉ̀ⲡϣⲱⲓ ⲉ̀ϫⲉⲛ ⲡⲓⲙⲁⲛⲉⲣϣⲱⲟⲩϣⲓ·

est prae manibus Aaron sacerdotis thus adolentis ad altare. Thuribulum aureum est, odor eius est Salvator noster quem genuit, quique nos de peccatis nostris redemit. Quae est thuribulum aureum mundum, quae portat carbonem igneum benedictum. » Atque haec item [1]) ex canone universali Aethiopum: « Salve virgo Maria Dei genitrix, tu es thuribulum aureum, quae carbonem ignitum portasti. » Prae his autem quae ad thuribuli imaginem referuntur, multo suppetunt plura, quae praemonstratam *Urnae* typo Deiparam, ostendunt, quaeque huiusce typi enarrationem complectuntur.

486. Et re sane vera huc faciunt [a]) Germani verba: « Ave gratia plena, mannae urna tota aurea, tabernaculumque ex purpura omnino factum, quod novus ille Beseleel auro intextum variumque effinxit. » Huc faciunt quae de prophetis iustisque Mariae natalem opperientibus habet [b]) Iacobus monachus inquiens: « Docti sunt nova, et quae nullus sermo effari queat mysteria; novam generis reformationem, cogitatu maiorem reconciliationem. Viderunt et thronum cherubicum, regalem thalamum, supercaeleste caelum, templum praesanctum, multis tabernaculum nominibus celebre. Viderunt te urnam Spiritus auro conflatam, urnam immortalitatis illud manna continentem, mensam panem illum vitae impositum habentem. » Atque huc faciunt quae Deiparae necem Filii lamentanti tribuit [c]) Symeon Logotheta scribens: « Vae mihi, Fili, ipsa parente

Ⲧϣⲟⲩⲣⲏ ⲛ̀ⲛⲟⲩⲃ ⲡⲉ ϯⲡⲁⲣⲑⲉⲛⲟⲥ, ⲡⲉⲥⲁⲣⲱⲙⲁⲧⲁ ⲡⲉ ⲡⲉⲛⲥⲱⲧⲏⲣ, ⲁⲥⲙⲓⲥⲓ ⲙ̀ⲙⲟϥ ⲁϥⲥⲱϯ ⲙ̀ⲙⲟⲛ, ⲛ̀ⲧⲉϥⲭⲁ ⲛⲉⲛⲛⲟⲃⲓ ⲛⲁⲛ ⲉⲃⲟⲗ.

Ⲛ̀ⲑⲟ ⲡⲉ ϯϣⲟⲩⲣⲏ ⲛ̀ⲛⲟⲩⲃ ⲛ̀ⲕⲁⲑⲁⲣⲟⲥ, ⲉ̀ⲧϥⲁⲓ ϧⲁⲡⲓϫⲉⲃⲥ ⲛ̀ⲭⲣⲱⲙ ⲉⲧⲥⲙⲁⲣⲱⲟⲩⲧ.

a) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 1423. C. apud Combefisium Auctar. T. I. Χαῖρε κεχαριτωμένη, ἡ τοῦ μάννα στάμνος ὁλόχρυσος, καὶ σκηνὴ ὡς ἀληθῶς πορφυροποίητος, ἣν ὁ νέος Βεσελεὴλ χρυσοπρεπῶς κατεποίκιλεν.

b) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1282. C-D. apud Combefisium Auctar. T. I. Ἐμυσταγωγήθησαν καινὰ καὶ ἀνεκλάλητα μυστήρια· ξένην τοῦ γένους ἀνάπλασιν· ὑπὲρ ἔννοιαν καταλλαγάς· εἶδόν σε θρόνον χερουβικόν· παστάδα βασιλικήν· ὑπερουράνιον οὐρανόν· ναὸν ὑπεράγιον· σκηνὴν πολυώνυμον· εἶδόν σε στάμνον κεχρυσωμένην τῷ πνεύματι· στάμνον τὸ τῆς ἀθανασίας κατέχουσαν μάννα· τράπεζαν τὸν τῆς ζωῆς ἐπιφέρουσαν ἄρτον.

c) Orat. in Deiparae planctum pag. 248. apud Allatium in diatriba de Symeonum scriptis. Ὢ μοι υἱὲ μητρὸς παλαιότερε· ποίους θρήνους ἐπιτυμβίους, καὶ τίνας ὕμνους ἐπικηδίους σοι ᾄσομαι· οὐκέτι στάμνος μανναδόχος ἐγώ· τὸ μάννα γὰρ τὸ ψυχοτρόφον ἀμφὶ τὸν τάφον ἐκκέχυται· οὐκέτι βάτος ἐγὼ ἀκατάφλεκτος· ὅλη γὰρ νοητῷ πυρί σου τῆς ταφῆς καταπέ-

1) In Max. PP. biblioth. T. XVII. pag. 528. col. 2. H.

antiquior, quas sepulcrales lamentationes et quas laudationes funebres tibi decantavero? Non amplius urna sum ego mannae receptaculum: manna siquidem animas enutriens circa sepulcrum effusum est. Non amplius rubus incombustus, tota siquidem intellectuali tui monumenti igne exusta sum. Non amplius candelabrum aureum, lumen siquidem sub modio positum est. Ut magnifica ostendit mihi qui potens est! Ex omnibus nationibus elegisti me. Prophetarum linguas mei caussa disertas effecisti. De caelo progressurus, ut bene ipse nosti, meum in mundum progressum exspectasti, cum non haberes vas quod esset dignum et capax divinitatis. »

487. Eodem spectant quae [1]) Methodius, quaeque Andreas cretensis tradunt, e quibus [a]) Andreas exclamat: « Ave sis nova arca gloriae, in qua Dei Spiritus descendens requievit. Ave aurea urna eum ferens, qui manna dulce fecit, quique mel e petra ingrato Israeli subitario velut apparatu elicuit. » Neque secus [b]) Iohannes damascenus inquiens: « Ave urna ex auro conflatum vas, ab omni vase secretum, et quo mundus universus impensum sibi manna accipit, vitae scilicet panem igne deitatis coctum. » Et rursum [c]) de dormitione agens Deiparae sic habet: « Cernere enim mihi videor hanc sanctis sanctiorem, et sacris sacratiorem, piisque pietate praestantiorem, hanc, inquam, dulcem mannae urnam, vel ut verius dicam, fontem, in divina celebratissimaque Davidis civitate, humili lecto recubantem. » Subscribit [d]) Iosephus confessor his verbis: « Quam

φλέγμαι· οὐκέτι χρυσῆ λυχνία ἐγώ· τὸ γὰρ φῶς ὑπὸ τὸν μόδιον τέθηται ὡς πολλὰ τὰ μεγαλεῖα ὁ δυνατὸς ἐνέδειξέ μοι, ἐκ πασῶν γενεῶν ἐξελέξω με· γλώσσας προφητῶν ἐτράνωσας δι' ἐμέ· μέλλων οὐρανόθεν καταφοιτᾷν, ὡς οἶδας αὐτὸς, τὴν ἐμὴν εἰς τὸν κόσμον ἀνέμενες πρόοδον, μὴ ἔχων σκεῦος ὑποδοχῆς θεότητος ἄξιον.

a) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 102. E. apud Gallandium T. XIII. Χαίροις ἡ νέα τῆς δόξης κιβωτὸς, ἐν ᾗ ἀναπέπαυται τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ καταπτάν· χαῖρε στάμνος χρυσῆ, τὸν τὸ μάννα γλυκάναντα φέρουσα, καὶ μέλι ἐκ πέτρας Ἰσραὴλ τῷ ἀγνώμονι σχεδιάσαντα.

b) Orat. II. in Deiparae nativit. pag. 854. A-B. Χαῖρε στάμνε, τὸ χρυσόπλαστον ἄγγος, ἡ παντὸς ἄγγους ἐξῳκισμένη, ἀφ' ἧς μανναδοτεῖται ἅπας ὁ κόσμος, τὸν ἐν πυρὶ τῆς θεότητος ἐξοπτηθέντα τῆς ζωῆς ἄρτον.

c) Orat. II. in Deiparae dormit. §. IV. pag. 871. C. Δοκῶ γάρ μοι ταύτην τὴν ἁγίων ἁγιωτέραν, καὶ ἱερῶν ἱερωτέραν, καὶ ὁσίων ὁσιωτέραν, τὴν γλυκεῖαν τοῦ μάννα στάμνον, πηγὴν δὲ μᾶλλον εἰπεῖν ἀληθέστερον ἀνακεκλίσθαι ἐπί τινος σκίμποδος ἐν τῇ θείᾳ καὶ περιωνύμῳ πόλει Δαβίδ.

d) Men. die XIII. Ianuarii Ode ζ'. pag. 125. col. 1. B. Σὲ τὴν τὸ μάννα τῆς ζωῆς

1) De Symeone et Anna §. IX. pag. 814. A-D. apud Gallandium T. XIII.

vere te manna vitae in sinu gestantem praesignavit olim evidentissime urna continens manna! Benedicta tu in mulieribus, o Domina perfecte immaculata. » Subscribit [a]) Germanus inquiens: « Prophetae mystice simul laetantur; quam enim in antiquis generationibus typice praeviderunt rubum et urnam et virgam, nubem, portam et thronum, magnumque montem, ea hodie nascitur. » Et [b]) denuo: « Canamus tubis, quia regina omnium, mater virgo benevola est, et benedictionibus coronat laudatores suos. Reges et principes concurrant, atque excitato plausu venerentur reginam, quae regem peperit gaudentem a morte victos benigne solvere. Pastores ac magistri sanctissimam boni pastoris genitricem simul laudibus efferamus. Candelabrum aureum, illuminantem nubem, excelsiorem Cherubim, animatam arcam, igniforme Altissimi solium, urnam auream mannae receptricem, vitalem Verbi tabulam, omnium christianorum perfugium sacro celebrantes carmine, sic dicamus: palatium Verbi, nos deiectos caelorum regno dignare; non est enim quidquam quod te intercedente fieri non possit. » Subscribit [1]) et armeniorum ecclesia, quae his verbis Deiparae gratulatur: « Gaude urna aurea caelestis panis, qui desuper descendens manna vitae novo Israeli cibum dedit. »

488. Concordi igitur sententia docent patres, inter typos adumbrationesque Deiparae non minus *Arcam* et *Candelabrum*, quam *Thuribulum mannaeque Urnam* eminere. Haec vero sanctitatem

ἐν κοιλίᾳ βαστάσασαν πάλαι μανναδόχος στάμνος ὡς ἀληθῶς προτύπου ἐμφανέστατα· εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶ, πανάμωμε δέσποινα.

a) Antholog. die VII. Septembris pag. 16. col. 1. B. Οἱ προφῆται μυστικῶς συνευφραίνονται· ἣν γὰρ προεῖδον τυπικῶς ἐν ταῖς ἀρχαίαις γενεαῖς βάτον καὶ στάμνον καὶ ῥάβδον, νεφέλην, πύλην καὶ θρόνον καὶ μέγα ὄρος, γεννᾶται σήμερον.

b) Acoluth. offic. graeci pag. XL. C. apud Bolland. T. II. Iunii Σαλπίσωμεν ἐν σάλπιγγι ᾀσμάτων· πραούψασα γὰρ ἡ παντάνασσα μητροπάρθενος ταῖς εὐλογίαις καταστέφει τοὺς εὐφημοῦντας αὐτήν· βασιλεῖς καὶ ἄρχοντες συντρεχέτωσαν, καὶ τὴν βασιλίδα κροτήτωσαν ἐν ὕμνοις, βασιλέα τέξασαν τοὺς θανάτῳ κρατουμένους πρὶν ἀπολῦσαι φιλανθρώπως εὐδοκήσαντα· ποιμένες καὶ διδάσκαλοι τὴν τοῦ καλοῦ ποιμένος ὑπεράγιον μητέρα, συνελθόντες εὐφημήσωμεν· τὴν λυχνίαν τὴν χρυσαυγῆ, τὴν φωτοφόρον νεφέλην, τὴν τῶν Χερουβὶμ ὑπερτέραν, τὴν ἔμψυχον κιβωτὸν, τὸν πυρίμορφον τοῦ δεσπότου θρόνον, τὴν μανναδόχον χρυσέαν στάμνον, τὴν ζωηφόρον τοῦ λόγου πλάκα, ἁπάντων τῶν χριστιανῶν τὸ καταφύγιον, ᾄσμασι θεηγόροις ἐγκωμιάζοντες, οὕτως εἴπωμεν· παλάτιον τοῦ λόγου ἀξίωσον τοὺς ταπεινοὺς ἡμᾶς τῆς οὐρανῶν βασιλείας· οὐδὲν γὰρ ἀδύνατον τῇ μεσιτείᾳ σου.

1) Confess. Eccles. Armen. pag. 37.

praeferunt nulla labe infectam, nitorem nullis tenebris obscuratum, et odorem nullo foetore corruptum. Similia igitur, immo his potiora de innocentia deque puritate virginis affirmari debent. Potiora inquam, neque eo dumtaxat nomine quod exemplar typi praestantiam superet, verum ideo etiam quod patres hoc ipsum unanimes testentur.

Testantur enim quum de Deipara tradunt eam fuisse *Arca mosaica nobiliorem, fuisse novam gloriae arcam, intrinsecus et extrinsecus deauratam, corpore videlicet et spiritu sanctam, ex auro conditam, fabricatam divinitus, immaculatam, sacratissimam et quidquid est sanctificationis continentem, sanctam sanctorum et peccato inaccessam.*

Testantur quum *Candelabri* typum enarrantes Deiparam vocant *candelabrum, sed sublime, sed Spiritu inauratum, sed collustratum perpetuo lumine, sed iis semper illucescens qui in tenebris sedent, sed eiusmodi quod ab uno Deo pro dignitate laudetur.*

Testantur quum Deiparam *Thuribulo* ita praesignatam scribunt, ut illi apertissime deferant quod sit *thuribulum aureum et vas in quo nihil nisi aurum refulgeat.*

Ac postremo testantur quum Deiparam titulis honestant *Urnae quae sit perfecte immaculata, quae sit conflata ex auro, quae tota sit aurea, ab omni vase secreta, Deo digna et ex omnibus generationibus selecta ut in ea divinum manna digne reconderetur*

ARTICULUS III.

De Velo, Aaronis Virga et Sancto sanctorum quae inter Deiparae typos a patribus censentur, quaeque de eiusdem praestantia singularique puritate enarrantur.

489. **R**eliquum est ut paucis eos complectar typos qui adhuc suppetunt ex sacris Iudaeorum rebus desumpti, eoque consilio a patribus usurpati ut excellentia Deiparae eiusque intaminata puritas quam splendidissime enitescat. Itaque [a]) Georgius nicomediensis Tem-

a) Orat. in Deiparae ingressum in Templum pag. 1095. B. apud Combefisium Auctar. T. I. Ἐπίσχες τὸ καταπέτασμα, ἵν' ἔνδον χωρήσῃ τὸ ἔμψυχον τοῦ λόγου καταπέτασμα, τὸ

plum alloquens, quod erat Deiparam excepturum, scribit: « Velum retrahe, quo intus capias animatum Verbi velum, quod in se deitatem contexit, cuius nec ignis crassam ipsius substantiam combussit. » Immo [a]) Germanus ipsam Virginis zonam cum Velo conferens ait: « O vestis ineffabilium sacramentorum custos, primi sanctorum tabernaculi velum, propitiatorium arcae Domini, ex qua seu per quam divina oracula reddens Legislator, absolutissima gratiae mysteria edocet! »

490. His autem quae ad *Veli* typum pertinent, addenda sunt quae de *Virga Aaronis* numero plura ac vero etiam insigniora in patrum monimentis reperiuntur. Sane [b]) Andreas cretensis natalem celebrans Deiparae diem exclamat: « Hodie iuxta prophetiam germinavit Davidis surculus, qui virga Aaron semper virens nobis virgam virtutis Christum protulit. » Dum autem haec interpretatur [c]) Iacobi praesagientis verba, *ex germine enim, fili mi, ascendisti*, scribit [d]): « Germen vero quam aliam proprie esse ex eo quod consentaneum est, dilectissimi, reputabitis nisi nimirum solam hanc sanctam Virginem, sanctisque omnibus longe sanctiorem, quae tota pulcra, tota munda visa est ei, qui totus in illa et corpore et spiritu habitavit? Mariam inquam, magnum profecto omnique veneratione dignissimum et nomen et rem, davidicum ramum, virgam Iesse, germen Iuda semper viride semperque floridum, ex qua altissimus Dei Filius, qui ante mundum erat, aequalique cum eo qui ipsum genuit, aeternitate fruebatur, secundum carnem germinavit. »

ἐν ἑαυτῷ τὴν θεότητα κρύψαν, καὶ τῷ πυρὶ ταύτης μὴ καταφλεχθὲν τὴν ὑλώδη οὐσίαν.

a) Orat. in deposit. Zonae s. Mariae pag. 796. A-B. apud Combefisium T. II. Ὦ ἐσθὴς, μυστηρίων ἀποῤῥήτων φρουρός· καταπέτασμα τῆς πρώτης τῶν ἁγίων σκηνῆς· ἱλαστήριον τῆς κιβωτοῦ τοῦ κυρίου, ἐξ οὗ ἢ δι' οὗ χρηματίζων ἄνωθεν ὁ νομοθέτης, τὰ τῆς χάριτος τελεώτατα μυσταγωγεῖ.

b) Orat. in Deiparae nativit. pag. 95. B. apud Gallandium T. XIII. Σήμερον ἡ Δαυϊδικὴ προφητικῶς ἐξεβλάστησεν ὄρπηξ, ῥάβδος Ἀαρὼν ἀειθαλλὴς χρηματίσασα, καὶ ῥάβδον δυνάμεως ἡμῖν, τὸν Χριστὸν ἐξανθήσασα.

c) Gen. XLIX. 9. Ἐκ βλαστοῦ γὰρ, φησὶν, υἱέ μου ἀνέβης.

d) Orat. II. in Deiparae nativit. pag. 179. E. apud Gallandium T. XIII. Βλαστὸν δὲ, τίνα ἂν κυρίως ἐκ τοῦ ἀκολουθοῦ νοήσῃς, ἀγαπητὲ, ἢ δῆλον μόνην αὐτὴν τὴν ἁγίαν, καὶ τῶν ἁγίων ἁπάντων ἁγιωτέραν, τὴν ὅλην ὅλῳ φανεῖσαν καθαρὰν τῷ σκηνώσαντι σώματί τε καὶ πνεύματι; Μαρίαν λέγω, τὸ μέγα καὶ σεβάσμιον ὄντως καὶ πρᾶγμα καὶ ὄνομα, τὴν Δαυϊδικὴν ὄρπηκα, τὴν ῥάβδον τοῦ Ἰεσσαὶ, τὸν ἀειθαλῆ τοῦ Ἰούδα βλαστὸν, ἐξ ἧς ὁ τοῦ θεοῦ παῖς, ὁ ὑπερκόσμιος, ὁ προκόσμιος, συναΐδιος τῷ γεννήσαντι, σαρκικῶς ἐξεβλάστησε.

491. Consentit [a]) Georgius nicomediensis qui Templum his verbis compellat: « Infer [1]) arcam sanctificationis, quae ipsum legislatorem in se comprehendit, quae caeleste illud manna portavit, quae a peccati diluvio humanam naturam salvavit, suoque partu orbem universum ab interitu liberavit. Infer illum novi testamenti thesaurum, gloriosam urnam, Dei digito insculptas tabulas. Accipe [2]) virgam sacerdotalem, quae fidei merito immarcescibilem florem Dominum germinavit. » Consentit [b]) hierosolymitanus Modestus qui descriptis [c]) psalmi verbis, *surge Domine in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae*, et Deiparam in caelum evectam cum arca conferens inquit: « Neque vero illam sicut mosaicam trahunt boves, sed caelestis sanctorum angelorum exercitus deducit et stipat. Neque est manufacta et auro obducta, sed a Deo condita rationalis et undique micans fulgoribus sancti et vivificantis Spiritus, qui in eam supervenit. Neque mannae urnam habet, neque tabulas Testamenti; sed mannae suppeditatorem et promissorum aeternorum bonorum Dominum novi et veteris testamenti, qui ex ea infans prodiit, omnesque qui in illum credunt, a legis maledictione liberavit. Neque Aaron virgam, neque superne habet Cherubim gloriae; sed illis longe gloriosiorem sine comparatione virgam Iesse iuxta pro-

a) Orat. in Deiparae ingressum in Templum pag. 1095. E. 1098. A. apud Combefisium Auctar. T. I. Εἰσάγαγε τὴν κιβωτὸν τοῦ ἁγιάσματος, τὴν τὸν νομοθέτην αὐτὸν ἔνδον χωρήσασαν· τὴν τὸ οὐράνιον μάννα βαστάσασαν· τὴν κατακλυσμοῦ ἁμαρτίας τὴν φύσιν ἡμῶν διασώσασαν, καὶ πανωλεθρίας τὴν οἰκουμένην διὰ τοῦ τόκου ἐλευθερώσασαν· τὸ τῆς νέας διαθήκης θησαύρισμα· τὴν στάμνον τὴν ἔνδοξον· τὰς θεοχαράκτους πλάκας· λάβε τὴν ἱερατικὴν ῥάβδον, τὴν ἀπὸ πίστεως βλαστήσασαν τὸ ἀμάραντον ἄνθος, τὸν κύριον.

b) Orat. in Deiparam pagg. 19-21. Οὐ κατὰ τὴν πάλαι μωσαϊκὴν ὑπὸ βοῶν φερομένην, ἀλλ' ὑπὸ στρατίας οὐρανίου ἁγίων ἀγγέλων ὁδηγουμένην καὶ δορυφορουμένην· οὐ χειροποίητον, περικεκαλυμμένην χρυσίῳ, ἀλλὰ θεόκτιστον οὖσαν λογικὴν, καὶ πάντοθεν ὑπεραστράπτουσαν ταῖς μαρμαρυγαῖς τοῦ ἐπιφοιτήσαντος ἐπ' αὐτὴν παναγίου καὶ ζωοποιοῦ πνεύματος· οὐ στάμνον μάννα ἔχουσαν καὶ πλάκας διαθήκης, ἀλλὰ τὸν τοῦ μάννα χορηγὸν καὶ τῶν ἐπηγγελμένων αἰωνίων ἀγαθῶν κύριον τῆς καινῆς καὶ παλαιᾶς διαθήκης, ἐξ αὐτῆς νηπιάσαντα, καὶ ἐλευθερώσαντα τοὺς πιστεύοντας εἰς αὐτὸν ἐκ τῆς κατάρας τοῦ νόμου· οὐ ῥάβδον Ἀαρὼν φέρουσαν, καὶ ἄνωθεν Χερουβὶμ δόξης, ἀλλ' ἐκείνων ἀσυγκρίτως ἐνδοξοτέραν ὑπάρχουσαν, ῥάβδον Ἰεσσαὶ καθ' ὑποφητικὴν ἐκφαντορίαν, καὶ ἐπισκιαζομένην ὑπὸ θείας παναλκεστάτης δυνάμεως τοῦ ὑψίστου πατρός· καὶ οὐ συμπεροαγομένην ἑβραϊκῷ κατ' ἐκείνην, ἀλλ' ἑπομένην θεῷ ἐξ αὐτῆς ὀφθέντι ἐπὶ γῆς σαρκί.

c) Ps. CXXXI. 8. Ἀνάστηθι, κύριε, εἰς τὴν ἀνάπαυσίν σου, σὺ καὶ κιβωτὸς τοῦ ἁγιάσματός σου.

1) II. Reg. VI. 12, coll. I. Paral. XV. 23.

2) Num. XVII. 8.

pheticam doctrinam, et divina altissimi Patris virtute obumbratur: nec ut illa hebraico praeit populo, sed pone sequitur Deum, qui ex ipsa incarnatus apparuit in terra. »

In eamdem vero mentem ex aequo conspirant Leo Augustus et Iohannes damascenus, e quibus ille [a]) ait: « Ave virga, ex qua quum tamquam vitalis flos benedictio effloruisset, mox maledictio interitus caussa interiit. » Subscribit [b]) Iohannes damascenus inquiens: « Ave sis sanctitate vernans virga Aaronis inter sacerdotes vere spectatissimi. »

492. Tandem venio ad *sancta sanctorum*, quae veluti Deiparae typum usurpans [c]) Tarasius, de ea scribit: « Ipsa namque est sancta sanctorum. » Eodem typo usus antea fuerat [1]) Severus antiochenus, qui de more [2]) ad conferendam stipem auditores inflammans ait: « Vobis item, qui a me edocti, Deiparam sanctum illud sanctorum esse quod post alterum velum iacet, cupiditate incensi estis, ut eius anterius tabernaculum, idest sacra eius aedes, additis columnis amplificetur: vobis, inquam, quid aliud superest nisi ut efficaci voluntate manuque rem aggrediamini, captoque ab Israelitis exemplo, copiosa dona offeratis? »

493. Quamquam omnium luculentissime hunc typum adhibet illumque enarrat [3]) Isidorus thessalonicensis, ubi *ingressum* descri-

a) Orat. in Deiparae dormit. pag. 1747. E. apud Combefisium Auctar. Tom. I. *Χαῖρε ῥάβδος, ἐξ ἧς τοῦ ζωηροῦ ἄνθους τῆς εὐλογίας ἐξανθηκότος ἡ φθοροποιὸς ἀπεφθάρη κατάρα.*

b) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 836. B. *Χαίροις ἡ ἁγιόβλαστος ῥάβδος Ἀαρὸν, τοῦ ὄντως ἐν ἱερεῦσι περιβλέπτου.*

c) Orat. de Deipara in Templum deducta pag. 2. *Αὕτη γάρ ἡ τῶν ἁγίων ἁγία.*

1) Homil. de B. V. Maria pag. 220. T. X. Spicilegii romani apud Mai, qui de hac homilia pag. 211. scribit: « Ex tot Severi antiocheni homiliis quae, ut dixi alibi, in syriacis bibliothecae vaticanae codicibus latent, unam saltem heic latine recitare placet de beatissima virgine Maria loquentem, quam et orthodoxo prorsus sensu compositam ab auctore cognovi, et lautis doctrinae sacrae atque hermeneuticae copiis abundantem. Certe ii philologi aut critici, qui nostra aetate figuratos divinorum bibliorum sensus superba vel incauta mente fastidiunt, rursus heic videbunt geminam patrum antiquorum sacra biblia interpretandi rationem: ecce enim Severus, priscus sane et magnus interpres, in Mosis praesertim arca, lege, tabernaculo ac sacrificiis, universam incarnati Verbi oeconomiam non imperite neque absurde pervidet, et theologico acumine enucleat; sanctaeque simul Deiparae laudes reverentissima oratione concelebrat. »

2) Notat Em. editor « Morem fuisse Severo, ut in fine concionum suarum ad conferendam stipem audientes hortaretur, ut videre est in calce amborum de sancta Droside sermonum e nobis editorum Script. vat. T. IX. p. 753-757. »

3) Orat. II. pagg. 27-29. in Mariali Isidori archiepiscopi thessalonicensis edito ab Hippolyto Maraccio, qui de hac ipsa oratione aliisque tribus ait pagg. 150-151: « Hae quatuor Isidori archiepiscopi thessalonicensis, de Nativitate, Praesentatione, Annunciatione atque Assumptione sacrosanctae Dei

bens *immaculatissimae Dominae nostrae Dei matris semper virginis Mariae in sancta sanctorum*, ait: « Sancta sanctorum antea Templum illud iure dicebatur, in quo et Arca erat et Tabulae ac veneranda omnia illa trophaea Mosis et testimonia, in quo dabatur et accedentibus purgatio, et veterum admirabilium prodigiorum expositio declaratioque fiebat; ut plane toto terrarum orbe nihil esset quod sancto illo templo haberetur aut vocaretur sacratius. Sed sicut lucernae lumen egregie lucet et usui est, dum latet illud vas quod simul inservit praeestque diei, magno vero luminare oriente, supervacaneum est quod impenditur in lucem lucernae, et omnino parvipendendum ob radii solaris exuberantiam; ita locus qui Sancta sanctorum vocabatur, nunc delitescit, et cum nulli sit usui, extinctus est, quoniam alia sacratior domus consurrexit et splendescit, purissima, inquam, et lucidissima Dei sponsa. Imo priora illa Sancta sanctorum sic ego arbitror vocata, quod aliquando receptura essent posteriora [1]) haec Sancta sanctorum, non quidem temporis, sed sanctitatis dignitatisque amplitudine excellentiora, quantum mente capere non licet: perinde ac si quis globum non immerito vocasset solem propter futuram lucem: aut regiam, nondum inhabitante rege, propter inhabitaturum regem. Idcirco enim et extructa illa fuerunt, et Sancta sanctorum nuncupata, quod praefixum esset fore ut in illis commoraretur, quae digne audiret Sancta sanctorum. »

genitricis orationes extant graece mss. in antiquo codice biblioth. vatic. n. DCLI., quas ex interpretatione praestantissimi viri Io. Matthaei Cariophyli archiepiscopi iconiensis, mihi olim a Flaminio Cerasola bergomate, qui easdem orationes tum graece tum latine una cum aliis de beata Virgine tomis ipse quoque edere volebat; pro eximio suo in Deiparam amore, promptoque in me semper officio benignissime communicatas, tamquam tabulas e maximo miserrimoque naufragio ereptas et servatas, imo tamquam magnum antiquitatis de novo effossum e terra thesaurum, in publicum communi saluti exponere ac proferre operae pretium existimavi, spe minime dubia, ingentem eas laetitiae fructusque meriem marianis cultoribus allaturas. » Ceterum de aetate, de praestantia, deque aliis ad Isidorum spectantibus iuverit contulisse quae habent tum idem Maraccius in praefat. ad lectorem, tum Sixtus senensis Biblioth. Sanctae lib. IV., Possevinus Apparat. T. II. et Guillelmus Cave in Hist. litter.

1) In subiectis ad haec verba notis inquit Maraccius pag. 172: « Celebrat etiam Deiparam ut Sancta sanctorum, Iohannes damascenus in Canticis ecclesiasticis Graecorum, odo primo, dum canit: *O sancta sanctorum, Virgo intacta, Sanctum sanctorum nobis peperisti sanctos omnes facientem, Christum redemptorem*.

CAPUT III.

Proponuntur Deiparae imagines ex historia sacra, symbolisque propheticis collectae: traditae eorumdem a patribus explicationes: quid cum iis iunctum nexumque sit: de Deiparae specie nullius conscia labis et nullo umquam culpae naevo taminata.

494. Quemadmodum ex sacris Iudaeorum ritibus cultuque mosaico, ita universim ex historia sacra symbolisque propheticis non pauca maiores nostri patresque sanctissimi collegerunt, quibus Deiparae effigiem colorarent, eius innocentiam efferrent, maximamque dignitatem repraesentarent. Illis enim indubitatum erat quod [1]) Hieronymus tum docuit quum Mariam *vaticinium prophetarum* nuncupavit: illis indubitatum erat quod ita [2]) Ephraemus expressit, *ave patrum praeconium et decus prophetarum:* atque illis indubitatum erat quod de dormitione Deiparae Modestus [a]) scripsit: « O beatissima dormitio gloriosissimae Deiparae, de qua prophetae et iusti divinae vocis tuba inclamarunt, desiderantes ad optatissimum illum diem pervenire cum ex ea prodiit Salvator, qui eos ex inferni inexplicabilibus vinculis liberaret. »

Has imagines atque haec prophetarum symbola continuo recensebimus, neque solum recensebimus, verum etiam adiectas a maioribus enarrationes in medium promemus, quo omnibus perspicue innotescat, quid ipsi de Deipara cogitarint, quam Deiparae formam animo praeceperint, et quantopere ab illorum opinione abhorruerint, qui Deiparae origines labe infectas arbitrantur.

a) Encom. in Deiparam pag. 29. Ὦ παμμακαρία κοίμησις τῆς ὑπερενδόξου Θεοτόκου, περὶ ἧς προφῆται καὶ δίκαιοι ἐπεβόων τῇ θεοφθέγκτῳ αὐτῶν σάλπιγγι, ἐπιθυμοῦντες ἐπιτεύξασθαι τὴν παμπόθητον αὐτῆς ἡμέραν, καθ' ἣν ἐξ αὐτῆς προήρχετο λυτρούμενος αὐτοὺς σωτὴρ ἐξ ἀφύκτων δεσμῶν τοῦ ᾅδου.

1) Comm. in Mich VI. pag. 368. opp. T. V. A. opp. graec. T. III.
2) Orat. de laudibus Deiparae p. 576. col. 2.

ARTICULUS I.

De imaginibus ex arca Noe, loco sancto et scala Iacobi: de illarum usu apud patres: de praerogativis Deiparae inde deductis, deque ea nominatim qua illius innocentia nullo umquam culpae naevo obscurata creditur.

495. In sacra Iudaeorum historia nobilissimum sibi vindicat locum structa a Noe arca, e qua Deiparae imaginem [a]) Proclus desumens scribit: « Agite, spectate mirum novumque diluvium, maius praestantiusque diluvio quod a Noe temporibus fuit. Illic enim diluvii aqua humanum interemit genus: at heic baptismi aqua, eius *(Christi)* potentia qui est baptizatus, mortuos revocavit ad vitam. Illic Noe ex lignis incorruptibilibus arcam compegit: at Christus heic, spiritalis Noe, ex Maria incorrupta corporis sibi arcam composuit. » Quare [b]) Ephraemus his verbis Mariam compellat: « O arca sancta per quam a peccati diluvio salvati sumus. »

Cum hac autem Ephraemi invocatione insigniter ea conspirant quibus [c]) hierosolymitanus Hesychius Virginem dicit « Arcam arca Noe latiorem, longiorem, illustriorem. Illa erat animalium arca, haec autem arca vitae: illa corruptibilium animalium, ista vero vitae incorruptibilis: illa ipsum Noe, haec vero ipsius Noe factorem

a) Orat. VII. in s. Theophania pag. 847. C-D. apud Gallandium T. IX. Δεῦτε, ἴδετε ξένον κατακλυσμὸν, πολὺ βελτίω καὶ κρείττονα τοῦ ἐπὶ Νῶε θεωρούμενον· ἐκεῖ τὸ ὕδωρ τοῦ κατακλυσμοῦ τὴν ἀνθρωπείαν φύσιν ἐθανάτωσεν· ἐνταῦθα δὲ τὸ ὕδωρ τοῦ βαπτίσματος, διὰ τοῦ βαπτισθέντος, τοὺς θανέντας ἐζωοποίησεν· ἐκεῖ ὁ Νῶε ἐκ ξύλων ἀσήπτων κιβωτὸν συνεπήξατο· ἐνταῦθα δὲ ὁ Χριστὸς, ὁ νοητὸς Νῶε, ἐκ τῆς ἀφθόρου Μαρίας τὴν τοῦ σώματος κιβωτὸν κατεσκεύασεν.

b) Prec. IV. pag. 529. D. opp. graec. T. III. Κιβωτὲ ἁγία, δι' ἧς τοῦ τῆς ἁμαρτίας κατακλυσμοῦ διεσώθημεν.

c) Orat. de laudibus Deiparae pag. 421. D-E. biblioth. graeco-lat. T. II. Κιβωτὸν τὴν τοῦ Νῶε πλατυτέραν, εὐμηκεστέραν, ἐνδοξοτέραν· ἐκείνη ζώων κιβωτὸς, αὕτη δὲ ζωῆς· ἐκείνη τὸν Νῶε, αὕτη δὲ τοῦ Νῶε τὸν ποιητὴν ἐβάστασεν· ἐκείνη διόροφα καὶ τριόροφα ἐκέκτητο, αὕτη δὲ ὅλον τῆς τριάδος τὸ πλήρωμα· ἐπειδήπερ καὶ τὸ πνεῦμα ἐπεδήμει, καὶ ὁ πατὴρ ἐπεσκίασε, καὶ ὁ υἱὸς ἐνεσκήνου κυοφορούμενος· πνεῦμα γὰρ ἅγιον, φησὶν, ἐπελεύσεται ἐπί σε, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπιάσκιάσει σοι· διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἅγιον, κληθήσεται υἱὸς θεοῦ, ὁρᾷς ὅσον τὸ τῆς θεοτόκου παρθένου καὶ πηλίκον ἀξίωμα; ὁ γὰρ μονογενὴς υἱὸς τοῦ θεοῦ ὁ τοῦ κόσμου ποιητὴς, ὡς βρέφος παρ' αὐτῆς ἐβαστάζετο, καὶ τὸν Ἀδὰμ ἀνέπλασε, καὶ τὴν Εὔαν ἡγίασε, καὶ κατήργει τὸν δράκοντα, καὶ τὸν παράδεισον ἤνοιγε, καὶ τὴν σφραγῖδα τῆς γαστρὸς ἠσφαλίζετο.

portavit: illa duas et tres contignationes et mansiones habebat, haec autem totam Trinitatis plenitudinem: quandoquidem et Spiritus sanctus adveniebat atque hospitabatur, et Pater obumbrabat, et Filius utero gestatus inhabitabat. *Spiritus enim sanctus*, ait [1]), *superveniet in te, et Virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Vides quanta et qualis est Deiparae Virginis dignitas? Unigenitus enim Dei Filius mundi conditor, velut infans gestabatur ab ea, et Adamum reformabat, Evamque sanctificabat, excludebat [2]) draconem et paradisum aperiebat, sigillum uteri muniens. »

496. Conspirant quae habet [a]) Chrysippus inquiens: « Arca enim vere regia, arca pretiosissima est semper virgo Deipara, arca quae excepit totius sanctificationis thesaurum, arca non ea in qua erant omnium animalium genera, quemadmodum in arca Noe, quae fluctuantis universi mundi effugiebat naufragium: arca non ea in qua erant tabulae lapideae, quemadmodum in arca quae per totum desertum una cum Israele perambulabat; sed arca cuius architectus et incola, gubernator et mercator, comes viae et dux erat opifex omnium creaturarum, quas in se ipse universas portat, sed a cunctis ipse non comprehenditur. » Eaque conspirant quae Deiparae dormitionem celebrans Modestus [b]) ait: « Quum autem bene peregisset vitae cursum deifera rationalis navis, ad tranquillum suum appulit portum simul et ad mundi gubernatorem, qui per ipsam ab impietatis et peccati diluvio servavit et vivificavit humanum genus. » Neque alio haec pertinent quae [3]) scribit Ekbertus schonau-

a) Orat. de laudibus Deiparae pag. 426. B-C. biblioth. graeco-lat. T. II. Κιβωτὸς γὰρ ὄντως βασιλική, κιβωτὸς λίαν πολύτιμος, ἡ ἀειπάρθενος θεοτόκος· κιβωτὸς ὅλου τοῦ ἁγιάσματος τὸν θησαυρὸν δεξαμένη· κιβωτὸς οὐκ ἐν ᾗ τὰ τῶν ζώντων ἁπάντων γένη, καθάπερ ἐπὶ τῆς Νῶε, τῆς τοῦ παγκοσμίου κλύδωνος διαφυγούσης ναυάγιον· κιβωτὸς οὐκ ἐν ᾗ πλάκες λίθιναι, καθάπερ ἐπὶ τῆς κατὰ πᾶσαν τὴν ἔρημον συνοδοιπορησάσης τῷ Ἰσραήλ· ἀλλὰ κιβωτὸς ἧς ἀρχιτέκτων καὶ ἔνοικος, κυβερνήτης καὶ ἔμπορος, συνοδοίπορος καὶ ἡγεμὼν ὁ τῆς κτίσεως ὅλης δημιουργός, ὁ ἐν ἑαυτῷ φέρων τὴν σύμπασαν, ἀλλ' αὐτὸς ὑπὸ πάσης οὐ περιλαμβανόμενος.

b) Encom. in Deiparam pag. 19. Εὖ περαιωσαμένη δὲ τὸν πλοῦν τοῦ βίου, ἡ θεοφερὴς λογικὴ ὁλκὰς πρὸς τὸν παιεύδιον λιμένα αὐτῆς, ὁμοῦ καὶ κυβερνήτην τοῦ παντὸς μεθώρμισε, τὸν δι' αὐτῆς σεσωκότα καὶ ζωογονήσαντα τὸ ἀνθρώπινον γένος ἐκ κατακλυσμοῦ ἀσεβείας καὶ ἁμαρτίας.

1) Luc. I. 35.
2) Gen. III. 15.
3) Serm. de beata Maria n. 6. pagg. 705. 706. inter opp. Bernardi T. V.

giensis: « Arcas duas fuisse legimus in veteri testamento, unam arcam diluvii, aliam testamenti. In novo autem testamento tres fuerunt aliae. Prima arca est Ecclesiae, secunda gratiae, tertia sapientiae. Licet enim prima veteris testamenti in typo fieret primae novi, et secunda in typo praecesserit secundae novi, tertia vero sicut excellenter omnibus est dissimilis, ita nulli penitus est comparabilis. Siquidem arca Noe significavit arcam Ecclesiae, arca foederis arcam gratiae, sanctitatem scilicet Mariae. Per sapientiae arcam intelligimus humanitatem Iesu Christi sanctissimam. Arca etiam Noe significavit arcam gratiae, excellentiam scilicet Mariae. Sicut enim per illam omnes evaserunt diluvium, sic per istam peccati naufragium. Illam Noe ut diluvium evaderet, fabricavit; istam Christus ut humanum genus redimeret, sibi praeparavit. Per illam octo animae tantum salvantur, per istam omnes ad aeternam vitam vocantur. Per illam paucorum facta est liberatio, per istam humani generis salvatio. Illa centum annorum fabricata est spatio, in ista omnium virtutum fuit perfectio. Illa facta est de lignis levigatis, ista de virtutibus aedificata est consummatis. Illa superferebatur aquis diluvii, ista non sensit naufragia ullius vitii. » Quo itidem pertinent tum haec [a]) Syrorum usu recepta: « Te, o Dei genitrix, sancti adumbrarunt in arca iusti Noe, in qua reliquiae filiorum Adam salvae factae sunt; ex te namque ortus est panis vitae, quem Adam comedens, a morte revixit. » Tum haec [b]) Coptis solemnia: « Arca praesignat sanctam Mariam, salutis nostrae caussam, nostraeque redemptionis: numquam abominationum tinea se illius miscuit virtutibus praeparatis ab initio saluti nostrae. » Est igitur cur nobilissimis imaginibus ex maiorum sententia Deiparam praesignantibus ipsa quoque Noe arca connumeretur. Duo autem potissimum sunt quae in Noe arca excellunt atque eminent, tum quod ipsa universale diluvii exitium evitarit, tum quod ὄργανον fuerit atque instrumentum divini-

a) Offic. Maronit. ad primam Fer. IV. pag. 266.
ܒܩܒܘܬܐ ܕܢܘܚ ܟܐܢܐ ܨܝܪܘܟܝ ܩܕܝܫܐ ܝܠܕܬ ܐܠܗܐ. ܕܒܗ ܐܫܬܘܙܒܘ ܫܪܟܐ ܕܒܢܝܗ ܕ
ܐܕܡ. ܘܡܢܟܝ ܕܢܚ ܠܚܡܐ ܕܚܝܐ ܕܐܟܠܗ ܐܕܡ ܘܚܝܐ ܡܢ ܡܘܬܐ.

b) Theotoch. pag. 308. tetrast. I.
Ϯκιβωτος cϭωpεμ ὲ ϑн εϑοτaβ Ⲙapia, ϑнοτnι ὲ πεnnοϩεμ, nεμ τεncωτнpia ⸭
Θaιὲτε ὲnεqμοτϫτ ǹϫε πϩολι ǹnιϭιβοϯ ὲ nεcapετн ετcοβϯ ιcϫεnϩн ε nεncωϯ ⸭

tus selectum, per quod ab universali pernicie una cum reliquis animantibus humana quoque species servaretur. Ne ergo ab imagine exemplar dissideat, et ne imaginis proprietates in exemplari frustra quaerantur, necesse est ut ipsa etiam Deipara universale culpae diluvium evaserit, et caussa exstiterit per quam ceteri pariter homines incolumitatem nanciscerentur. Et patres profecto non solum cum Arca Deiparam contendunt, sed disertis praeterea testimoniis confirmant, *Deiparam fuisse arcam incorruptam, nullius vitii naufragio abreptam, tineae abominationum nesciam, vere regiam, pretiosissimam, latiorem, longiorem atque ea illustriorem quam Noe condidit; idcirco vero illustriorem quod totum ipsa exceperit sanctificationis thesaurum, et quod per ipsam reformatus fuerit Adam, sanctificata Eva, exclusus draco, apertus paradisus, hominum genus a peccato subtractum et ad gratiae iustitiaeque vitam revocatum.*

497. Alterum succedit factum in monimentis historiae sacrae insignissimum, quodque his verbis [1]) memoratur: « Cumque evigilasset Iacob de somno ait, vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. Pavensque, quam terribilis est, inquit, locus iste! Non est hic aliud nisi domus Dei et porta caeli. » Atqui auctor est Germanus huius sanctitate loci sanctitatem excellentiamque Deiparae fuisse adumbratam. Huius enim symbola [a]) enumerans scribit: « Vocatur locus, *quam terribilis est locus iste, non est hoc aliud nisi domus Dei, et haec porta caeli.* » Quibus illustrandis duo praeterea subiicit [2]) Scripturarum oracula pergens: « Et [b]) assumpsit me Spiritus, et audivi post me vocem commotionis magnae: benedicta gloria Domini *de loco suo.* Si dedero somnum [c]) oculis meis et palpebris meis dormitationem, et requiem temporibus meis, donec inveniam *locum Domino*, tabernaculum Deo Iacob. » Hinc [d]) Io-

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1315. E. apud Combefisium Auctar. T. I. Καλεῖται τόπος· ὡς φοβερὸς ὁ τόπος αὐτός· οὐκ ἔστι τοῦτο, ἀλλ᾽ ἢ οἶκος Θεοῦ, αὕτη ἡ πύλη τοῦ οὐρανοῦ.

b) Ezech. III. 12. Καὶ ἀνέλαβέ με πνεῦμα, καὶ ἤκουσα κατόπισθέν μου φωνὴν σεισμοῦ μεγάλου· εὐλογημένη ἡ δόξα κυρίου ἐκ τοῦ τόπου αὐτοῦ.

c) Ps. CXXXI. 4. Εἰ δώσω ὕπνον τοῖς ὀφθαλμοῖς μου, καὶ τοῖς βλεφάροις μου νυσταγμὸν, καὶ ἀνάπαυσιν τοῖς κροτάφοις μου, ἕως εὕρω τόπον τῷ κυρίῳ, σκήνωμα τῷ θεῷ Ἰακώβ.

d) Orat. II. in Deiparae nativit. pag. 850. C-D. Διὰ τί; ὅτι σκήνωμα τῷ Θεῷ Ἰακὼβ

1) Gen. XXVIII. 16, 17. 2) Ibid.

hannes damascenus postquam in natali Deiparae die ab omnibus exsultandum esse monuit, caussam explicans communis iucunditatis subdit: « Quid ita? Quia Deo Iacob tabernaculum manifestatum est: quia locus sanctus sanctissimo Verbo ostensus est. Clamet Patriarcharum [1]) amplissimus Iacob: *quam terribilis est locus iste! Non est hoc nisi domus Dei, et haec porta caeli.* »

498. Haec autem in animum sua sponte revocant percelebrem illam [2]) *scalam* quam Iacobus vidit, et ad quam [a]) Iohannes damascenus respiciens ait: « Hodie ille fabri Filius, rerum omnium artifex Verbum illius qui per ipsum omnia condidit, forte illud Dei altissimi brachium, obtusam naturae asciam Spiritu sancto ceu digito suo exacuens, animatam sibi ipse scalam fabricavit, cuius ima pars in terra firmata est, summa autem ad caelum usque porrigitur, cui Deus innitatur: cuius Iacob figuram vidit, per quam Deus nihil mutatus descendens, seu potius se indulgenter inclinans, in terra [3]) visus est, et cum hominibus conversatus est. Spiritalis scala, hoc est, Virgo in terra firmata est, ut quae ex terra ortum habeat; caput vero ad caelum usque pertineat. Omnis namque mulieris caput [4]) est vir: huius autem, quum virum non habeat, Deus et Pater caput fuit, qui Spiritus sancti opera coniugii velut foedus paciscens, tamquam divinum quoddam semen, Filium suum ac Verbum, omnipotentem illam Virtutem emisit. » Et rursum [b]) dormitionem cele-

πεφανέρωται· ὅτι τόπος ἅγιος τῷ παναγίῳ λόγῳ ὑποδέδεικται· ὡς φοβερὸς ὁ τόπος οὗτος, βοάτω Ἰακὼβ ὁ πατριαρχικώτατος, οὐκ ἔστι τοῦτο, ἀλλ' ἢ οἶκος Θεοῦ, καὶ αὕτη ἡ πύλη τοῦ οὐρανοῦ.

a) Orat. I. in Deiparae nativit. pag. 843. B-C. Σήμερον ὁ τοῦ τέκτονος υἱὸς, ὁ παντεχνήμων λόγος τοῦ δι' αὐτοῦ τὰ πάντα κατασκευάσαντος, ὁ βραχίων ὁ ἰσχυρὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ὑψίστου, ὡς ἑαυτοῦ δακτύλῳ τῷ πνεύματι, ἀμβλυνθὲν τὸ σκέπαρνον ἀκονήσας τῆς φύσεως, κατεσκεύασεν ἑαυτῷ ἔμψυχον κλίμακα, ἧς ἡ βάσις ἐπὶ γῆς ἐστήρικται, ἡ δὲ κεφαλὴ πρὸς αὐτὸν τὸν οὐρανὸν, ἐφ' ἧς Θεὸς ἀναπαύεται, ἧς τὸν τύπον Ἰακὼβ ἐθέασατο, δι' ἧς ὁ Θεὸς καταβὰς ἀμεταβάτως, μᾶλλον δὲ συγκαταβὰς, ἐπὶ τῆς γῆς ὤφθη, καὶ τοῖς ἀνθρώποις συνανεστράφη· ἐπὶ γῆς ἡ νοητὴ κλίμαξ, ἡ παρθένος ἐστήρικται· ἐκ γῆς ἔχει τὴν γέννησιν, ἡ δὲ κεφαλὴ πρὸς τὸν οὐρανόν· πάσης γὰρ γυναικὸς κεφαλὴ ὁ ἀνήρ· ἀλλ' αὕτη, ἐπειδὴ ἄνδρα οὐκ ἔγνω, κεφαλὴ αὐτῆς ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ ἐχρημάτισεν, πνεύματι ἁγίῳ συναλλαγὰς ποιησάμενος, καὶ οἱονεὶ θεῖον σπόρον πνευματικὸν, τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν καὶ λόγον, τὴν παντοδύναμον δύναμιν ἐξαποστείλας.

b) Orat. III. in Deiparae dormit. pag. 882. E. et 883. A. Σήμερον ἡ νοητὴ κλίμαξ ἡ ἔμψυχος, δι' ἧς καταβὰς ὁ ὕψιστος ἐπὶ γῆς ὤφθη, καὶ τοῖς ἀνθρώποις συνανεστράφη, τῷ

1) Gen. XXVIII. 17.
2) Gen. XXVIII. 12.
3) Bar. III. 38.
4) I. Cor. XI. 3.

brans, qua Deipara ex praesenti mortalitate migravit, inquit: « Hodie scala spiritualis animata, per quam Altissimus descendens in terris visus est et cum hominibus est conversatus, per mortem quasi per scalam in caelum perrexit. Arca Dei animata et rationalis ad Filii sui requiem transfertur, paradisi fores reserantur, et arvum quod Deum tulit, excipiunt, ex quo sempiternae vitae lignum pullulans, Christus nimirum cunctorum vitae auctor, Evae inobedientiam, necemque ab Adamo illatam enecavit. »

499. Ceterum non unius Damasceni haec mens fuit, sed in eam pariter ivit [1]) pseudo-Augustinus inquiens: « Facta est Maria fenestra caeli, quia per ipsam Deus verum fudit seculis lumen. Facta est Maria scala caelestis, quia per ipsam Deus descendit ad terras, ut per ipsam homines adscendere mererentur ad caelos. Facta est Maria restauratio feminarum, quia per ipsam a ruina primae maledictionis probantur esse subtractae. » Ivit [a]) Anastasius antiochenus qui Deiparam exorans scribit: « Sed o divina et beata Virgo, extensa

θανάτῳ χρησαμένη κλίμακι, γῆθεν εἰς οὐρανοὺς ἀνεφοίτησεν· ἡ κιβωτὸς κυρίου ἡ ἔμψυχός τε καὶ λογικὴ πρὸς τὴν τοῦ υἱοῦ ἀνάπαυσιν μετανίσταται· πύλαι παραδείσου ἀνοίγονται, καὶ τὴν θεοφόρον ὑποδέχονται ἄρουραν, ἐξ ἧς τὸ τῆς αἰωνίου ζωῆς ξύλον βλαστῆσαν τὴν παρακοὴν τῆς Εὔας καὶ τὴν νέκρωσιν τοῦ Ἀβρὰμ διαλέλυκε. Et Orat. I. pag. 864. A-C. Μικροῦ με καὶ τοῦ Ἰακὼβ ἡ κλίμαξ διέφυγε· τί γάρ; οὐ παντὶ δῆλον, ὅτι σοῦ προεγράφη καὶ τύπος γνωρίζεται; ὃν τρόπον ἐκεῖνος τεθέαται διὰ τῶν ἄκρων τῆς κλίμακος οὐρανὸν τῇ γῇ συναπτόμενον, καὶ διὰ ταύτης ἀγγέλους κατιόντας καὶ ἀνιόντας, καὶ τὸν ὄντως ἰσχυρὸν, καὶ ἀήττητον, τυπικῶς αὐτῷ προσπαλαίοντα, οὕτως καὶ σὺ μεσιτεύσασα, καὶ κλίμαξ γεγονυῖα τῆς πρὸς ἡμᾶς τοῦ θεοῦ καταβάσεως, τοῦ τὸ ἀσθενὲς ἡμῶν ἀναλαβόντος φύραμα, καὶ ἑαυτῷ συμπλέξαντος καὶ ἑνώσαντος, καὶ νοῦν ὁρῶντα θεὸν δεδρακότος τὸν ἄνθρωπον, τὰ διεστῶτα συνήγαγες· ὅθεν ἄγγελοι μὲν πρὸς αὐτὸν κατῄεσαν, ὡς θεῷ καὶ δεσπότῃ λειτουργήσαντες, ἄνθρωποι δὲ ἀγγελικῇ πολιτείᾳ χρησάμενοι, πρὸς οὐρανὸν ἀναρπάζονται. *Parum abfuit quin me Iacobi scala praeteriret. Quid enim? an non cuivis perspicuum est te ea praesignatam praefiguratamque esse? Ut enim ille per extremas scalae partes caelum cum terra copulatum, et angelos per eam ascendentes et descendentes, quin etiam illum qui vere fortis et insuperabilis est, typice secum luctantem vidit; sic tu quoque mediatricis munus explens, effectaque Dei ad nos descendentis scala, ut debilem nostram naturam assumeret sibique copularet atque uniret, adeoque hominem mentem videntem Deum redderet, ea quae seiuncta erant, collegisti. Quocirca angeli ad eam descenderunt ut Domino ac Deo inservirent, homines autem angelicum vitae genus amplectentes in caelum evehuntur.*

a) Orat. in Deiparae annunciat. §. IV. pag. 263. D-E. apud Gallandium Tom. XII. Ἀλλ᾽ ὦ θεία καὶ μακαρία παρθένε, ἡ πρὸς οὐρανὸν ἐκτεταμένη κλίμαξ, ἡ πύλη τοῦ παραδείσου, ἡ πρὸς ἀφθαρσίαν εἴσοδος, ἡ τῶν ἀνθρώπων πρὸς θεὸν ἕνωσίς τε καὶ συνάφεια, σὺ ἡμῖν ἐπισφράγισον τὸν λόγον.

1) De tempore Serm. XV. al. CXXIII. in nat. Dom. VII. n. 2. col. 157. E. inter opp. August. T. V.

ad caelum scala, paradisi porta, ingressus ad incorruptionem, hominum ad Deum unio et consertio; tu nobis sermonis esto signaculum. » Ivit [a]) Iohannes Geometra his verbis: « Salve scala caelum et sidera penetrans, quae Deum ad homines, et homines ad Deum adducis. » Iverunt [1]) Petrus Damiani et Anselmus, e quibus [2]) alter Deiparam exorat inquiens: « O beata Dei genitrix, quae singulari privilegio sicut nescis in omnibus comparationem, ita nihilominus et angelicam superas dignitatem. O regina et domina mundi, scala caeli, thronus Dei, ianua paradisi, audi preces pauperum, ne despicias gemitus miserorum. » Tum [3]) canit:

» Scala tu caelestis, per quam
» Descendit ipse Deus,
» Sponsa, traducens terrena
» Super caelestia.
» Tu mater innupta
» Omni honore superior.

Et ivit [b]) Theophanes qui sic habet: « Natus est hodie pons ad lucem transferens hominum genus, scala caelestis, mons Dei splendidissimus, puella Deipara quam beatam laudemus. »

500. Sunt autem praeclarissima quae [c]) Petrus Argorum praesul

a) Hymn. I. in Deiparam vv. 15-16. pag. 437. in app. ad biblioth. graeco-lat. T. III.

Χαῖρε κλίμαξ περόωσα καὶ οὐρανὸν ἀστερόεντα,
Ἡ θεὸν ἀνθρώποις, ἐς θεὸν ἄνδρας ἄγεις.

b) Men. die VII. Septembris Ode ζ'. pag. 51. col. 1. C. Ἐτέχθη σήμερον γέφυρα μετάγουσα πρὸς φῶς τὸ ἀνθρώπινον, κλίμαξ οὐράνιος, ὄρος θεοῦ ἐμφανέστατον, ἡ θεοτόκος κόρη, ἣν μακαρίσωμεν.

c) Orat. de Deiparae concept. Σήμερον κατὰ τὸν μέγαν πατριάρχην πρὸς οὐρανὸν ἀπὸ γῆς ἡ κλίμαξ στηρίζεται, δι' ἧς ἑνωθήσῃ μοι καταβὰς, καὶ πρὸς τὸν πατρικόν με θρόνον ἀναβιβάσεις τὴν ἔκπτωτον· χαίρετε μετ' ἐμοῦ σήμερον καὶ τῆς Ἄννης τῆς στείρας καὶ τοῦ μεγάλου Ἰωακεὶμ οἱ προπάτορες· ἡ ὑμῶν ἀνάκλησις ἤδη ἤγγικεν· ἡ ὑμῶν λύτρωσις πραγματεύεται· ἡ ὑμᾶς διὰ τοῦ ἑαυτῆς τοκετοῦ τῆς μακρᾶς καταδίκης ἐξάξουσα κτίζεται· χαίρετε ἅπαντες δίκαιοι, χαίρετε πατριάρχαι καὶ προφῆται ἅπαντες· τὸ τοῦ γένους ἄνθος ἀνέτειλεν, τῶν ὑμετέρων προῤῥήσεως ἡ ἔκβασις ἤγγικεν, αἱ τῶν ἐπαγγελιῶν προθεσμίαι πεπλήρωνται, αἱ πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως ὑμῖν ἐκ θεοῦ λαληθεῖσαι ὑποσχέσεις πρὸς τὸ πέρας κατήντησαν. οὐκ ἔτι ἐν ἐλπίσι τὰ προσδεχόμενα, αὐταῖς ταῖς ὄψεσιν ὁρώμενα νῦν χαίρει καὶ ἡ οὐράνιος τῶν ἁγίων ἀγγέλων πληθύς· εἰσὶν γὰρ λίαν φιλάνθρωποι τὸν ἴδιον δεσπότην μιμούμενοι· εἰ γὰρ ἐπὶ ἑνὶ ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι χαίρουσι, πῶς τῆς πάντων ἡμῶν ἀνακλήσεως οὐ χαρήσουσι τὰ προοίμια βλέποντες; πῶς τὸ καθαρώτατον τοῦ δεσπότου καὶ παμβασιλέως Χριστοῦ βλέποντες ἀνάκτορον οὐκ ἀγαλλιάσονται κατασκευαζόμενον; πῶς τὸν φραγμὸν ὁρῶντες λυόμενον καὶ εἰς ἓν τὰ διεστῶτα συνερχόμενα, καὶ μίαν ποίμνην ἅπαντας γινομένους Χριστοῦ, οὐκ εὐφροσύνης καὶ χαρᾶς ὑπὲρ λόγον καὶ νοῦν πληρωθήσονται;

1) Opp. T. IV. pag. 10. col. 1. B-C.
2) Orat. LIV. pag. 283.
3) Hymn. II. in Deiparam, pag. 308. col. 3. B.

de conceptu loquens Deiparae ait: « Hodie iuxta magnum patriarcham Iacob e terra ad caelos scala firmatur, per quam descendens mihi unieris, meque lapsam ad paternum thronum deduces. Gaudete mecum hodie et vos sterilis Annae et Ioachim progenitores. Vestra instauratio iam propinquavit, redemptio vestra tractatur, quae vos suo partu ab adeo diuturna damnatione eripiet, formatur. Gaudete iusti omnes patriarchae et prophetae omnes gaudete. Generis nostri flos ortus est, vestrarum praedictionum eventus prope est, praestituta promissionibus tempora iam complentur, quae multifariam multisque modis promissa vobis sunt, ad suum finem adventarunt. Haud amplius spe continentur quae exspectabantur, ipsis veluti oculis subiecta sunt. Nunc et caelestis sanctorum angelorum multitudo gaudet, quippe qui suum Dominum imitantes valde homines diligunt. Etenim [1]) si super uno peccatore poenitentiam agente gaudent, qui fiet ut instaurationis omnium nostrum initia prospicientes non laetentur? Et quomodo intuentes palatium purissimum, quod omnium regi Christo praeparatur, haud exsultabunt? Quanam ratione disruptam sepem et dissita in unum coeuntia, omnesque unum Christi gregem effici conspicientes, laetitia et gaudio, supra quam dici cogitarique possit, non replebuntur? » Consonant ecclesiastica Graecorum Officia, in quibus nunc quidem [a]) legimus: « Deipara, perpetuo Virgo sanctissima, protectrix valida, portus et murus, scala et munimen, miserere, compatere: ad te namque solam recurrit aegrotus. » Nunc vero [b]) legimus quae sequuntur: « Scala, quam in spiritu Iacob vidit, te praenunciabat, o Virgo, in ea namque angelorum descendentium et superius remeantium progressio divinae Filii tui nativitati ministerium fidele pollicebatur. » Omitto quae simillimis concepta verbis, eumdemque sensum praeferentia habentur [2]) in Octoecho et [3]) in veteri quadragesimali Officio, eaque in primis addo

a) Euchol og. in officio s. olei pag. 410. B. Θεοτόκε, ἀειπάρθενε παναγία, σκέπη στεῤῥὰ καὶ φύλαξ, λιμήν τε καὶ τεῖχος, κλίμαξ καὶ προπύργιον, ἐλέησον, οἴκτειρον· πρός σε γὰρ καὶ μόνην κατέφυγεν.

b) Euchol og. in can. funer. pro mulieribus defunctis pag. 588. E. et 589. A. Ἣν εἶδε κλίμακά ποτε ὁ Ἰακὼβ, παρθένε, σὲ προεδήλου ἐν πνεύματι, ἐν ᾗ ἀγγέλων γέγονε κάτω ἰόντων ἢ ἄνωθεν ἔλευσις, τὴν θείαν γέννησιν προλειτουργοῦντα πιστῶς.

1) Luc. XV. 7, 10.
2) Octoech. pag. 6. col. 2. C. et 20. col. 1. D. E.
3) Offic. quadrag. Fer. III. hebd. II. ieiun. Ode ς'. pag. 178.

quae [a]) Copti frequentant: « Magna est gloria virginitatis tuae, o Maria virgo perfecta. Tu es scala, quam Iacob vidit terrae innixam et ad caelum usque evectam. Assimilata es scalae quam Iacob vidit ad caelum usque elevatam, et super eam cum timore Dominus. Dicamus omnes, o vas immaculatum beatumque, tu similis scalae facta es quam Iacob conspexit. » Tum ea addo quae Syri in Missa atque in Officio usurpant, in Missa quidem [b]) his verbis: « Scala quam vidit Iacob, te praesignabat, o Virgo Dei genitrix, quia cunctorum spes Deus ut animum despondentibus spem faceret, in te descendit. » In Officio autem ubi [c]) aiunt: « Moyses te in rubo praefiguravit, et David te appellavit arcam, Gedeon in vellere *(te adumbravit)* ac rore, et Iacob iustus in scala, per quam infirmum terreni Adami genus ad caelum subvectum est. » Et [d]) rursum: « Salve nubes levis, de qua Isaias praedixit, salve scala pura, quam in vertice montis Iacobus vidit; per te siquidem genus nostrum ad pristinum suum locum *(paradisum)* ascendit. »

501. Porro tam rei similitudo quam plura superioribus com-

a) Theoloc. pag. 91. tetrast. I.

Ⲟⲩⲛⲓϣϯ ⲡⲉ ⲡⲱⲟⲩ ⲛ̀ⲧⲉ ⲧⲉⲡⲁⲣⲑⲉⲛⲓⲁ, Ⲙⲁⲣⲓⲁ ϯⲡⲁⲣⲑⲉⲛⲟⲥ, ⲑⲏⲉⲧϫⲏⲕⲉⲃⲟⲗ ⳾
ⲛ̀ⲑⲟ ⲡⲉ ϯⲙⲟⲩⲕⲓ, ⲉ̀ⲧⲁ Ⲓⲁⲕⲱⲃ ⲛⲁⲩ ⲉ̀ⲣⲟⲥ ⳾
Ⲥⲧⲁϫⲣⲏⲟⲩⲧ ϩⲓϫⲉⲛ ⲡⲕⲁϩⲓ, ⲥϭⲟⲥⲓ ϣⲁ ⲉ̀ϩⲣⲏⲓ ⲉ̀ ⲧⲫⲉ, ⲉ̀ⲣⲉ ⲛⲓⲁⲅⲅⲉⲗⲟⲥ ⲛⲏⲟⲩ ⲉ̀ⲡⲉⲥⲏⲧ ϩⲓⲱⲧⲥ ⳾

Ibid. pag. 134. tetrast. III.

Ⲁⲣⲉⲧⲉⲛⲑⲱⲛϯ ⲉ̀ ϯⲙⲟⲩⲕⲓ, ⲑⲏ ⲉⲧⲁ Ⲓⲁⲕⲱⲃ ⲛⲁⲩ ⲉ̀ⲣⲟⲥ ⲉⲥϭⲟⲥⲓ ϣⲁ ⲉ̀ϩⲣⲏⲓ ⲉ̀ ⲧⲫⲉ: ⲉ̀ⲣⲉ ⲡϭⲟⲓⲥ ϩⲓϫⲱⲥ ϧⲉⲛ ⲟⲩϩⲟϯ ⳾

Ibid. pag. 256. tetrast. II.

Ⲙⲁⲣⲉⲛϫⲟⲥ ⲧⲏⲣⲉⲛ ⲱ ⲡⲓⲙⲟⲕⲓ ⲁⲙⲟⲗⲩⲛⲧⲟⲥ ⲙⲁⲕⲁⲣⲟⲥ: ⲁⲣⲉⲧⲉⲛⲑⲱⲛⲧ ⲉ̀ϯⲙⲟⲩⲕⲓ, ⲑⲏ ⲉⲧⲁ Ⲓⲁⲕⲱⲃ ⲛⲁⲩ ⲉ̀ⲣⲟⲥ:

b) Thesaur. hymnolog. T. III. pag. 186.

ܗܘ ܣܒܠܬܐ ܕܚܙܐ ܝܥܩܘܒ ܠܟܝ ܪܡܙܐ ܗܘܐ ܒܬܘܠܬܐ ܝܠܕܬ ܐܠܗܐ܆ ܕܟܠܗܘܢ ܗܘ
ܣܒܪܗ ܗܘܐ ܕܢܬܠ ܣܒܪܐ ܠܦܣܝܩܝ ܣܒܪܐ ܐܠܗܐ ܢܚܬ ܒܟܝ ܀

c) Offic. Maronit. pag. 208.

ܡܘܫܐ ܒܣܢܝܐ ܨܝܪܟܝ ܗܘܐ ܘܕܘܝܕ ܩܒܘܬܐ ܩܪܟܝ. ܓܕܥܘܢ ܒܓܙܬܐ ܘܒܛܠܐ
ܘܝܥܩܘܒ ܟܐܢܐ ܒܣܒܠܬܐ. ܕܒܗ̇ ܐܣܬܠܩ ܠܫܡܝܐ ܓܢܣܐ ܡܚܝܠܐ ܕܐܕܡ ܥܦܪܢܝܐ.

d) Ibid. pag. 472.

ܫܠܡ ܠܟܝ ܥܢܢܐ ܩܠܝܠܬܐ ܗܝ ܕܐܫܥܝܐ ܐܬܢܒܝ ܥܠܝܗ̇. ܫܠܡ ܠܟܝ ܣܒܠܬܐ ܕܟܝܬܐ
ܕܝܥܩܘܒ ܚܙܐ ܒܪܝܫܗ ܕܛܘܪܐ. ܕܒܟܝ ܐܣܬܠܩ ܗܘܐ ܓܢܣܢ ܠܐܬܪܗ ܩܕܡܝܐ.

prehensa testimoniis nos admonent, ut huc illa quoque referamus, quibus patres Deiparam *pontem* appellant. Qua sane appellatione Modestus [a]) Deiparam ornat, ubi de ea scribit: « Virginitatis gratia pons Dei futura erat in terra ultra hunc mundum: unde mirificum ab eo auxilium nobis profectum est, et nos quidem servavit; diaboli vero sceleratas artes in aeternum sustulit non legatus, non angelus, sed ipse Dominus, qui ad hoc ipsum venit quemadmodum [1]) scriptum est: *auxilium meum a Domino qui fecit caelum et terram;* et per ipsam cognitum nobis fecit ascensum orthodoxae fidei et beatae vitae, quae ducit ad caelum. » Ornat [b]) Ephraemus, penes quem Deipara audit: « Pons totius mundi qui ducit ad supermundanum caelum. » Ornat [c]) Proclus a quo Deipara dicitur « Virgo et caelum atque unicus Dei ad homines [2]) pons. » Ornant [3]) et alii, ita ut si quae adduximus omnia paullo expendantur intimius, liquido innotescat, Deiparam maioribus nostris visam esse sanctiorem quam ut concipi animo possit aut verbis efferri: visam esse ab universo hominum genere divisam ac seiunctam, vel potius supra universum hominum genus evectam atque exaltatam: visam esse a suis originibus atque primordiis Deum inter lapsosque homines mediam atque interiectam: et visam postremo esse sicuti semper cum Deo cohaerentem, ita nullo umquam culpae halitu afflatam. Nihil enim horum est quod productis non efferatur testimoniis, quibus Virgo perhibetur *scalae instar ac pontis caelum inter terramque media, et singulari opere a Deo procreata, ut per ipsam lapsorum spes erigeretur, infirmum Adami genus sustentaretur, Deus ad homines*

a) Encom. in Deiparam. pagg. 37-39. Καὶ φθάσαι ἐπὶ γῆς τὴν ὑπερέκεινα τοῦδε τοῦ παντὸς ἐν χαρίτεσι παρθενίας θεοῦ γέφυραν· ὅθεν ἡ παρ' αὐτοῦ βοήθεια θαυμασία γέγονεν εἰς ἡμᾶς καὶ ὑμᾶς μὲν ἔσωσε, τοῦ δὲ ἐχθροῦ καθεῖλεν εἰς τέλος τὰ παμπόνηρα μηχανήματα, οὐ πρέσβυς, οὐκ ἄγγελος, ἀλλ' αὐτὸς ὁ κύριος εἰς τοῦτο αὐτὸ ἐλθών· καθ' ἃ γέγραπται, ὅτι ἡ βοήθειά μου παρὰ κυρίου τοῦ ποιήσαντος τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, καὶ δι' αὐτῆς γνωρίσαντος ἡμῖν ἀνάβασιν ὀρθοδόξου πίστεως, καὶ εὐζωΐας τῆς εἰς οὐρανὸν φερούσης.

b) Prec. IV. pag. 528. D. opp. graec. T. III. Γέφυρα κόσμου παντὸς πρὸς τὸν ὑπερκόσμιον οὐρανὸν ἡμᾶς ἀνάγουσα.

c) Orat. in Deiparam §. I. pag. 614. C. apud Gallandium T. IX. Ἡ παρθένος καὶ οὐρανὸς ἡ μόνη θεοῦ πρὸς ἀνθρώπους γέφυρα.

1) Ps. CXX. 1.

2) Atqui vulgatus Gregorius thaumaturgus orat. in s. Theophania pag. 33. A. Christum alloquens scribit: Σὺ ὁ τὴν γῆν καὶ τὸν οὐρανὸν γεφυρώσας τῷ ἁγίῳ σου ὀνόματι. *Tu qui terram caelumque tuo sancto nomine quasi ponte iunxisti.*

3) Quorum verba dabit Marraccius in Polyanthea mariana lib. XIV. pag. 117.

descenderet, atque homines ad Deum vicissim ascenderent, ipsaque foret tum hominum instauratio et cum Deo copulatio, tum omnibus potior ac superior, et in omnibus supra comparationem evecta.

ARTICULUS II.

De imaginibus ex terra sancta ubi rubus ardebat, ex ipso ardente rubo, atque ex Sina monte: enarrationes a maioribus traditae referuntur: tum conserta cum illis praerogativa singularis innocentiae qua Deipara nituit, eiusque immaculati conceptus declaratur.

502. Recenset [a]) Germanus umbras Deiparam praesignantes, atque inter cetera scribit: « Appellatur [1]) *terra sancta.* Moyses, Moyses solve calceamentum de pedibus tuis, terra enim in qua stas, terra sancta est. *Terra desiderabilis.* Et [2]) pro nihilo habuerunt terram desiderabilem. *Terra veritatem* [3]) *producens.* Veritas de terra orta est. » Iohannes vero damascenus [b]) demiratus immensam Dei adversus homines benevolentiam exclamat: « O indulgentiae demissionem! Qui eximie bonus est, proprii figmenti proles audire non renuit,

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1311. E. apud Combefisium Auctar. Tom. I. Καλεῖται γῆ ἁγία. Μωσῆ, Μωσῆ, λῦσον τὸ ὑπόδημα ἐκ τῶν ποδῶν σου· ἡ γὰρ γῆ, ἐφ' ἧς σὺ ἕστηκας, γῆ ἁγία ἐστί· γῆ ἐπιθυμητή· καὶ ἐξουδένωσαν γῆν ἐπιθυμητήν· γῆ ἀνατέλλουσα ἀλήθειαν· ἀλήθεια ἐκ τῆς γῆς ἀνέτειλε.

b) Orat. II. in Deiparae nativit. pag. 851. D-E. Ὢ τῆς συγκαταβάσεως· τοῦ ἰδίου πλάσματος γέννημα χρηματίσαι οὐκ ἀπηνήνατο ὁ ὑπεράγαθος, ἐκείνης ἐρασθεὶς δηλαδὴ τῆς ὡραιοτέρας πάσης κτίσεως, ἐκείνης ἐπιλαβόμενος τῆς ἀξιωτέρας τῶν οὐρανίων δυνάμεων· περὶ ταύτης τοίνυν ὁ Ζαχαρίας ὁ θαυμασιώτατος, τέρπου, φησὶ, καὶ εὐφραίνου θύγατερ Σιών, διότι ἰδοὺ ἔρχομαι, κατασκηνώσω ἐν μέσῳ σου, λέγει κύριος. Περὶ ταύτης γε καὶ Ἰωὴλ ὁ μακαριώτατος, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, ὧδέ πως κεκραγὼς φαίνεται· θάρσει γῆ, χαῖρε καὶ εὐφραίνου, ὅτι ἐμεγάλυνε κύριος τοῦ ποιῆσαι σοι· γῆ γάρ ἐστιν, ἐφ' ᾗ Μωϋσῆς ὁ ἱερώτατος λῦσαι τὸ ὑπόδημα τοῦ σκιώδους νόμου εἰς ἐξαλλαγὴν χάριτος προσετάττετο· γῆ ἐστιν, ἐφ' ᾗ τεθεμελιῶσθαι τῇ σαρκὶ ὑπὸ τοῦ πνεύματος ᾄδεται, ὁ θεμελιῶν τὴν γῆν ἐπὶ τὴν ἀσφάλειαν αὐτῆς· γῆ ἐστιν, ἡ σπορᾶς ἀνεπίδεκτος, καὶ ἁπάντων καρποτροφοῦσα τροφοδότην. γῆ ἐστιν, ἐφ' ἣν τῆς ἁμαρτίας ἄκανθα οὐκ ἀνέτειλε, τοὐναντίον δὲ μᾶλλον διὰ τοῦ ταύτης ἔρνους πρόῤῥιζος ἐκτέτιλται· γῆ ἐστιν, οὐχ ὡς ἡ πρότερον κατηραμένη, καὶ ἧς καρποὶ πλήρεις ἀκανθῶν καὶ τριβόλων, ἀλλ' ἐφ' ἣν εὐλογία κυρίου, καὶ ἧς εὐλογημένος ὁ καρπὸς τῆς κοιλίας, ὥς φησιν ὁ ἱερὸς λόγος.

1) Ex. III. 5.
2) Ps. CV. 24.
3) Ps. LXXXIV. 10.

amore captus illius quae creatis omnibus speciosior est; illam amplexus quae caelestibus Virtutibus dignitate praeit. De hac itaque summe admirabilis Zacharias [1]) ait: *gaude et laetare filia Sion, quia ecce venio et habitabo in medio tui, dicit Dominus*. Sed et beatissimus Ioel de eadem, ut quidem existimo, ita propemodum noscitur [2]) clamare: *confide terra, gaude et laetare, quia magnificavit Dominus ut faceret tibi*. Terra namque est, in qua sacratissimus Moyses umbraticae legis calceamentum solvere ob gratiae commutationem iussus est. Terra est, in qua ille carne fundatus a Spiritu canit [3]) qui fundat terram super stabilitatem suam. Terra est in qua nulla peccati enata spina, secus vero per cuius germen illud potius evulsum est. Terra est non uti prior maledicta, et cuius fructus spinis atque tribulis horrescant; sed super quam benedictio Domini fuit, et cuius fructus ventris benedictus, ut sacro dictum est [4]) oraculo. » Quibus haec [a]) affinia sunt: « Moyses audiens Dei vocem ex igne atque rubo inclamantem, ne huc accesseris, sanctus namque locus est; in his convenienter Christum praesignavit in carne ex innocente pariendum. Ecce sanctus Dei locus splendide demonstratus est, civitas regis undequaque gloriosa exstructa, lucidus paradisus iucunde effloruit, paradisi conciliatrix et hominum ad Christum coniunctio. » Atque haec [b]) rursum: « Ipsa es prophetarum omnium multis insigne nominibus praeconium; porta namque Dei, urna aurea, terra sancta es, Virgo Dei sponsa, ut quae carne concepisti Iesum Christum patrum Deum et supergloriosum. »

503. Huic imagini altera succedit *ex ardenti incombustoque rubo* desumpta, quaeque in ecclesiasticis monimentis luculentissime fre-

a) *Theophanes* in Men. die IV. Septembris Ode δ'. pag. 31. col. 1. A. *Μὴ ἐγγίσῃς ἐν τοῖς ὧδε Μωσῆς, ἀκούσας Θεοῦ φωνῆς βοώσης ἐκ φλογὸς καὶ τῆς βάτου· ἅγιος ὁ τόπος γάρ· εἰκότως προέγραψεν ἐν σαρκὶ τεχθῆναι Χριστὸν ἐξ ἁγνῆς.*

Iosephus ibidem die VII. Ode θ'. pag. 53. col. 1. E. *Ἴδε τοῦ Θεοῦ ὁ τόπος ὁ ἅγιος προφανῶς δέδεικται· πόλις ἡ περίδοξος τοῦ βασιλέως ἀνῳκοδόμηται, ὁ φωταυγὴς παράδεισος φαιδρῶς ἐξήνθησε παραδείσου πρόξενος ὑπάρχουσα πρὸς Χριστόν τε ἀνθρώπων οἰκείωσις.*

b) Offic. quadrag. Dom. III. Ieiun. Ode ς'. pag. 285. *Τὸ πάντων προφητῶν πολυώνυμον σὺ ὑπάρχεις κήρυγμα, πύλη γὰρ Θεοῦ, στάμνος χρυσῆ, γῆ ἁγία ἀνεδείχθης, παρθένε θεόνυμφε, κυήσασα ἐν σαρκὶ Ἰησοῦν τὸν Χριστὸν τῶν πατέρων Θεὸν, καὶ ὑπερένδοξον.*

1) Zach. II. 10.
2) Ioel. II. 21.
3) Ps. CIII. 5.
4) Luc. I. 42.

quentatur. En quae [a]) in Menaeis legimus: « Rubum quem Moyses incombustum vidit, montem Dei, sanctam nubem, immaculatum tabernaculum, mensam quae Deum recipit, palatium supremi regis, portam totam lucidam atque imperviam, te Virginem laudamus. » En quae habet [1]) Ephraemus: « In igne Moyses adumbravit decora tua, filia David, in cuius sinu flamma commorata est, et tu non es combusta Dei mater et gratia plena. » Suffragantur Proclus constantinopolitanus et Theodotus ancyranus, e quibus ille [b]) ait: « Adeamus itaque cum fiducia, si lubet, ad sanctificatum huius secundi tabernaculi locum, soluto mortali calceo irretitae consuetudinis. Neque enim sacerdos penetrat intra adytum, nisi a se prius absonas omnes cogitationes abiecerit; nec [2]) Moyses visionem illam magnam divinae dispensationis videre potest, praeter quam ubi humana omnia negotia transmisit. Sic enim spinosam hominum naturam cum divinitatis natura quae non comburat sed illuminet, commercium habituram didicit. Rubus quippe igni per id tempus commixtus Virginis gessit symbolum, quae verum illud lumen concepit sine semine: solem, inquam, illum iustitiae ex impolluto illo oriturum thalamo, ut [3]) iuxta Scripturam gentilium aquas calefaceret, ut bo-

a) Men. die XXIX. Octobris Ode γ'. pag. 176. col. 1. D. *Τὴν βάτον, ἣν Μωσῆς ἀκατάφλεκτον εἶδε, τὸ ὄρος τοῦ Θεοῦ, τὴν ἁγίαν νεφέλην, σκηνὴν τὴν ἀμόλυντον, τὴν θεόδεκτον τράπεζαν, τὸ παλάτιον τοῦ ὑψηλοῦ βασιλέως, τὴν ὁλόφωτον καὶ ἀδιόδευτον πύλην, παρθένον ὑμνοῦμεν σε.*

b) Orat. VI. quae est Deiparae laudatio §. VI. pag. 635. E. et 636. A-B. apud Gallandium T. IX. *Καταθαῤῥήσωμεν, εἰ δοκεῖ, τοῦ ἡγιασμένου τῆς δευτέρας σκηνῆς τόπου, λυθέντος τοῦ νεκροῦ ὑποδήματος τοῦ συμπεποδισμένου τρόπου· οὔτε γὰρ ὁ ἱερὸς εἰς τὸ ἄδυτον εἰσέρχεται, ἐὰν μὴ πάσης ἑαυτοῦ χωρίσῃ λογισμῶν ἀτοπίας· οὔτε ὁ Μωϋσῆς, τὸ μέγα τῆς δεσποτικῆς οἰκονομίας δύναται ὄψεσθαι ὅραμα, ἐὰν μὴ πάντα παρέλθῃ τὰ ἀνθρώπινα πράγματα· οὕτω γὰρ ἔμαθεν, ἡ ἀκανθώδης τῶν ἀνθρώπων φύσις τῇ φωτιστικῇ, οὐ τῇ καυστικῇ θεότητος κοινωνεῖν φύσει· σύμβολον γὰρ ἔφερεν ἡ προσομιλοῦσα βάτος τότε τῷ*

1) Pag. 605. opp. graec. T. III.

2) Ex. III. 5.

3) Is. LXIV. 2. « Subiuncta verba, *κατὰ τὸ γεγραμμένον*, inquit Combefisius, palam indicant alludi ad Scripturae locum aliquem, nec alius occurrit quam quo Is. LXIV. 2. dominicus adventus instar ignis significatur facientis ebullire ac fervere aquas. כקדח אש המסים מים Pagn. *sicut aquam bullire facit ignis*. Vulg. *aquae arderent igni*. Significatur effectus divini adventus ad vindictam, tametsi Proclus allegoria transfert ad adventum Domini ad salutem, quo vere efferbuerunt aquas Gentilium divino eius igne. LXX. *καὶ κατακαύσει πῦρ τοὺς ὑπεναντίους*, *et comburet ignis adversarios:* quod ipsum potuit respicere Proclus, ac tum ex eo, tum ex aliis ac hebraica veritate habere *τὰ ἐθνικὰ ὕδατα*. Siquidem *aquae multae, populi multi.* » Ceterum potior huius loci difficultas prodit ex voce הֲמָסִים, quae nonnisi hoc in textu occurrit, et de qua pluribus disserit I. F. Schelling in Animadvers. phil. crit. ad difficiliora loca Isaiae.

nitatis colore diabolicae pravitatis glaciem solveret, ut divinitatis splendore ignorantiae noctem fugaret, ut coruscantibus radiis creaturam illustraret quam condidisset. » Theodotus vero [a]) in praeclara homilia lecta in ephesina synodo, Cyrillo episcopo praesente, his verbis Iudaeum divinae incarnationis hostem ad incitas redigit: « Dicat mihi, quomodo Moyses [1]) viderit Deum. Naturam ne vidit invisibilem? Nullo modo; eam enim humana mens assequi non potest. Quomodo ergo vidit? Dic, obsecro. Vidit [2]) ignem ex rubo ardentem, nec ipsum tamen rubum consumentem. Cur ergo ex Virgine nato, Virginemque incorruptam servanti fidem non habes? An tu Deum ex rubo loquentem audiens, Moysique dicentem: *ego sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Iacob:* et ipsum Moysem pronum adorantem, credis, non ignem reputans qui cernebatur, sed Deum qui loquebatur; quum vero virgineum uterum memoro, abominaris et aversaris? Dic mihi quid est vilius, rubus ne an uterus virgineus ab omni passione peccati purus? Ignoras quae antiquitus gesta sunt, recentiorum eorumque quae nunc contigerunt, esse praeludium? Mysteria namque veteribus illis typis praefigurantur. Quare rubus accenditur, ignis conspicitur, et quae tamen ignis natura fert, non operatur. Nonne Virginem in rubo animadvertis? »

πυρὶ, τῆς ἀσπόρως συλλαβούσης παρθένου τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν· τὸν ἥλιον τῆς δικαιοσύνης, τὸν ἐκ τούτου ἀνατέλλοντα τοῦ ἀμολύντου παστοῦ, ἵνα τὰ ἐθνικὰ ὕδατα θερμάνῃ, κατὰ τὸ γεγραμμένον· ἵνα τῇ θερμότητι τῆς ἀγαθότητος τὸν κρυμὸν διαλύσῃ τῆς διαβολικῆς δεινότητος· ἵνα τῇ λαμπρότητι τῆς θεότητος τὴν νύκτα ἐκδιώξῃ τῆς ἀγνωσίας· ἵνα ταῖς φωτιστικαῖς ἀκτῖσι, τὴν ὑπ' αὐτοῦ γενομένην καταυγάσῃ κτίσιν.

a) Hom. in Salvatoris natal. §. II. pagg. 449. C. et 450. A-B. apud Gallandium T. IX. Λεγέτω μοι, πῶς Μωϋσῆς εἶδε θεόν· τὴν φύσιν εἶδε τὴν ἀόρατον; οὐδαμῶς, ἀνέφικτος γὰρ αὕτη λογισμοῖς ἀνθρωπίνοις· πῶς δὲ εἶδεν; εἰπέ· εἶδεν ἐκ τῆς βάτου ἀναπτόμενον πῦρ, καὶ τὴν βάτον οὐ φθεῖρον· διὰ τί οὖν ἀπιστεῖς τῷ ἐκ παρθένου γεγεννημένῳ, καὶ τὴν παρθενίαν μὴ φθείραντι; ἢ σὺ μὲν ἀκούων ὅτι ἐκ βάτου φθέγγεται θεὸς, καὶ λέγει Μωϋσῇ· ἐγὼ ὁ θεὸς Ἀβραὰμ, καὶ ὁ θεὸς Ἰσαὰκ, καὶ ὁ θεὸς Ἰακὼβ, καὶ ὅτι πεσὼν Μωϋσῆς προσκυνεῖ, πιστεύεις, οὐ λογιζόμενος τὸ πῦρ τὸ ὁρώμενον, ἀλλὰ θεὸν τὸν φθεγγόμενον, ὅταν δὲ μήτρας παρθενικῆς μνημονεύσω, βδελύσσῃ καὶ ἀποστρέφῃ; τί γὰρ εὐτελέστερον· εἰπὲ, βάτος, ἢ μήτρα παρθενικὴ καθαρὰ τῶν ἁμαρτίας παθῶν; οὐκ οἶδας ὅτι τὰ ἀρχαῖα μελέτη τῶν νεωτέρων, καὶ τῶν νῦν γενομένων ἐστί; τὰ γὰρ μυστήρια προτυποῦνται διὰ τῶν παλαιῶν· διὰ τοῦτο βάτος ἀνάπτεται, πῦρ φαίνεται, καὶ τὰ πυρὸς οὐκ ἐνεργεῖ· ἆρα ἐν τῇ βάτῳ οὐχ ὁρᾷς τὴν παρθένον;

1) Ex. XXXIII. 22.

2) Ex. III. 12.

504. Ut autem missa faciam, quae eodem pertinentia tradunt [1]) Hesychius et [2]) Andreas, uterque hierosolymitanus; ea in primis addo quae [a]) Iohannes euboeensis his verbis complectitur: « Cantate Domino omnis terra, cantate Domino et benedicite nomini eius, quia Virgo puella ad templum adducitur, ut qui templum sanctificat, in ipsa inhabitet; quum vero inhabitaverit, eius viscera non comburet, sed quemadmodum Moysis rubum ab igne protexit, ita etiam ponens in hac tabernaculum Deus ab exitio mundum servabit. » Tum illa addo quae relatis Archangeli verbis ad Deiparam, Modestus [b]) scribit: « Huc transplantatus est tamquam de gloria in gloriam in mortali forma rubus ardens divinitatis in terram viventium, ut simul coruscaret lumine personae Christi Dei, quem omnino et vere gestavit in utero, et per eum servata est incombusta, sola inter mulieres benedicta Virgo mater. » Porro commemorata Unigeniti incarnatione, de Angelis [c]) ait: « Et fortasse stupore perculsi sunt cogitantes qui fieri potuerit, ut mortali genere orta illius fuerit mater, qui mortale genus plasmavit; vel quaenam et quanta ipsa esset in personae suae maternis proprietatibus, ut incomprehensibilem comprehenderit, divinitatis ignem incombusta portaverit, mundi conditorem genuerit, qui brachio portat omnia, suis in ulnis eum gestaverit, illum foverit qui [3]) *respicit terram et facit eam*

a) Orat. in Deiparae concept. pag. 16. Ἄισατε τῷ κυρίῳ πᾶσα ἡ γῆ· ᾄσατε τῷ κυρίῳ, εὐλογήσατε τῷ ὀνόματι αὐτοῦ· ὅτι κόρη παρθένος ναῷ προσφέρεται· ἵνα ὁ τὸν ναὸν ἁγιάζων, ἐν αὐτῇ κατοικήσῃ· καὶ κατοικήσας τὴν ταύτης γαστέρα μὴ καταφλέξει· ἀλλ' ὥσπερ ἐπὶ τῷ πυρὶ Μωϋσέως τὴν βάτον ἤρεψεν, οὕτως καὶ ἐν ταύτῃ κατασκηνῶν Θεὸς σώσει τὸν κόσμον.

b) Encom. in Deiparam pag. 15. Ἀπὸ τῶν τῇδε μετεφυτεύθη, ὥσπερ ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν, ἡ βροτοφυὴς πυροφόρος βάτος τῆς θεότητος, ἐν χώρᾳ ζώντων, συναστράψαι ἐν φωτὶ προσώπου Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ, ἐν αὐτῇ ὁλικῶς καὶ ἀληθῶς κυοφορηθέντος, καὶ ὑπ' αὐτοῦ φυλαχθεῖσα ἄφλεκτος, ἡ μόνη ἐν γυναιξὶν εὐλογημένη παρθενομήτωρ.

c) Ibid. pagg. 35-37. Καὶ διηπόρουν ἴσως ἐννοοῦντες πῶς ἡ βροτογενὴς γέγονε βροτοπλάστου μήτηρ, ἢ τίς αὕτη ἄρα καὶ πηλίκη τοῖς θεομητρικοῖς ἰδιώμασι τοῦ αὐτῆς προσώπου, ἡ τὸν ἀχώρητον χωρήσασα, ἡ τὸ πῦρ τῆς θεότητος ἐνεγκαμένη ἀφλέκτως, ἡ γεννήσασα τὸν ποιητὴν τοῦ παντὸς, καὶ ἐν ἀγκάλαις βαστάσασα τὸν φέροντα τῇ δρακὶ τὰ σύμπαντα, ἡ περιθαλψαμένη τὸν ἐπιβλέποντα ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ ποιοῦντα αὐτὴν τρέμειν, ἡ θρέψασα αὐτὸν τὸν διδόντα τροφὴν πάσῃ σαρκὶ, ὅπως ἀνυμνήσωσι καὶ μεγαλύνωσι τὴν ἐντεῦθεν πρὸς Θεὸν ὑπερκόσμιον αὐτῆς ἄφιξιν.

1) Orat. in Deiparam pag. 422. B. in Biblioth. graeco-lat. T. II.

2) Orat. in Salutat. angelic. pag. 440. D. ibid.

3) Ps. CIII. 32.

tremere, quae illum qui [1]) *dat escam omni carni* nutrierit: ut hymnis celebrarent et magnificarent illius ex hoc mundo caelestem ad Deum profectionem. »

5o5. His autem gemina sunt quae [a]) vulgatus Gregorius neocaesariensis interrogando exquirit scribens: « Quomodo vero Maria divinitatis feret ignem? Thronus tuus splendore illuminatus accenditur, et Virgo te ferre poterit ut non comburatur? Cui Dominus: immo vero, inquit, si ignis in solitudine laesit rubum, laedet omnino et Mariam meus adventus; at si ignis ille, qui divini mei ex caelo ignis adventum designabat, rubum rigavit non combussit; quidnam de ipsa veritate dixeris, non in flamma ignis, sed in specie pluviae descendente? » Neque alio pertinent quae de rubo Deiparam praesignante tradunt [2]) Theodotus ancyranus, Sophronius hierosolymitanus [3]), Photius byzantinus [4]), Iohannes geometra [5]), Petrus Damiani [6]), Nerses claiensis [7]) et Eckbertus schonaugiensis [8]), quaeque ex eodem ducta in ecclesiasticis libris frequentant [9]) Latini, Graeci [10]), Copti [11]) et [12]) Syri. Atque ex Coptorum quidem hymnis haec iuverit [b]) memorasse: « Rubus quem Moyses in deserto vidit igne suc-

a) Orat. III. in Deiparae annunciat. pag. 29. A. Πῶς δὲ ἐνεγκεῖ Μαριὰμ τῆς θεότητος τὸ πῦρ; ὁ θρόνος σου φλέγεται τῇ αἴγλῃ περιλαμπόμενος, καὶ δύναταί σε φέρειν ἡ εὐκατάφλεκτος παρθένος; καὶ ὁ δεσπότης φησίν· ναί, εἰ ἔβλαψεν τὸ πῦρ ἐν ἐρήμῳ τὴν βάτον, βλάψει πάντως καὶ Μαρίαν ἡ ἐμὴ παρουσία. εἰ δὲ ἐκεῖνο τὸ πῦρ τὸ σκιαγραφῆσαν τὴν τοῦ θεϊκοῦ πυρὸς ἐξ οὐρανοῦ παρουσίαν, ἤρδευσεν τὴν βάτον καὶ οὐκ ἔφλεξεν· τί ἂν εἴποις περὶ τῆς ἀληθείας, οὐκ ἐν φλογὶ πυρὸς, ἀλλ᾽ ἐν σχήματι ὑετοῦ καταβαινούσης;

b) Theotoch. pag. 108. tetrast. ult.

Ⲡⲓⲃⲁⲧⲟⲥ ⲉⲧⲁ Ⲙⲱⲩⲥⲏⲥ ⲛⲁⲩ ⲉ̀ⲣⲟϥ ⲉ̀ⲃⲟⲗϧⲓ ⲡϣⲁϥⲉ, ⲉⲣⲉ ⲡⲓⲭⲣⲱⲙ ⲙⲟϩ ⲛ̀ϧⲏⲧϥ, ⲉⲧⲉ ⲙ̀ⲡⲟⲩⲣⲱⲕϩ ⲛ̀ϫⲉ ⲡⲉϥⲕⲗⲁⲇⲟⲥ ⁘
Ⲉϥⲟⲓ ⲛ̀ⲧⲩⲡⲟⲥ ⲙ̀Ⲙⲁⲣⲓⲁ ϯⲡⲁⲣⲑⲉⲛⲟⲥ ⲛ̀ⲁⲧⲑⲱⲗⲉⲃ·

1) Ps. CXXXV. 25.

2) In tractatu de rubo incombusto, e quo verba referuntur a Severo antiocheno in opere adversus Iulianum halicarnassensem pag. 200. apud Mai in Spicileg. rom. T. X.

3) Hymn. εἰς τὸν εὐαγγελισμὸν τῆς θεοτόκου, vv. 60. seqq. pag. 51. apud Mai in Spicilag. rom T. IV.

4) Amphiloch. ϛθ'. Διατί ἐν βάτῳ καὶ οὐκ ἐν ἑτέρῳ φυτῷ τῷ Μωϋσεῖ ὀπτάνεται ὁ θεός, pag. 152. apud Mai Scriptt. vett. T. IX.

5) Hymn. I. in Deiparam vv. 21-22. pag. 437. C. in Opp. ad Biblioth. PP. graeco-lat. T. III.

6) In Rythmo de s. Maria pag. 11. col. 1. D. opp. T. IV.

7) Explanat. in Hom. de s. Cruce pagg. 299-300. opp. T. II.

8) Orat. de beata Virgine n. 6. pag. 705. D-F, inter opp. Bernardi T. V., ubi Deiparae et rubi comparatio his verbis concluditur: « Fuit enim Maria mundissima carne, humillima corde, devotissima mente. »

9) Thesaur. hymnolog. T. II. pagg. 32-245.

10) Octoech. pag. 4. col. 2. D. et offic. quadrag. in Sabbato Tyroph. Ode θ'. pag. 77, Fer. V. Heb. II. Ieiun. Ode ϛ'. pag. 190. et Sabb. hebd. III. Ieiun. Ode γ'. pag. 279.

11) Theotoc. pag. 91. tetrast. II.

12) Offic. Maronit. in noct. Fer. IV. pag. 241.

censum, et cuius rami non comburebantur, typus est Mariae virginis immaculatae. » Ex Syrorum vero canticis digna haec sunt [a]) quae animo recolantur: « In igne Moyses adumbravit decora tua, o filia David, in cuius sinu flamma *(ignis, Deus)* commorata est, et tu non es combusta o Dei mater et gratia plena. » Absolvo [b]) Iohannis damasceni verbis quibus Deiparam salutans inquit: « Ave rubus, igni complicatum miraculum, ipsa per ereptionem peccato inaccessa (nam et arbustum istud tangi nequit), et cuius divino partu caelum terrigenis pervium evaserit. »

506. Piaculum vero foret alteram silentio premere imaginem, qua tum [1]) Severus antiochenus utitur, quum utriusque foederis ingenium componens scribit: « Illic spiritus servitutis, et *mons* ob pompaticam Dei gloriam ardens, Moysesque minister; heic autem adoptionis gratia, *rationalis mons* Virgo, quae puritate sua et Spiritus sancti descensu radiis veluti coruscabat. » Utitur eadem imagine Iohannes quoque damascenus, atque eo splendidius utitur quo plura simul coniungens ubi [c]) de natali Deiparae verba habet, exclamat: « Gestite laetitia montes, rationales naturae, quae ad spiritualis contemplationis fastigium assurgitis. Mons quippe Dei clarissimus partu editur, qui collem omnem montemque, angelorum scilicet et hominum sublimitatem superat et transcendit: ex quo nulla manus opera corpore tenus exscindi voluit lapis angularis Christus.

a) Apud Ephraemum opp. syr. T. III. pag. 605. et in offic. Maronit. pag. 404.
ܒܢܘܪܐ ܨܪ ܡܘܫܐ ܫܘܦܪܝܟܝ ܒܪܬ ܕܘܝܕ. ܕܥܡܪܐ ܫܠܗܒܝܬܐ ܒܥܘܒܟܝ ܘܠܐ ܐܬܚܪܟܬܝ.
ܐܡܐ ܕܐܠܗܐ ܘܡܠܝܬ ܛܝܒܘܬܐ.

b) Orat. II. in Deiparae nativit. pag. 854. A. Χαῖρε βάτε, τὸ πυρίπλοκον θαῦμα, ἡ κατὰ στέρησιν ἄβατος τῇ ἁμαρτίᾳ· ἐπεὶ καὶ φυτὸν ἀθιγές· καὶ βάτον οὐρανὸν δεδειχυῖα γηγενέσιν ἐκ θεογονίας σου.

c) Orat. I. in Deiparae nativit. pag. 845. B-D. Σκιρτήσατε τὰ ὄρη, λογικαὶ φύσεις, καὶ πρὸς ὕψος τῆς πνευματικῆς θεωρίας ἀνατεινόμεναι· τὸ γὰρ ὄρος κυρίου τὸ ἐμφανέστατον τίκτεται, τὸ ὑπερβεβηκὸς καὶ ὑπερκείμενον πάντα βουνὸν, καὶ πᾶν ὄρος, ἀγγέλων καὶ ἀνθρώπων τὴν ὑψηλότητα, ἐξ οὗ χειρὸς ἄνευ σωματικῶς τμηθῆναι ηὐδόκησεν ὁ ἀκρογωνιαῖος λίθος Χριστός· ὄρος τοῦ θεοῦ, ὄρος πῖον, ὄρος τετυρωμένον, ὄρος πῖον· τὸ ὄρος ἐν ᾧ ηὐδόκησεν ὁ θεὸς κατοικεῖν ἐν αὐτῷ· τὸ θεῖον ἅρμα τὸ μυριοπλάσιον, τῶν τῇ θείᾳ εὐθηνούντων χάριτι· Χερουβὶμ λέγω καὶ Σεραφίμ· ἡ ἄκρα ἡ τοῦ Σινᾶ ἁγιωτέρα, ἣν οὐ καπνὸς, οὐ γνόφος, οὐ θύελλα, οὐ πῦρ δειματοῦν καλύπτει, ἀλλ' ἡ φωτιστικὴ τοῦ παναγίου πνεύματος ἔλλαμψις.

1) Hom. de Deipara pag. 213. apud Mai Spicileg. rom. T. X.

Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis: mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. Currus Dei decem millibus multiplex, divinae gratiae copia exuberantium, Cherubim inquam et Seraphim. Vertex Sina sanctior, quam non fumus, non caligo, non procella, non terrorem incutiens ignis tegit; sed sanctissimi Spiritus vis illuminatrix. » Et [a]) rursum: « Ave pura, quae sola mundum cor habere gloriari possis, mons vere Deo gratus; ex qua novus Israel vetere praestantius diuturniusque sanctificatur. »

507. Eorum igitur numero quae patres disertis repetitisque testimoniis comprobarunt, recenseri debet *terra sancta, rubo incombusto atque Sina monte* fuisse Deiparam praefiguratam. Verum ecquam huius praemonstrationis rationem ex illorum sententia existimabimus? Aut quid eiusmodi imaginibus ad Deiparam spectans, iisdem auctoribus, adumbratum putabimus? Videlicet putabimus I. adumbratam fuisse Deiparam non secus ac *terram sanctam, terram desiderabilem, terram e qua veritas prodiit, terram in qua secundum carnem fundatus est Christus, terram creatis omnibus speciosiorem, terram a priore longe diversissimam neque maledicto obnoxiam, terram benedictionibus refertam, ac terram quae nulla peccati spina inhorruit, sed per quam peccatum ipsum fuit radicitus evulsum.* Putabimus II. idcirco Deiparam adumbratam fuisse ceu rubum incombustum, *tum quod divinitatis ignem incolumi virginitate conceperit, tum quod eo usque pura exstiterit ab omni passione peccati, ut per subtractionem eidem fuerit inaccessa peccato.* Putabimus tandem III. adumbratam quidem fuisse tamquam *montem Sina, sed simul tamquam montem eo sanctiorem, montem Deo vere gratum, montem tam angelis quam hominibus celsiorem, et montem insitae puritatis radiis ita coruscantem, ut ipse unus de sua puritate suaque innocentia exsultare potuerit.* Huc profecto redeunt quae patres suis enarrationibus complectuntur, quaeque Virginem rebus sanctissimis sanctiorem ostendunt, illamque cuiusvis expertem culpae ac penitus immaculatam demonstrant.

a) Orat. II. in Deiparae nativit. pag. 856. C. Χαῖρε ἁγνὴ, ἡ μόνη τὴν καρδίαν ἁγνὴν αὐχηματικῶς ἔχουσα· τὸ ὄρος ἀληθῶς τὸ θεόδεκτον, ἀφ' οὗ ἁγνίζεται ὁ νέος Ἰσραὴλ τοῦ πάλαι τιμαλφέστερον καὶ χρονιώτερον.

ARTICULUS III.

De imaginibus ex vellere Gedeonis, ex nube Isaiae, ex monte Habacuc, ex Sion civitate sancta, ex Bethlehem atque ex vase novo Elisaei; de receptis apud patres harum imaginum enarrationibus, deque iis quae ad illustrandas Virginis origines inde dimanant.

508. Quod *de vellere Gedeonis* [1]) in Scripturis narratur, eiusmodi patribus visum est, quod ad praesignandam Deiparam eiusque dotes adumbrandas aptissime conduceret. Egregie [a]) Theophanes: « Velut imber quondam descendit in vellus Gedeonis, sic delapsus est in uterum tuum ad carnem induendam fluvius pacis, fons bonitatis atque clementiae, ille denique Dominus qui guttas omnes pluviarum habet in numerato, idest, Deus patrum nostrorum. » Egregie [b]) Psellus: « Vellus te antiquitus praevidit Gedeon, ad quod Deus veluti pluvia descendit, et terram suam cognitione replevit, o innocens mater simul atque virgo. » Et egregie Proclus qui sic [c]) orditur: « Quibus ergo encomiorum coloribus virginalem depingam imaginem? Quibus laudum praeconiis incontaminatum exornabo innocentiae characterem? » Tum [d]) pergit: « Haec incontaminatum vellus in mundi area positum, in quam salutis pluvia e caelo descendens terram universam ab immensa malorum illuvie siccavit. »

509. Similia habet [2]) Ephraemus, similia Graeci [e]) his verbis

a) Men. die XXV. Iannarii Ode ζ'. pag. 192. col. 2. E. Ὄμβρος ὡς ἐπὶ πόκον καταβὰς, ἐν σῇ γαστρὶ σεσάρκωται ὁ τῆς εἰρήνης ποταμὸς, ἡ πηγὴ τῆς ἀγαθότητος, ὁ σταγόνας ὑετοῦ ἐξαριθμούμενος, ὁ τῶν πατέρων θεὸς εὐλογημένος.

b) In officio Metaphrastis pag. 238. apud Allatium de Symeonum scriptis. Πόκον σὲ πάλαι προεῖδεν ὁ Γεδεὼν, ἐφ' ὃν καταβέβηκεν ὁ θεὸς ὡς ὑετὸς, καὶ τὴν γῆν πεπλήρωκεν αὐτοῦ, μητροπάρθενε ἁγνὴ, τῆς ἐπιγνώσεως.

c) Orat. VI. de laudibus Deiparae §. XVII. pag. 645. A. apud Gallandium Tom. IX. Ποίοις οὖν ἐγκωμίων χρώμασι τὴν παρθενικὴν διαγράψω εἰκόνα; ποίοις ἐπαινῶν ῥήμασι τὸν ἄσπιλον τῆς ἁγνείας φαιδρύνω χαρακτῆρα;

d) Ibid. pag. 646. A. Αὕτη ὁ τιθέμενος ἐν τῇ κοσμικῇ ἅλωνι ἄσπιλος πόκος, ἐν ᾧ ὁ σωτήριος ἐκ τοῦ οὐρανοῦ κατελθὼν ὑετὸς, πᾶσαν ἐξήρανε τὴν γῆν ἐκ τῆς ἀμέτρου φορᾶς τῶν κακῶν.

e) Euchology. pag. 589. C. Μυεῖται πνεύματι παρθένε ἄχραντε, Γεδεὼν ἐν τῷ πόκῳ

1) Iudic. VI. 37. seqq.

2) Precat. IV. pag. 529. F. opp. graec. T. III.

tradunt in Canone funereo pro mulieribus defunctis: « Verbi divini illapsum in te, o Virgo illibata, spiritu actus Gedeon vellere mystice repraesentat, conceptu tuo roris stillicidio adumbrato. » Similia canit [a]) Iosephus hymnographus inquiens: « Salve o templum sanctissimum, o vellus [1]) divino rore perfusum, o fons signatus immortalis fluenti: custodi, Domina, gregem tuum ita ut a nullis hostibus expugnetur. » Tandem [b]) Iohannes damascenus Virginem salutans ait: « Vellus Gedeonis, victoriae symbolum, ex qua figurate Rex immortalis defluxit, qui conceptis verbis [2]) inquit: *confidite, ego vici mundum.* » Fuit itaque Deipara vellus, sed *vellus intaminatum, vellus in mundi area positum, et a mundo qui purgari per ipsum debebat seiunctissimum, vellus denique illius victoriae symbolum, quam Christus erat plenissime relaturus, et cuius exordia in Virgine praecesserunt.* Quae probe intelligentur, si animus ad ea advertatur quae [3]) Sophronius senior enarrans [4]) Gabrielis verba scribit: « *Ave,* inquit *gratia plena:* et bene plena, quia ceteris per partes praestatur: Mariae vero simul se tota infudit plenitudo gratiae. Hoc quippe est quod [5]) David canit: *descendit sicut pluvia in vellus.* Vellus itaque quum sit de corpore, nescit corporis passionem. » Plenitudine igitur gratiae factum est, ut Virgo, quae cum hominum genere per naturam coniungebatur, nullam cum eo per gratiam [6]) culpae cognationem praeseferret.

τὴν ἐπί σοι κάθοδον τοῦ λόγου· τρανῶς γὰρ νᾶμα δρόσου ἐμφανῶς εἰκονίζων σου τὴν σύλληψιν.

a) Men. die XXX. Octobris Ode α'. pag. 183. col. 1. B. Χαίροις ὁ πανάγιος ναὸς, ὁ πόκος ὁ θεόδροσος, ἐσφραγισμένη πηγὴ τοῦ ἀθανάτου ῥεῖθρου· τὴν ποίμνην σου, δέσποινα, φύλαττε ἐκ παντοίων πολεμίων ἀπολιορκήτως.

b) Orat. II. in Deiparae nativit. pag. 856. D. Χαῖρε πόκε, τὸ περὶ τὸν Γεδεὼν νίκης σύμβολον, ἐξ ἧς ἀπεῤῥύη τροπικῶς ἡ δρόσος ἡ ἀθάνατος, ὁ αὐτολέκτως φάμενος· θαρσεῖτε, ἐγὼ νενίκηκα τὸν κόσμον.

1) Ad eumdem typum referuntur quae prorsus gemina usurpantur in Offic. quadrag. in Sabbato Tyroph. Ode. α'. pag. 64., in canone Cosmae hierosolymitani εἰς τὴν θεογονίαν v. 59. in Thesaur. hymnolog. T. III. pag. 56. in canone τῶν ἁγίων Iohannis euchaitae sive mauropi vv. 35. seqq. Ibid. pag. 120. et in Latinorum canticis pagg. 67-93-245. in Thesaur. hymnolog. T. II.

2) Ioh. XVI. 33.

3) Orat. de Deiparae Assumpt. col. 96. B-C. inter opp. Hieronymi T. XI.

4) Luc. I. 28.

5) Ps. LXXII. 6.

6) Consonant itaque cum patrum doctrina quae in Officio Deiparae sub figura Velleris aurei edito an. MCCCCLVIII. et in Comitiis Valentinianensibus pro Hannonia approbato leguntur in Hymno ad Vesperas:

» Alba lana sanctitate, carens peccati macula,
Clarissima castitate, humilitatis regula,
» Hoc vellus absque laesura repletum divo semine
Tingitur, et fit purpura cruoris Nati flumine.

510. A quibus diversa non sunt quae ex commentariis maiorum *nubis* symbolum enarrantium manifestissime deducuntur. Ut enim a Menaeis ordiar, in iis [a]) legimus: « O quae es a sole fulgida [1]) nubes, tuam mihi communica lucem quae noxarum mearum tenebras tollat. Mihi in terrenis defixo faccibus manum praebe: erige me in peccato iacentem, tu quae lapso Adamo sola resurgendi caussa fuisti. » Praeterea [b]) legimus: « Tu es levis illa nubes [2]) prophetae, o innocens, cui insidens Dominus Aegyptum intravit, atque sanctos instar siderum praeparavit. » Tum [c]) legimus: « O nubes prae omnibus omnino hominibus fulgida, o Dei mater, tua robusta et omnipotenti dextera illos expugna qui nos oppugnant, clientibus tuis in necessitate constitutis adesto, inique circumventos amplectere, et tuis intercessionibus a peccatis redime; quaecumque enim vis, ea omnia potes. » Ac rursum [d]) legimus: « Atra malitiae caligo nunc incipit imminui, animata enim [3]) solis nubes orta est ex sterilibus lumbis, illa scilicet tota immaculata, cuius fulgen-

a) Men. die XII. Ianuarii Ode ϛ'. pag. 108. col. 1. B. Ἡ φωτεινὴ τοῦ ἡλίου νεφέλη λάμψον μοι αἴγλην λύουσαν τὸν ζόφον μου τῶν πταισμάτων· δίδου μοι χεῖρα ἐμπαρέντι εἰς ὕλην ἁμαρτίας· ἔγειρον κείμενον, μόνη τοῦ πεσόντος Ἀδὰμ ἐπανόρθωσις.

b) Men. die XVI. Maii Ode ζ'. pag. 67. col. 2. B. Ἡ νεφέλη ἡ κούφη ὑπάρχεις, ἁγνὴ, ἧς ἐπικαθήμενος ἦλθεν εἰς Αἴγυπτον ὁ παντοκράτωρ κύριος, καὶ φωστῆρας ὁσίους εἰργάσατο.

c) Men. die XVII. Iunii Ode θ'. pag. 66. col. 2. C. Ὑπέρφωτε νεφέλη, μήτηρ θεοῦ, τοὺς ἡμῖν πολεμοῦντας πολέμησον τῇ κραταιᾷ καὶ παντοδυνάμῳ σου δεξιᾷ, τοῖς ἐν ἀνάγκαις πρόστηθι, τῶν ἀδικουμένων ἀντιλαβοῦ πταισμάτων λυτρουμένη ταῖς σαῖς ἱκετηρίαις· ὅσα θέλεις, πάντα δύνασαι.

d) Men. die VII. Septembris Ode δ'. pag. 50. col. 2. B. Νῦν ὁ ζόφος τῆς κακίας ἐκμειοῦσθαι ἀπάρχεται· ἡ γὰρ τοῦ ἡλίου ἔμψυχος νεφέλη ἀνέτειλε στειρωτικῶν ἐκ λαγόνων, ἡ πανάμωμος· ἧς τὴν γέννησιν τὴν φωταυγῆ ἑορτάσωμεν.

temque consonant quae Lect. V. habentur: « Descendit ergo sicut pluvia in vellus, puram Virginem reddens puriorem, assumendo ab ea carnem purissimam, licet peccatrici similem. »

1) Quibus Wangnereckius in Pietate mariana Graecorum pagg. 244, 245. hanc subiicit adnotationem. « Nubi lucidae Deiparam patres quoque latini frequentissime comparant. Bernardus in Serm. *Signum magnum*, ubi Deiparae quasi gratulatur de Filio, sic ait: *tu vestis eum substantia carnis, et vestit ille te gloria maiestatis suae: vestis solem nube, et sole ipsa vestiris*: iuxta illud Apoc. XII. *Mulier amicta sole.* Et divus Hieronymus (is est Pseudo-Hieronymus) in illud Ps. LXXVII. *deduxit eos in nube diei*, inquit: *certe nubem debemus sanctam Mariam accipere. Pulcre dixit in nube diei: nubes enim illa non fuit in tenebris* (nempe peccati) *sed semper in luce*, gratiae scilicet divinae. Item Bonaventura in Spec. B. Virg. cap. III. *Maria est nobis columna nubis iuxta illud Psalmi*, deduxit eos in nube, *quia tamquam nubes protegit ab aestu divinae indignationis et diabolicae tentationis: est quoque columna ignis in nocte seculi huius illuminans mundum.* Sic de graecis patribus etiam Epiphanius (ut vulgo fertur) in Serm. de Laud. Virginis: *o beata Virgo nubes lucida es, quae fulgur de caelo lucidissimum Christum de caelo deduxisti ad mundum illuminandum.* »

2) Is. XIX. 1.

3) Ab his non distant quae Graeci usurpant

tem nativitatem solemni ritu celebremus. Cum his autem conspirant quae [a]) in Canone funereo pro mulieribus vita functis ita efferuntur: « Nubem te, o Virgo omni potior laude, Isaias manifeste vocavit, in qua Christus lux inaccessa corporaliter insedit, meaeque inscitiae tenebras illustravit. »

511. Accedunt diserta patrum priscorumque scriptorum testimonia, et principio quidem testimonium accedit [1]) Germani, qui non solum Deiparae symbolis *nubem* accenset, sed ipsum explanans [b]) symbolum ait: « Ave gratia plena, undique rutilans nubes Dei baiula, fons perennis aquas universis effluens. » Accedit deinde [c]) vulgati Chrysostomi testimonium, quo Deus exhibetur Gabrielem his verbis alloquens: « Abi ad nubem levem, meique adventus imbrem illi significa. Tu dicito Mariae, ave gratia plena, ut ego Evae miserear aerumnis malisque cumulatae. » Tum accedit testimonium [d]) Procli, qui primum ait: « Beatae per eam omnes mulieres. Non erit maledictus ultra neque exsecrandus femineus sexus: obtinuit enim quo etiam angelos gloria superet. » Quibus explanatis [e]) pergit: « Adoratur et Maria, tamquam quae mater ancillaque, et nubes thalamusque et arca Domini effecta sit... Nubes, concepit enim de Spiritu sancto quem illaesa integritate peperit. Quapropter dicamus

a) Euchoolog. pag. 590. B. Νεφέλην σε κέκραγεν Ἠσαΐας ἐμφανῶς, ἐν ᾗ Χριστὸς ἐκάθητο, τὸ ἀπρόσιτον σέλας σωματικῶς, παρθένε πανύμνητε, ὃ φωτίζει τὸ σκότος τῆς ἀγνοίας μου.

b) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 1423. C. ibidem. Χαῖρε κεχαριτωμένη, ἡ διὰ πάντων πορφυρίζουσα θεοβάστακτος νεφέλη, καὶ πηγάζουσα πᾶσιν ἀέναον.

c) Orat. in Deiparae annuntiat. col. 798. B-D. inter opp. Chrysost. T. II. Ἄπελθε πρὸς τὴν κούφην νεφέλην· μήνυσον αὐτῇ τῆς ἐμῆς παρουσίας τὸν ὄμβρον· σὺ εἰπὲ τῇ Μαριὰμ, χαῖρε κεχαριτωμένη, ἵνα ἐλεήσω ἐγὼ Εὔαν τὴν κεκακωμένην.

d) Orat. V. de laudibus Deiparae pag. 631. A. apud Gallandium Tom. IX. Μακαρίαι δι' αὐτὴν πᾶσαι αἱ γυναῖκες· οὐκ ἔστιν ὅτι τὸ θῆλυ ἐν κατάρᾳ· ἔσχε γὰρ τὸ γένος, ἀφ' οὗ καὶ ἀγγέλους νικήσει εἰς δόξαν.

e) Ibid. pag. 631. B-C. Προσκυνεῖται καὶ ἡ Μαρία, ὅτι γέγονε μήτηρ, καὶ δούλη, καὶ νεφέλη, καὶ θάλαμος, καὶ κιβωτὸς τοῦ δεσπότου· νεφέλη, ἐκ πνεύματος γὰρ ἁγίου συνέλαβεν, ὃν ἀπαθῶς ἔτεκε· δι' ὅπερ εἴπωμεν πρὸς αὐτήν· εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν, ἡ μόνη τῆς Εὔας θεραπεύσασα τὴν λύπην· ἡ μόνη τὰ τῆς στεναζούσης ἀπομάξασα δάκρυα· ἡ μόνη τὸ κοσμικὸν βαστασασα λῦτρον· ἡ μόνη τὸν θησαυρὸν τοῦ μαργαρίτου πιστευθεῖσα.

In Octoecho pag. 4. col. 2. E. et in offic. quadrag. Fer. III. Heb. II. ieiun. Ode 3'. pag. 175, Fer. IV. Heb. III. ieiun. Ode 6'. pag. 248., quaeque canit Sophronius hymno εἰς τὴν Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ γέννησιν vv. 70. seqq. pag. 24. in Thesaur. hymnolog. T. III.

1) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1315. B. apud Combefisium Auctar. T. I.

ei: benedicta tu in mulieribus, quae sola Evae maerori medelam attulisti, sola ingemiscentis lacrymas abstersisti, sola redemptionis mundi pretium portasti, sola creditum margariti thesaurum accepisti. »

512. Quid vero Petrus Argorum episcopus? Quid hierosolymitanus Modestus? Et quid Iohannes damascenus? Verba [a]) Petri conceptum Deiparae celebrantis sic habent: « Ob id hodie universa gaudio exsultant, naturaque nostra gratiarum actione refertas voces Deo offert dicens: gratias tibi ago, Domine, qui me sterilem et infecundam liberis procreandis excitasti, et me a damnationis spinis purgari coepisti, culturaeque propter divam Annam et Ioachim adaptasti. Gratias ago tibi qui me postquam erudieris, iterum hodie suscipis. Ob mulierem huc usque infelix ego, ob mulierem nunc beata sum effecta. Video enim quae a tuis prophetis de te praedicata sunt, iam iam compleri, horumque finem propemodum me videre praestolor. Nunc Virgo illa Isaiae, quae te Emmanuel in utero habebit et pariet, in tuae sterilis (Annae) utero plantatur, et levis nubes componitur, et virga radices agit, super quam ego innitar. » Suffragatur [b]) Modestus de assumpta Deipara scribens: « Sublata enim, sublata est ad Dominum gloriae nubes illa lucidissima, quae illum gestavit, et perfectam eius divinitatem in corpore tamquam fulgur emittens, ab eo in omnem terram quae sub caelo est, optima charismata depluit. » Eademque perspicuitate suffragatur [c]) Iohannes

a) Orat. in Deiparae concept. §. X. Διὰ τοῦτο χαρᾶς τὰ σύμπαντα γέγηθε σήμερον, καὶ ἡ φύσις ἡμῶν χαριστηρίους προσφέρει φωνὰς τῷ Θεῷ· εὐχαριστῶ σοι, δέσποτα, λέγουσα, ὅτι με στεῖραν οὖσαν καὶ ἄγονον πρὸς τεκνογονίαν διήγειρας· ὅτι μου τὰς τῆς κατακρίσεως ἀκάνθας ἀπέρξω, καὶ πρὸς φυτουργίαν διὰ τῆς θείας Ἄννης καὶ τοῦ Ἰωακεὶμ καθωμαλίσας· εὐχαριστῶ σοι τῷ παιδεύσαντι καὶ πάλιν προσλαμβανόμενος σήμερον· διὰ γυναικὸς μέχρι τοῦ νῦν ἀθλία ἐγὼ, διὰ γυναικὸς ἄρτι μακαρία γεγένημαι. Ὁρῶ γὰρ τὰ διὰ τῶν σῶν περὶ σοῦ προφητῶν προλελεγμένα τελεῖσθαι ἀρχόμενα, καὶ τὸ τέλος τούτων ὅσον οὔπω κατιδεῖν ἀπεκδέχομαι· νῦν ἡ, κατὰ τὸν Ἡσαΐαν, παρθένος ἕξουσα σὲ τὸν Ἐμμανουὴλ καὶ τέξασα, τῆς σῆς στείρας νηδύϊ φυτεύεται, καὶ ἡ κούφη νεφέλη συνίσταται, καὶ ἡ ῥάβδος ῥιζοῦται, ἐφ' ᾗ στηριχθήσομαι.

b) Encom. in Deiparam pag. 13. Ἤρθη γὰρ ἤρθη πρὸς κύριον τῆς δόξης ἡ ἐνεγκαμένη αὐτὸν παμφαὴς νεφέλη, καὶ ἐξαστράψασα τὴν τελείαν αὐτοῦ θεότητα ἐν σώματι, ὑετίζουσα παρ' αὐτοῦ τὰ πανάγαθα χαρίσματα τῇ ὑπ' οὐρανόν.

c) Orat. II. in Deiparae nativit. pag. 857. A. Χαῖρε νεφέλη φωτὸς, ἡ ἐν ἐρήμῳ τοῦ βίου πρεσβευτικῶς τὸν νέον Ἰσραὴλ σκιάζουσα· ἀφ' ἧς τὰ τῆς χάριτος διατάγματα ἤκουσται, ἐξ ἧς ὁ τῆς δικαιοσύνης ἥλιος ἀνατέταλκε μαρμαρυγαῖς ἀφθαρσίας καταφαιδρύνων τὰ σύμπαντα.

damascenus qui Deiparam compellans ait: « Ave lucis nebula in hac vitae solitudine [1]) novum Israel intercessione tua obumbrans, ex qua gratiae audita decreta, et de qua iustitiae sol ortus est, cuncta incorruptionis radiis collustrans. » Quo et haec pertinent [a]) Coptis solemnia: « Tu es nubes levis, quam interpretati sunt *(esse)* pluviam manifestationis Unigeniti. » Atque haec rursum [2]) ex Iacobo claiensi: « Nubes levis supra terrenas concupiscentias es, o sancta Virgo, quae rorem de Patre emanantem super rationalem terram effudisti. »

513. Unus reliquus est Ambrosius quem laudem, quique primum [3]) ait: « Illa autem columna nubis specie quidem praecedebat filios Israel, mysterio autem significabat Dominum Iesum in nube venturum levi, sicut dixit [4]) Isaias, hoc est, in Virgine Maria, quae nubes erat secundum hereditatem Evae, levis erat secundum virginitatis integritatem. Levis erat quae non homini quaerebat placere sed Domino. Levis erat quae non in iniquitate conceperat, sed Spiritu superveniente generabat, nec in delicto sed cum gratia parturiebat. » Tum [5]) pergit: « In nube *(Christus)* venit quem nebula corporis obumbrabat; sed levis erat caro quam nulla sua gravabant delicta. Quomodo enim peccatis gravaretur suis, qui auferebat omnium peccata populorum? » Quibus mutuo comparatis assequimur, idcirco Mariam ab Ambrosio dici *nubem secundum hereditatem Evae,* quod ex Eva tamquam ex matre omnium viventium humanam naturam acceperit: idcirco autem dici *levem,* quod non integram modo virginitatem servarit, sed quod nullis omnino fuerit gravata delictis. Sicut enim in ecclesiasticis monimentis millies repetitur, carnem Christi fuisse carnem Mariae, proindeque Christum aeque ac Mariam fuisse nubem levem; ita millies in eisdem Mariae defertur quod per ipsam ablata fuerint omnium peccata populorum.

514. Ceterum hoc *nubis* symbolum [6]) quod patribus arrisit utpote ad integritatem Virginis exprimendam aptissimum, non minus eis-

a) Theotoc. letrast. III. pag. 100.
Ⲛ̀ⲑⲟ ⲡⲉ ϯϭⲏⲡⲓ ⲉⲧⲁⲥⲓⲱⲟⲩ, ⲑⲏ ⲉⲧⲁⲩⲉⲣⲥⲩⲙⲙⲉⲛⲓⲛ ⲡⲁⲥ, ⲙ̀ⲡⲓⲙⲟⲩⲛϩⲱⲟⲩ ⲛ̀ⲧⲉ ϯⲡⲁⲣⲟⲩⲥⲓⲁ ⲛ̀ⲧⲉ ⲡⲓⲙⲟⲛⲟⲅⲉⲛⲏⲥ ⳾

1) Ex. XIII. 21.
2) Hymn. in Deiparae nativit. pag. 770. in Brev. arm. T. III. Consonat Nerses in Mathaeum pag. 77. opp. T. II.
3) In Ps. CXVIII. Serm. V. n. 3. col. 1019.
4) Is XIX. 1.
5) Ibid. n. 4. col. 1019.
6) Qua de re iuverit contulisse quae scribit Innocentius III. serm. in Dominica I. adventus pag. 481. apud Mai Spicileg. rom. T. VI.

dem placuit quod ad reliquas Virginis dotes adumbrandas insigniter conduceret. Sane non modo patribus Deipara est nubes levis, sed *nubes a sole fulgida, undique rutilans, splendida prae omnibus luminibus, nubes gloriae lucidissima atque angelos nitore vincens, nubes tota immaculata, nubes quae numquam fuit in tenebris sed semper in luce, nubes in cuius ortu atra imminuitur malitiae caligo, nubes in cuius conceptu humana natura incipit purgari a spinis peccatorum, nubes quae tollit culpae tenebras, quae Adamo caussa exstitit resurgendi, et per quam Deus misertus est Evae et illam aeque ac universum mulierum sexum ab exsecratione liberavit.* Puto autem quidquid esse facilius, quam ista atque istis similia cum infectis Deiparae originibus conciliare.

515. Neque multo, ut ego quidem arbitror, facilius cum eisdem conciliantur quae tum patres atque ecclesiastici scriptores tradunt, quum symbolum *montis umbrosi* ad Deiparam praesignandam usurpatum suis commentariis explanant. Agit de hoc symbolo Germanus, illudque cum reliquis enumerans de Virgine [a]) scribit: « Vocatur *mons. Et* [1]) *sanctus de monte umbroso ac condenso. Abscissus* [2]) *est lapis de monte sine manibus. Mons* [3]) *in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* » Et [b]) alibi Virginem compellans ait: « Ave gratia plena, mons Dei, mons pinguis, mons umbrose, mons non caese, mons in oculis omuium posite. » Ad quem typum simillima referuntur testimonia [4]) ex Anthologio, ex [5]) Octoecho, ex [6]) Cosma hierosolymitano, atque [c]) ex Iohanne damasceno qui canit: « Ge-

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1314. A. apud Combefisium Auctar. T. I. Καλεῖται ὄρος· καὶ ὁ ἅγιος ἐξ ὄρους κατασκίου δασέος· ἐτμήθη λίθος ἐξ ὄρους ἄνευ χείρων· ὄρος ὁ ηὐδόκησεν ὁ θεὸς κατοικεῖν ἐν αὐτῷ.

b) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 1423. D-E. apud Combefisium Auctar. T. I. Χαῖρε κεχαριτωμένη, ὄρος Θεοῦ, ὄρος πῖον, ὄρος κατάσκιον, ὄρος ἀλατόμητον, ὄρος Θεοῦ τὸ ἐμφανές.

c) Hymn. εἰς τὴν θεογονίαν, pag. 674. A. opp. T. I.

Γένους βροτείου τὴν ἀνάπλασιν πάλαι,
Ἄιδων προφήτης Ἀββακοὺμ, προμηνύει,

1) Habac. III. 3. ex versione alexandrina.

2) Dan. II. 34.

3) Ps. LXVII. 17.

4) Antholog. pag. 181. col. 1. B.

5) Octoech. pag. 5. col. 1. A. et 23. col. 2. C. ubi legimus: Ὄρος σε τῇ χάριτι τῇ θείᾳ κατάσκιον προβλεπτικοῖς ὁ Ἀββακοὺμ κατανοήσας ὀφθαλμοῖς, ἐκ σοῦ ἐξελεύσεσθαι τοῦ Ἰσραὴλ προανεφώνει τὸν ἅγιον εἰς σωτηρίαν ἡμῶν καὶ ἀνάπλασιν. *Te montem divina gratia inumbratum propheticis conspiciens oculis Abbacum, ex te proditurum praenunciavit sanctum Israelis in nostram reformationem et salutem.*

6) Hymn. εἰς τὴν θεογονίαν, vv. 43. seqq. in Thesaur. hymnolog. T. III. pag. 66.

neris mortalis reformationem olim celebrans propheta Abbacum praenunciat, videre ineffabili modo dignus habitus imaginem. Novus infans enim ex monte seu virgine exivit ad populorum reformationem, Verbum. » Porro Andreas cretensis [a]) sic habet: « Sola tu vere benedicta es, quam montem magnum vir ille desideriorum Daniel vidit, et montem umbrosum Abbacum ille admirabilis, montem praeterea Dei, et montem pinguem, montemque iucundum, ac montem quem Deo placuit inhabitare. »

516. Quo autem eiusmodi symbolum spectet, prae ceteris luculenter declarant Theophanes et Iosephus hymnographus, quorum prior [b]) scribit: « Caelestem portam et arcam, montem undequaque sanctum, splendidam nubem hymnis celebremus, caelestem scalam, rationalem paradisum, Evae redemptionem, magnum mundi totius cimelium; quoniam in ipsa perfecta est mundi salus et multorum criminum remissio. » Et [c]) rursum: « Te, o innocentissima, beatissimus prophetantium in Spiritu chorus sacris divinisque oraculis iampridem appellat portam et umbrosum montem. »

517. Consonat Iosephus, e quo hunc typum saepissime declarante nonnulla decerpam. Principio itaque [d]) sic habet: « Natus est hodie pons transferens ad lucem humanum genus, scala caelestis, mons Dei splendidissimus, Deipara puella, quam beatam celebremus. » Tum [e]) scribit: « Gratia Spiritus propheticis charismatis te e longinquo per symbola praefigurabat, o innocens, nominans

Ἰδεῖν ἀφράστως ἀξιωθεὶς τὸν τύπον.
Ἐξῆλθε λαῶν εἰς ἀνάπλασιν λόγος.

a) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 437. A-C. in biblioth. PP. graeco-lat. Tom. II. Σὺ μόνη ἀληθῶς εὐλογημένη, ἣν ὄρος ἑώρα μέγα Δανιὴλ ὁ τῶν ἐπιθυμιῶν ἀνὴρ, καὶ ὄρος κατάσκιον Ἀββακοὺμ ὁ θαυμάσιος, ὄρος τε Θεοῦ, καὶ ὄρος πῖον, ὄρος τετυρωμένον, ὄρος ὃ εὐδόκησεν ὁ Θεὸς κατοικεῖν ἐν αὐτῷ.

b) Men. die V. Decembris pag. 26. col. 1. B-C. Τὴν οὐράνιον πύλην καὶ κιβωτὸν, τὸ πανάγιον ὄρος, τὴν φωταυγῆ νεφέλην ὑμνήσωμεν, τὴν οὐράνιον κλίμακα, τὸν λογικὸν παράδεισον, τῆς Εὔας τὴν λύτρωσιν, τῆς οἰκουμένης πάσης τὸ μέγα κειμήλιον· ὅτι σωτηρία ἐν αὐτῇ διεπράχθη τοῦ κόσμου, καὶ ἄφεσις τῶν πολλῶν ἐγκλημάτων.

c) Men. die IV. Ianuarii Ode δ'. pag. 37. col. 2. D. Σὲ μακαριώτατος πάλαι χορὸς τῶν προφητευόντων ἐν πνεύματι, θηγορίαις ἱεραῖς θεοπρεπῶς κατονομάζει, πάναγνε, πύλην τε καὶ ὄρος κατάσκιον.

d) Men. die VII. Septembris Ode ς'. pag. 51. col. 1. C. Ἐτέχθη σήμερον γέφυρα μετάγουσα πρὸς φῶς τὸ ἀνθρώπινον, κλίμαξ οὐράνιος, ὄρος Θεοῦ ἐμφανέστατον, ἡ Θεοτόκος κόρη, ἣν μακαρίσωμεν.

e) Men. die XXVIII. Martii Ode ζ'. pag. 128. col. 2. C. Συμβόλοις σὲ πόῤῥωθεν προ-

te montem pinguem, sanctum, portam salutarem, tomum novissimum et arcam. » Ad haec [a]) subdit: « Tamquam montem umbrosum te olim praevidit Habbacuc, o puella perfecte immaculata, ferentem Verbum quod a peccatorum flamma delictorumque combustione universos obumbrat. » Praeterea [b]) ait: « Daniel te montem magnum descripsit, o inviolata, Habbacuc vero montem umbrosum virtutibus, David autem montem coagulatum, ex quo Deus incarnatus est ut mundum redimeret. » Et [c]) alibi: » Quum te Habbacuc e longinquo perspexisset, o innocens, expressissime montem virtutibus umbrosum appellavit, ex quo ille nobis apparuit qui animas nostras illuminat. » Ac [d]) postremo: « Olim sacer propheta te divinum montem appellavit, Virgo innocentissima, virtutibus undequaque umbrosum, ex quo salutare Verbum manifestatum est in restaurationem et illuminationem animarum nostrarum. »

518. Cum his autem ista merito coniunguntur quae [e]) Dionysius alexandrinus de Apostolis verba faciens scribit: « Inde venerunt in Sion, et impletum est quod ait [1]) Scriptura: illuc sederunt sedes in iudicium, sedes super [2]) domum David. Erat enim cum eis etiam magna domus Dei, splendidus mons Dei, Deipara Maria. » Quae propterea ex certa compertaque maiorum doctrina existimari debet

δητύπου ἡ χάρις τοῦ πνεύματος προφητικοῖς χαρίσμασιν, ὄρος πῖον, ἅγιον, πύλην σωτήριον, τόμον τε καινότατον, ἁγνὴ, καὶ κιβωτόν σε κατονομάζουσα.

a) Men. die XIX. Februarii Ode δ'. pag. 108. col. 2. A. Ὡς κατάσκιον προβλέπει σε πάλαι ὄρος ὁ Ἀββακοὺμ, πανάμωμε, φέρουσαν τὸν λόγον παντὸς συσκιάζοντα φλογμοῦ παραπτώσεων καὶ ἁμαρτιῶν, κόρη, καύσωνος.

b) Men. die VI. Septembris Ode γ'. pag. 42. col. 2. D. Ὁ Δανιὴλ σε ὄρος γράφει μέγα, ὁ Ἀββακοὺμ δὲ, ἄχραντε, ὄρος κατάσκιον ἀρεταῖς, καὶ Δαυὶδ τετυρωμένον, ἐξ οὗ ὁ Θεὸς σεσάρκωται τὸν κόσμον λυτρούμενος.

c) Men. die X. Octobris Ode δ'. pag. 58. col. 1. B. Νοήσας πόῤῥωθεν ἐμφαντικώτατα Ἀββακούμ σε ἐκάλει ὄρος, ἁγνὴ, ἀρεταῖς κατάσκιον, ἐξ οὗ ἐπέφανεν ἡμῖν ὁ φωτίζων τὰς ψυχὰς ἡμῶν.

d) Men. die XXV. Octobris Ode δ'. pag. 147. col. 1. D. Ἱερὸς πάλαι προφήτης ὄρος θεῖον ἐκάλεσεν ἀρεταῖς, παρθένε πάναγνε, διόλου κατάσκιον· ἐξ οὗ σωτήριος λόγος πεφανέρωται εἰς ἀνάπλασιν καὶ φωτισμὸν τῶν ψυχῶν ἡμῶν.

e) Epist. cont. Paulum samosat. pag. 274. B. Ἐκεῖθεν ἦλθον εἰς Σιὼν, καὶ πληροῦται τὸ γεγραμμένον, ὅτι ἐκεῖ ἐκάθισαν θρόνοι εἰς κρίσιν, θρόνοι ἐπὶ οἶκον Δαυίδ· ἦν γὰρ μετ' αὐτῶν καὶ ὁ οἶκος ὁ μέγας τοῦ θεοῦ, ἡ θεοτόκος Μαρία.

1) Ps. CXXI. 5.

2) Quae sequuntur, videntur ostendere Dionysium accepisse praepositionem *ἐπί* non significatione *super*, sed *in* vel *apud*, de qua significatione conferendus est Albertius in Obs. philolog. pag. 210.

splendidus mons Dei, mons splendidissimus, mons sanctus, perfecte sanctus, perfecte immaculatus, magnum mundi totius cimelium, mons virtutibus umbrosus, virtutibus undequaque umbrosus, in quo sibi Deus placuit inhabitare, e quo illuxit Evae redemptio omniumque salus, et ex quo Deus incarnatus est ut mundum servaret, tenebrasque depelleret quibus animae nostrae obscurabantur. Eiusmodi vero est haec imago, in qua totum nitet, totum splendet, et quae nullum recipit naevum, nullasque patitur culpae sordes peccatique tenebras.

519. Simillima autem ea se prodit imago, quam tum patres delineant atque excitant, quum ad Deiparam symbolum *Sion sanctaeque civitatis* traducunt. Ut enim a Germano exordium ducam, is de Deipara [a]) scribit: « Vocatur *Sion.* Veniet [1]) ex Sion qui liberet et avertat impietates a Iacob. Elegit [2]) Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi. » Et [b]) mox: « Vocatur *civitas.* Gloriosa [3]) dicta sunt de te, civitas Dei. Deus in medio eius et non commovebitur. » Ubi vero ad enarrandum symbolum manum admovet [4]), sic ait: « Ave nova Sion et sancta Ierusalem, sacra civitas magni regis Dei, cuius in turribus ipse Deus cognoscitur mediusque pertransit, inconcussam servans, gentes commovens, regesque prosternens. » Et multo alibi plenius [c]) scribit: « Gloriosa [5]) dicta sunt de te civitas Dei, nobis divinus David cecinit in Spiritu. Revera civi-

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1314. B. apud Combefisium Auctar. T. I. Καλεῖται Σιών· ἥξει ἐκ Σιὼν ὁ ῥυόμενος· ἀποστρέψει ἀσεβείας ἀπὸ Ἰακώβ· ἐξελέξατο κύριος τὴν Σιών· ᾑρετίσατο αὐτὴν εἰς κατοικίαν ἑαυτῷ.

b) Ibid. pag. 1315. D. Καλεῖται πόλις· δεδοξασμένα ἐλαλήθη περί σου, ἡ πόλις τοῦ Θεοῦ· ὁ Θεὸς ἐν μέσῳ αὐτῆς, καὶ οὐ σαλευθήσεται.

c) Orat. in Deiparae Zonam pagg. 232-233. Δεδοξασμένα ἐλαλήθη περί σου, ἡ πόλις τοῦ θεοῦ, ὁ θεῖος ἡμῖν ἐν πνεύματι ὑπέψαλλε Δαβίδ· πόλιν ὄντως ἀριδηλότατα, περὶ ἧς δεδοξασμένα λελάληται, καλῶν τοῦ βασιλέως τοῦ μεγάλου· πόλιν δὲ ταύτην οἶμαι σαφέστατα καὶ ἀναντιῤῥητικώτατα, τὴν ὄντως ἐκλελεγμένην, καὶ πασῶν ὑπερέχουσαν φᾶναι· οὐκ ὑπεροχῇ δομημάτων, καὶ ὕψει γεωλόφων ἐπαρμάτων· ἀλλὰ τὴν τῇ μεγαλοφυΐᾳ τῶν

1) Is. LIX. 20.

2) Ps. CXXXI. 13.

3) Ps. XLV. 5.

4) Orat. I. in Deiparae praesentat. pag. 53. in s. Germani Mariale apud Hippolytum Maraccium, qui de hac Oratione scribit pag. 188. « Nobilis haec atque insignis de praesentatione beatae Virginis oratio, quae sub nomine s. Germani patriarchae constantinopolitani in graeco ms. perantiquo volumine vaticano n. LXXIX. reperitur, a Iohanne Mattheo Cariophylo iconiensi Episcopo in latinum sermonem translata, ad communem Marianorum cultorum commodum, seramque posteritatis memoriam nunc primo per typos palam publiceque innotescit. »

5) Ps. LXXXVI. 3.

tatem, de qua gloriosa dicta sunt, apertissime vocans civitatem magni Regis. Quaenam ea est? Existimo eum manifestissime citraque omnem dubitationem dicere illam quae vere est electa et omnibus superior, non [1]) altius fastigiatis aedibus, non tumulis surrigentibus, sed divinarum sublimiumque virtutum magnificentia et puritate omnibus antecellentem Mariam, sanctissimam et immaculatissimam Deiparam, in qua qui vere est Rex regum et Dominus dominantium habitavit, vel potius in qua omnis plenitudo divinitatis habitavit corporaliter. » Atque [a]) e vestigio: « Haec vere gloriosa civitas, haec spiritalis Sion. Hanc, ut arbitror, David praedixit divinus. Quod si quis eius quoque aedem gloriosam civitatem vocaverit, neque veritatis neque decori metas excesserit. Si enim ii quorum nomina in terris celebrata sunt, diuturno tempore appellationis memoriam conservant; quid de gloriosissima omnique laude dignissima, intemeratissima illa et immaculatissima puella quispiam dixerit? Nam si ea appellata est civitas animata regis Christi, merito illius quoque sanctissima aedes, cuius hodie dedicationem celebramus, et est et nominatur civitas gloriosa. »

520. Eadem cum Germano docent Georgius nicomediensis et Psellus, e quibus alter [b]) Deiparam vocat « Sion sanctam, Deo gratiosissimam, civitatem Dei et undique communitum palatium. » Georgius vero [c]) Deiparam salutat « Montem illum [2]) umbrosum, in

ἐνθέων ὑπερῃρμένην ἀρετῶν, καὶ τῇ καθαρότητι ὑπερέχουσαν Μαρίαν τὴν ὑπεράγιον καὶ ὑπεράμωμον Θεοτόκον· ἐν ᾗ ὁ ὄντως ὢν βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων, καὶ κύριος τῶν κυριευόντων κατεσκήνωσε· μᾶλλον δὲ, ἐν ᾗ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος κατῴκησε σωματικῶς.

a) Ibidem pag. 233. Αὕτη ὄντως δεδοξασμένη πόλις· αὕτη νοητὴ Σιών· ταύτην, οἶμαι, καὶ Δαβὶδ θεόθεν προανεφώνησεν· εἰ δέ τις καὶ τὸν ταύτης οἶκον δεδοξασμένην πόλιν καλέσειε, οὐκ ἔξω τῆς ἀληθείας καὶ τοῦ καλοῦ φήσειεν· εἰ γὰρ οἷς τὰ ὀνόματα ἐπὶ τῶν γαιῶν ἐπικέκληνται, εἰς μακρὸν τὴν μνήμην τῆς κλήσεως διασώζουσιν· τί ἄν τις εἴποι περὶ τῆς θεοδοξάστου καὶ πανυμνήτου κόρης τῆς παναχράντου καὶ παναμώμου; εἰ γὰρ αὕτη πόλις ἔμψυχος τοῦ βασιλέως ἐχρημάτισε Χριστοῦ, δικαίως ἄρα καὶ ὁ ταύτης πανάγιος ναὸς, οὗ καὶ τὰ ἐγκαίνια σήμερον ἑορτάζομεν, πόλις δεδοξασμένη ἐστί τε καὶ ὀνομάζεται.

b) In Metaphrastis Officio pag. 243. Σιὼν ἁγία, θεοχαρίτωτε, πόλις θεοῦ, καὶ κατωχυρωμενον παλάτιον.

c) Orat. in Deiparae ingress. in Templum pag. 1098. B-C. apud Combefisium Auctar T. I. Τὸ κατάσκιον ὄρος, ἐν ᾧ κατοικῆσαι ὁ λόγος εὐδόκησεν· ἐν ᾧ ἡ φύσις ὑποκλιθεῖσα, τὴν καύ-

1) « Ita reddidi, *ait Combefisius*, velut utriusque Romae colles tumulosque respiciat, iisque ac eorum magnificentiae sanctae Mariae excellentes dotes opponat, per quas vere regia civitas ac Dei esse meruit. »

2) Habac. III. 3.

quo complacuit Verbo inhabitare, in quo reclinata natura peccati declinavit aestum: Sion [1]) illam sanctam quam creator elegit, quam pro ratione providentiae ante secula paravit, ex qua carne natus est, ex qua prodiens impiorum confregit vires. » Neque aliter Modestus, et cum Modesto vulgatus neocaesariensis Gregorius et syrus Ephraemus. Ille enim, cuius primum meminimus, ad Deiparam conversus [a]) inquit: « Ave mortalium [2]) Domina, sanctissima Deipara, ex qua qui super omnia est Deus et clementissimus Dominus noster particeps, excepto peccato, totius mortalis nostrae naturae processit in mundum, nosque dignos fecit qui [3]) essemus divinae eius naturae consortes; qui ea te donavit gratia ut sua esses civitas intelligibilis, teque vocavit [4]) Dominus virtutum in civitatem suam. Ave ornatissime et lucidissime [5]) portus, quae a Deo facta es vera Dei genitrix: iactatum enim in huius vitae pelago genus humanum in te servatum est, ac per te dona et sempiterna bona est adeptum ab eo, qui te in praesenti tempore mirabilem reddidit, et in seculum seculi superglorificavit. » Praeiverat Gregorius qui [b]) Deum inducit Gabrielem ita alloquentem: « Vade ad animatam civitatem,

σιν τῆς ἁμαρτίας ἐξέκλινεν· τὴν ἁγίαν, ἣν ὁ δημιουργὸς ἐξελέξατο· ἣν τῷ τῆς προνοίας λόγῳ πρὸ τῶν αἰώνων ἡτοίμασεν· ἐν ᾗ σαρκικῶς ἐγεννήθη· ἐξ ἧς προελθὼν τῶν ἀσεβῶν τὰς δυνάμεις συνέτριψε.

a) Encom. in Deiparam pag. 47. Χαίροις μερόπων δέσποινα, παναγία θεοτόκε· ἐξ ἧς ὁ τοῦ παντὸς ὑπέρθεος θεὸς καὶ ὑπεράγαθος ἡμῶν δεσπότης, κοινωνήσας τῆς τῶν βροτῶν ἡμῶν φύσεως κατὰ πάντα χωρὶς ἁμαρτίας, προῆλθεν ἐν κόσμῳ, καταξιώσας καὶ ἡμᾶς κοινωνοὺς γενέσθαι τῆς θείας αὐτοῦ φύσεως· ὁ χαριτώσας σὲ εἶναι νοητὴν αὐτοῦ πόλιν, καὶ προσκαλεσάμενός σε κύριος τῶν δυνάμεων ἐν τῇ πόλει αὐτοῦ· χαίροις λιμὴν παγκόσμιε καὶ ὑπερφαέστατε, ἡ ἀναδειχθεῖσα ὑπὸ θεοῦ ἀληθὴς θεοτόκος· ἐν γὰρ τῷ πελάγει τοῦδε τοῦ βίου χειμαζομένη ἡ ἀνθρωπότης σέσωσται ἐν σοὶ, καὶ διὰ σοῦ ἀντεκτήσατο χαρίσματα καὶ αἰώνια ἀγαθὰ ὑπὸ τοῦ θαυμάσαντός σε ἐν τῷ νῦν καιρῷ, καὶ ὑπερδοξάσαντός σε εἰς αἰῶνα αἰῶνος.

b) Orat. III. in Deiparae annunciat. pag. 27. Ἄπελθε πρὸς τὴν ἔμψυχον πόλιν, περὶ ἧς ὁ προφήτης ἔλεγεν· δεδοξασμένα ἐλαλήθη περὶ σοῦ ἡ πόλις τοῦ θεοῦ.

1) Ps. CXXXI. 13.

2) Auctor tragoed. de Christo pat. v. 633. Δέσποινα παγκοίρανε, μῆτερ κοιράνου. *Domina quae cunctis imperas, imperatoris mater.*

3) II. Petr. I. 4.

4) Ps. XLVII. 9.

5) Ephraemus pag. 576. opp. graec. T. III. « Tu enim noster es portus, o Virgo intemerata, et praesens pia auxiliatrix. » Ibid. col. 2. B. « Ave portus tranquillissime, et a fluctibus procellisque agitatorum liberatrix desideratissima. » Et pag. 534. Χαίροις ὁ λιμὴν τῶν πλεόντων καὶ σκέπη. *Ave portus navigantium et protectio.* Tum pag. 546. Τῶν ἀβοηθήτων χειμαζομένων σὺ λιμήν. *Tu sine ulla ope fluctu iactatis es portus.* Denique pag. 547. Χαῖρε τὸ τεῖχος τῶν πιστῶν, λιμὴν κινδυνευόντων. *Salve murus fidelium, portus periclitantium.*

de qua dixit Propheta, gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. » Atque ipse quoque praeiverat [a]) Ephraemus a quo Deipara nuncupatur « Civitas Dei, de qua gloriosa dicta sunt de te. »

521. Eadem legit vestigia Iohannes damascenus, quo auctore [b]) Deipara est « Tota thalamus Spiritus, tota civitas Dei vivi, quam laetificant fluminis impetus, nimirum sancti Spiritus gratiarum fluctus. Tota pulcra, tota Deo propinqua: haec enim Cherubim superans et super Seraphim evecta, proxima Deo exstitit. » Ubi vero eius laudes texendas orditur, sic [c]) habet: « Si igitur iustorum omnium memoria cum laude recolitur, ecquisnam est qui iustitiae fonti et sanctitatis thesauro laudem non exhibeat: non ut gloria eam augeat, sed ut sempiternam ipse sibi gloriam conciliet. Neque enim a nobis gloria augeri indiget gloriae Domini tabernaculum, Dei inquam illa civitas, de qua gloriosa dicta sunt, velut divinus David [1]) eam affatur: gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. Ecquam enim aliam invisibilis et incircumscripti omniaque pugillo continentis Dei civitatem intelligemus, nisi eam quae vere et supra quam natura atque essentia ferat, Dei Verbum ac Deum substantia omni superiorem nulla circumscriptione complexa est; de qua propterea ab ipsomet Domino gloriosa dicta sunt? Quid enim ad gloriam illustrius, quam [2]) Dei consilium antiquum illud et verum excepisse? » Hinc eius celebrans triumphum [d]) scribit: « Nunc caeli laetentur ac plau-

a) Prec. IV. pag. 529. opp. graec. T. III. Πόλις τοῦ Θεοῦ, περὶ ἧς δεδοξασμένα λελάληνται περὶ σοῦ.

b) Orat. I. in Deiparae nativit. pag. 484. B. Ὅλη παστὰς τοῦ πνεύματος· ὅλη πόλις Θεοῦ ζῶντος, ἣν εὐφραίνουσι τοῦ ποταμοῦ τὰ ὁρμήματα, τῶν τοῦ ἁγίου πνεύματος χαρισμάτων κύματα· ὅλη καλὴ, ὅλη πλησίον Θεοῦ· αὕτη γὰρ ὑπεραναβᾶσα τὰ Χερουβὶμ, καὶ τῶν Σεραφὶμ ὑπεραρθεῖσα πλησίον Θεοῦ ἐχρημάτισεν.

c) Orat. I. in Deiparae dormit. pag. 857. D. 858. A. Εἰ τοίνυν ἁπάντων δικαίων ἡ μνήμη μετ᾽ ἐγκωμίων γίνεται, τῇ πηγῇ τῆς δικαιοσύνης, καὶ τῷ τῆς ὁσιότητος Θησαυρῷ, τίς οὐ προσοίσει τὸν ἔπαινον; οὐχ ἵνα δοξάσῃ, ἀλλ᾽ ἵνα δοξασθῇ δόξαν αἰώνιον· ἀνενδεὲς γὰρ τῆς παρ᾽ ἡμῶν δόξης τοῦ Θεοῦ τὸ σκήνωμα, ἡ πόλις τοῦ Θεοῦ, περὶ ἧς δεδοξασμένα ἐλαλήθη, καθὼς φησὶ πρὸς αὐτὴν ὁ θεῖος Δαβίδ· δεδοξασμένα ἐλαλήθη περὶ σοῦ, πόλις τοῦ Θεοῦ, λέγων· ποίαν γὰρ ἐκληψόμεθα πόλιν τοῦ ἀοράτου καὶ ἀπεριγράπτου Θεοῦ, τοῦ τὰ πάντα τῇ ἰδίᾳ δρακὶ περιέχοντος, ἀλλ᾽ ἢ τὴν μόνην ὄντως ὑπερφυῶς καὶ ὑπερουσίως τὸν ὑπερούσιον τοῦ Θεοῦ λόγον ἀπεριγράπτως χωρήσασαν, περὶ ἧς δεδοξασμένα ὑπ᾽ αὐτοῦ τοῦ κυρίου λελάληται; τί γὰρ ἐπιδοξότερον τοῦ δέξασθαι τὴν τοῦ Θεοῦ βουλὴν ἀρχαίαν, ἀληθινήν;

d) Orat. II. in Deiparae dormit. pag. 871. B. Νῦν οὐρανοὶ εὐφραινέσθωσαι, καὶ κρο-

1) Ps. LXXXVI. 3. 2) Is. XXV. 1.

dant angeli. Etenim viva Domini Dei virtutum civitas sublimis fertur, regesque a templo Domini, hoc est conspicua Sion ad supernam et liberam suamque matrem Hierusalem, praestantissimum donum offerunt, apostoli scilicet qui totius orbis principes a Christo sunt constituti, Dei matrem perpetuamque virginem. » Nil itaque mirum si Graeci unanimes [a]) clament: « Te civitatem inconcussam beatam extollimus. » Nil mirum si alibi [1]) hoc typo utantur et [b]) canant: « Salve innocens Dei animata civitas, in qua Deus voluit comprehendi; etenim quin superna linqueret, ad te, o Dei genitrix, veluti aqua super terram descendit, et in civitate Bethlehem infans nascitur. » Atque nil mirum si tum Latini [2]), tum ipsi etiam [c]) Copti eadem frequentent his verbis: « Haec est Hierusalem civitas Dei nostri, in qua gaudium est sanctorum omnium. »

522. Quinam ergo sunt colores, quibus patres Deiparae speciem exprimunt, eiusque effigiem repraesentant? Videlicet Deiparam pingunt ut quae sit *nova Sion*, *Sion* [3]) *spiritalis*, *Ierusalem sancta*, *animata Dei civitas*, *sacra civitas*, *immo sacratissima*, *sanctissima*, *Deo gratissima*, *undique communita*, *inconcussa*, *immaculatissima et nullius conscia* [4]) *labis*, *Cherubim et Seraphim potior*, *donum*

τείτωσαν ἄγγελοι· ἡ γὰρ ζῶσα πόλις κυρίου Θεοῦ τῶν δυνάμεων μετάρσιος αἴρεται, καὶ βασιλεῖς ἀπὸ ναοῦ κυρίου τῆς περιβλέπτου Σιὼν ἐπὶ τὴν ἄνω Ἱερουσαλὴμ τὴν ἐλευθέραν τὴν ἑαυτῶν μητέρα δῶρον προσάγουσι τιμαλφέστατον, οἱ πρὸς Χριστοῦ πάσης τῆς γῆς καταστάντες ἄρχοντες, τοὺς ἀποστόλους φημὶ, τὴν τοῦ Θεοῦ μητέρα τὴν ἀειπάρθενον.

a) Men. die XVII. Ianuarii ad magn. vesp. pag. 144. col. 2. C. Μακαρίζομέν σε τὴν πόλιν τὴν ἄσειστον.

b) Men. die XX Decembris Ode θ' pag. 168. col. 1. B-C. Χαῖρε ἁγνὴ τοῦ Θεοῦ πόλις ἔμψυχε, ἐν ᾗ Θεὸς χωρηθῆναι εὐδόκησε· μὴ λιπὼν τὰ ἄνω γὰρ πρὸς σὲ καταβέβηκεν, ὡς ὑετὸς ἐπὶ γῆς, θεογεννῆτορ, καὶ ἐν τῇ πόλει Βηθλεὲμ βρέφος τίκτεται.

c) Theotoch. pag. 104. tetrast. IV.

Ⲑⲁⲓ ⲧⲉ Ⲓⲉⲣⲟⲩⲥⲁⲗⲏⲙ, ⲧⲡⲟⲗⲓⲥ ⲙ̀ⲡⲉⲛⲛⲟⲩϯ ⲧⲉ, ⲉⲣⲉ ⲡⲟⲩⲛⲟϥ ⲛ̀ⲧⲉ ⲛⲏ ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ⲧⲏⲣⲟⲩ ϣⲱⲡⲓ ⲛ̀ϧⲣⲏⲓ ⲛ̀ϧⲏⲧⲥ.

1) Paraclit. pag. 253. col. 1. E., Triod. pag. 48. col. 2. C-D., Men. die XIII. Septembris Ode α'. pag. 87. col. 2. E. et die XXII. Decembris Ode ϛ'. pag. 181. col. 1. C-D.

2) Thesaur. hymnolog. T. II. pag. 92.

3) Forte non improbabitur lectoribus animadversio, qua Hugo de sancto Charo in Ps. LXXXV. docet, propterea Virginem novam dici Sion, quia sicuti Sion locus erat eminentissimus atque tutissimus in Hierusalem; ita Deipara in Ecclesia prae omnibus exstat, atque una inter omnes communem ruinam evitavit.

4) His verbis, inquit Iohannes Serranus episcopus acernensis lib. II. cap. XXI. de Conceptione, sua non constaret veritas, si Virgo immaculata originale peccatum contraxisset. Quomodo enim vere diceretur Virgo omni ex parte intemerata, si temerata esset peccato originali? Et qua ratione nulli obnoxia culpae vere pronunciaretur, si culpae primi parentis subiiceretur? Quibus ego addo, quomodo

pretiosissimum, vere divinitus electa, praeparata pro ratione providentiae ante secula, tota civitas Dei viventis, tota pulcra, tota Deo propinqua, fons iustitiae, sanctitatis thesaurus, in qua tota divinitatis plenitudo corporaliter habitavit, ex qua Verbum prodiens hostiles vires confregit, et in qua hominum reclinata natura peccati aestum declinavit. Huc redeunt colores, quibus ad excitandam Deiparae imaginem patres utuntur, et e quibus aestimari debet an eiusmodi civitas fuerit Virgo quae aliquando concussa iacuerit, quam tenebrae aliquando obvolverint, quamque hostilis impetus aliquando deiecerit. Sed neque iudicium potest esse impeditum, neque anceps sententia qua decernatur, a coloribus Deiparae propriis nihil esse alienius caligine culpae, ruina peccati atque hostium triumpho.

523. Cui stabiliendae confirmandaeque sententiae nonnihil etiam conducunt quae [a]) Methodius de Deipara loquens scribit: « Tu radix [1]) floris speciosissimi, forceps [2]) carbonis illius lustralis, vellus [3]) roris illius incomprehensibilis, *lacus* [4]) *ille Bethlehem desiderii David,* vestis sine macula eius qui [5]) induit lucem sicut vestimentum. » Itemque ista conducunt quibus [b]) Germanus laudes Virginis effert: « Benedicta tu in mulieribus, spiritalis illa [6]) Bethlehem, quae [7]) voluntate pariter ac natura panis vitae summe spiritalis domus dicta simul et facta es. Iu te enim qua ipse novit ratione inhabitans, et

a) De Symeone et Anna pag. 815. B-C. apud Gallandium T. III. Σὺ ἡ ῥίζα τοῦ ὡραιοτάτου ἄνθους, ἡ λαβὶς τοῦ καθαρτικοῦ ἄνθρακος, ὁ πόκος τῆς ἀκαταλήπτου δρόσου, ὁ τῆς ἐπιθυμίας Δαβὶδ ζωοδόχος λάκκος, τὸ ἄσπιλον ἔνδυμα τοῦ ἀναβαλλομένου φῶς ὡς ἱμάτιον.

b) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1310. E. 1311. A. apud Combefisium Auctar. T. I. Εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν, ἡ νοητὴ Βηθλεὲμ, ἡ θέσει καὶ φύσει τοῦ τῆς ζωῆς ἄρτου νοερώτατος οἶκος, καὶ γενομένη καὶ λεγομένη· ἐνοικήσας γὰρ, ὡς οἶδεν, ἐν σοὶ, καὶ τῷ ἡμετέρῳ συμφυραθεὶς ἀφύρτως φυράματι, ὅλον ἑαυτῷ τὸν Ἀδὰμ ἀνεζύμωσεν, ἵνα ἄρτος γένηται ζωηρὸς καὶ οὐράνιος.

ex rei veritate affirmaretur inconcussa, si quum primum exstitit, subversa fuit? Quomodo ex rei veritate affirmaretur tota civitas Dei viventis, si illius fundamenta tribuenda essent diabolo invidenti? Aut quomodo ex rei veritate tota pulcra affirmaretur, si eiusdem primordia sordescerent?

1) Is. XI. 1.

2) Is. VI. 6.

3) Iud. VI 37.

4) II. Reg. XXIII. 17.

5) Ps. CIII. 2.

6) Alia ad hoc symbolum explicandum idonea colligit Maraccius in Marial. s. Germani p. 180, not. 19.

7) Voces θέσει καὶ φύσει, *voluntate ac natura*, quae in ecclesiasticis monimentis numquam sibi non opponuntur, istud significant, θέσει sola Dei voluntate atque gratia fuisse Mariam selectam ut Verbi domus ac mater fieret: φύσει natura vero ex ea et in ea Christum panem vitae formatum fuisse atque natum.

inconfuse nostrae commixtus massae, totum sibi Adamum fermentavit, ut panis vivus ac caelestis fieret. »

524. Ne autem supernae huic destinationi impar Virgo inveniretur, ea fuit *vas novum*, de quo [a]) Modestus hierosolymitanus ait: « Vas illud pretiosum et sacratissimum et quavis sancta re sanctius, Deipara Virgo [1]) pretiosam suam adepta margaritam, splendidissimo illius ornatu egregiam suam formam illustravit, cuius est [2]) aurum et argentum, et [3]) per quem reges regnant. » Similia habet Ephraemus [4]) scribens: « Ave praeclarum et electum vas Dei. » Consentit Epiphanius qui modo [b]) *Christi matrem ob susceptum ex ipsa corpus et ob illius honorem* dicit *intaminatum vas et admirandum;* et modo [c]) illam appellat *vas pretiosum et praestantissimum*. Cyrillus vero alexandrinus [d]) exclamat: « Salve vero et ipsa Maria Deipara, virgo mater, lucifera, vas incorruptum. »

525. Quibus explicandis mirifice conferunt quae Isidorus Thessalonicensis saepissime inculcat. Is namque est [5]) qui ait: « Sero tandem atque post multos solis recurrentis gyros homo novus [6]) et magnum ac vere vivificum [7]) elementum, ros caelestis, vas Dei capax, venustissima puella Virgo in vitam affulgens emersit; et eripitur quidem per hanc e calamitate homo, et resumit dignitatem

a) Encom. in Deiparam pag. 23. Σκεῦος τίμιον καὶ ἱερώτατον, τῶν ἱερῶν ἱερώτερον, ἡ γεγονυῖα θεοτόκος, καταλαβοῦσα τὸν πολύτιμον αὐτῆς μαργαρίτην, κατηγλαΐσθη εὐπρέπειαν τῆς ὑπερκοσμίου κοσμιότητος αὐτοῦ οὗπερ ἐστι τὸ χρυσίον καὶ τὸ ἀργύριον, καὶ δι' οὗ βασιλεῖς βασιλεύουσι.

b) Con. haeres. lib. III. pag. 1043. Μητέρα μὲν γεγονυῖαν διὰ τὴν οἰκονομίαν, ἄχραντον δὲ διὰ τὴν πρὸς τὸν αὐτὸν τιμὴν, καὶ τὸ σκεῦος τὸ θαύμαστον.

c) Ibid. pag. 1044. Τὸ σκεῦος τὸ τίμιον καὶ ἐξοχώτατον.

d) Encom. in Deiparam pag. 380. opp. T. V. P. II. Χαίροις δὲ καὶ αὐτὴ Μαρία θεοτόκος, παρθενομήτωρ, φωτοφόρος, σκεῦος ἀμίαντον.

1) Matth. XIII. 46.

2) Agg. III. 9.

3) Prov. VIII. 15.

4) Pag. 576. col. 1. E. opp. graec. T. III.

5) Orat. I. in Deiparae nativit. a Maraccio edita pagg. 7-8.

6) Quum Isidorus Mariam dicit *hominem novum* ad hominem respicit Ephes. IV. 24. qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis. In hac ipsa oratione Isidorus Deiparam vocat *hominem supra modum novum et supra modum stupendum;* in oratione de Annunciat. *hominem novum et stupendissimum et ad Deum quam proxime accedentem;* et in oratione de Praesent. *hominem angelis excelsiorem et sanctissimum.*

7) Elementi nomen, quod de rei cuiusque principiis usurpari solet, rite ad Deiparam transfertur, si quidem teste Antonino in S. Th. P. IV. tit. XV. cap. XIV. §. III., ipsa fuerit *principium ex quo recreandum erat omne creatum;* vel ut Albertus loquitur super *Missus est* capp. XXXV. et CXCIV., *principium omnium aliorum sanctorum summa virginitatis puritate, peccati immunitate, peccandi impossibilitate.*

pristinam, et regio more insidet seductorem deridens, et vinculis quae ipse ut mancipium antea gerebat, suum colligat venatorem. Ortus Mariae origo est regenerationis, restitutionis, in antiquam formam reductionis et renovationis. » Is est qui [1]) de ingressu Deiparae in sancta sanctorum scribit: « Sicut antequam esset homo, propter hominem facta sunt a Deo caelum et terra, et quidquid sub adspectum cadit; ad eumdem modum oportebat propter novam hanc creaturam, propter hunc hominem angelis excellentiorem condi nobilius quoddam quam priora domicilium. Fit ergo, et sanctitatis appellationem, quae nulli priori loco data est, sacrum illud Templum sortitur propter sanctissimum hominem, vas immaculatissimum, purissimum receptaculum, magnum et sine labe thesaurum, candidissimam Dei Verbi matrem. » Is est qui in eadem oratione [2]) subdit: « Ducitur ergo in templum vas illud animatum sacratissimum, deificis fulgoribus excipiendis receptaculum a Deo confectum, honorabilissimum divinumque donarium, cuius exprimendae dignitati impar est universa creatura. » Is est qui commemoratis Salvatoris verbis suam carnem suumque sanguinem [3]) pollicentis [4]) pergit: « Caenam porro hanc iucundissimam et vitae largitricem supercaelestis vere homo, nimirum Virgo agricolatione sua praestitit, utque futuram nobis revera caenam paravit. Itaque quum nos eius Filius ad hanc quoque attrahit mensam, hoc etiam matri adscribendum est. Fructus enim hominum et ipsa mirum in modum procreata est, ut carnem quidem ex ea Deus sibi sumeret, eadem vero aleret matris suae cognatos. Nam si hoc futurum non fuisset, omni materia sublimius illustrissimum hoc vas numquam exstitisset creatum e terra simulacrum. » Et is est qui assumptam extollens in caelum Deiparam de apostolis [5]) scribit: « Quum operculum a sepulcro amovissent, cadaver, o miraculum! nusquam inveniebant: neque enim mortuus erat fons vitae, nec terra et sepulcrum poterant diu operire vas novissimum, quod eum comprehendit qui incomprehensibilis est. »

526. Haec autem maioribus nostris eo usque usitata erant atque solemnia, ut publicis quoque precibus usurparentur. Quod ut uno

1) Orat. II. de Deiparae ingressu in Templum pagg. 29-30.
2) Ibid. pag. 41.
3) Ioh. VI. 55. seqq.
4) Orat. III. in Deiparae annunciat. pagg. 87-88.
5) Orat. IV. in Deiparae dormit. pag. 138-139.

alterove confirmem exemplo, en quae habent [a]) Copti: « Salve vas divinitatis incorruptum, quod omnibus qui ex eo bibunt, medicinam praebet. » Quid vero Syri? Ad hunc typum manifeste respiciunt quum Deiparam [b]) appellant « Vas novum, in quo *(per quod)* dulcis facta est amaritudo. » Ad hunc respiciunt ubi [c]) aiunt: « Salve vas Elisaei, salve murus fidelium, salve fons benedictionum, salve tu e qua natum est germen Patris caelestis, salve quae secundum carnem genuisti creaturarum omnium salvatorem. » Eiusdem porro vim significationemque declarant, ubi non citra perspicuam [1]) ad haec Scripturae verba allusionem, *dixerunt quoque viri civitatis* (Iericho) *ad Elisaeum: ecce aquae pessimae sunt, et terra sterilis. At ille ait: Afferte mihi vas novum, et mittite in illud sal. Quod cum attulissent, egressus ad fontem aquarum misit in illum sal, et ait: haec dicit Dominus: sanavi aquas has, et non erit ultra in eis mors neque sterilitas. Sanatae sunt ergo aquae usque in diem hanc.* Deiparam sic [d]) extollunt: « Ave benedicta, vas novum Elisaei, in te *(per te)* enim dulce factum est fel *(virus)*, quod inter arbores serpens effudit. » Quis iamvero existimet *ipsum vas novum, vas incorruptum, per quod suavis facta est amaritudo, per quod virus serpentis dulce evasit, quodque Deus selegit ut aquas pessimas perditumque hominum genus sanaret;* felle draconis perfusam fuisse atque vitiatum? Mansit ergo integrum ab omni labe, atque ab omni

a) Theotoc. pag. 137. tetrast. VI.

Ⲭⲉⲣⲉ ⲡⲓⲕⲩⲙⲓⲗⲗⲓⲟⲛ ⲛ̀ⲁⲫⲑⲁⲣⲧⲟⲛ ⲛ̀ⲧⲉ ϯⲙⲉⲑⲛⲟⲩϯ, ⲉⲧⲉⲣⲫⲁϧⲣⲓ ⲛ̀ⲟⲩⲟⲛⲛⲓⲃⲉⲛ, ⲉⲑⲛⲁⲥⲱ ⲉ̀ⲃⲟⲗ ⲛ̀ϧⲏⲧϥ ⳾

b) Missal. Maronit. pag. 35.

ܡܐܢܐ ܚܕܬܐ ܕܒܗ ܐܬܒܣܡܬ ܡܪܝܪܘܬܐ ✠

c) Offic. Maronit. ad primam sabbathi pag. 486.

ܫܠܡ ܠܟܝ ܡܐܢܐ ܕܐܠܝܫܥ. ܫܠܡ ܠܟܝ ܫܘܪܐ ܕܡܗܝܡܢܐ ܫܠܡ ܠܟܝ ܡܒܘܥܐ
ܕܒܘܪܟܬܐ. ܫܠܡܠܟܝ ܕܡܢܟܝ ܐܬܝܠܕ ܢܨܒܗ ܕܐܒܐ ܫܡܝܢܐ. ܫܠܡ ܠܟܝ ܕܝܠܕܬܝܗܝ
ܒܒܣܪ ܠܦܪܘܩܐ ܕܟܠ ܒܪܝܬܐ.

d) Ibid. pag. 25.

ܠܟܝ ܒܪܝܟܬܐ ܡܒܪܟܬܐ ܡܐܢܐ ܚܕܬܐ ܕܗܘ ܐܠܝܫܥ. ܕܒܟܝ ܐܬܒܣܡܬ ܗܝ ܡܪܪܬܐ
ܕܐܪܡܝ ܚܘܝܐ ܒܝܬ ܐܝܠܢܐ.

1) IV. Reg. II. 19 seq.

idcirco labe integra mansit Deipara, quam vas novum [1]) incorruptumque praemonstravit.

ARTICULUS IV.

De libro signato, porta signata, tomo novo, Danielis monte, arvo inarato atque Isaiae forcipe: quem sensum hisce symbolis maiores subiecerint: quove pacto Deiparae innocentiam cuiusvis insciam labis praemonstratam existimarint.

527. Etsi quae innuimus symbola ad perfectissimam virginitatem praesignandam unice facta videantur; ea nihilominus patres maioresque nostri ita acceperunt atque explanarunt, ut omnimodam Deiparae puritatem nullo umquam maculatam naevo eisdem adumbratam crediderint. Ut enim tacitus praeteream quae [2]) Andreas hierosolymitanus docet, vulgatus Chrysostomus [a]) sic habet: « Audi quid de viro hoc *(Iosephum intellige)*, deque Virgine propheta [3]) dicat: dabitur liber obsignatus viro scienti litteras. Quis iste liber obsignatus nisi omnino atque penitus immaculata Virgo? » Eadem prorsus atque iisdem concepta verbis [4]) repetit qui Gregorii neocaesariensis nomine circumfertur; cum utroque autem egregie conspirans [b]) Georgius nicomediensis de Virgine, oratione ad templum

a) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 797. D. inter opp. Chrysost. T. II. Ἄκουσον τί περὶ τοῦ ἀνδρὸς τούτου, καὶ τῆς παρθένου ὁ προφήτης φησί· δοθήσεται τὸ ἐσφραγισμένον βιβλίον ἀνδρὶ εἰδότι γράμματα· τί τὸ ἐσφραγισμένον βιβλίον, ἢ πάντως ἡ ἀμόλυντος παρθένος;

b) Orat. in Deiparae ingress. in Templum pag. 1098. D. apud Combefisium Auctar. T. I. Ταύτην ἡ προφητικὴ λαβὶς ἐξεικόνισεν· ταύτην ἡ ἐσφραγισμένη βίβλος ἐμήνυσεν, ἣν οὐδεὶς

1) Hippolytus Maraccius in libello inscripto, *Vindicatio chrysostomica*, testimonium XXXIV. sumit pagg. 69-70. « ex laudatione s. Martyris Drosidae, ubi Chrysostomus cum dixisset, daemonem per mulierem, Evam scilicet, vicisse, et per mulierem, nempe beatam Virginem, fuisse superatum; ipsam beatam Virginem appellat vas insuperabile. *Hoc*, inquit, *vas apparuit insuperabile*. Quare autem Virgo apparuit vas insuperabile, nisi quia a daemone quem vicit, superari numquam potuit? Fuisset autem beata Virgo a daemone victa et superata, nec apparuisset vas insuperabile, si contraxisset peccatum originale, per quod victi et superati eiusdem daemonis preda evadimus. » Habentur quidem in laudatione de s. Droside martyre n. 3. pag. 692. E. opp. T. III, verba quae laudantur, τοῦτο σκεῦος ἀκαταγώνιστον, sed orationis ductus seriesque demonstrant referri illa non ad Deiparam, sed ad martyrem, *quae ne peccaret, mortua est.*

2) Orat. in Deiparae salutat. pag. 437. A. Biblioth. graeco-lat. T. II.

3) Is XXIX. 11.

4) Orat. III. in Deiparae annuncial. pag. 26. D.

directa, scribit: « Huius imaginem propheticus forceps [1]) expressit. Hanc obsignatus ille [2]) liber designavit quem nemo legit doctus litteras, eo dumtaxat excepto qui obsignavit, et altiori supra rationem modo conservavit. Huius typum gessit mundissimus [3]) ille tomus, in quo nulla scriptione exaratum Verbum erroris chirographum disrupit. »

528. Succedunt Iohannes damascenus et Tarasius constantinopolitanus, quorum primus [a]) Deiparam compellans ait: « Ave signaculum regium, universorum regem qui substantiam ex te sumpsit, corpusculo materno simili exprimens: siquidem comparatum sic est, ut talis foetus sit qualis et parens. Ave liber signatus nulli corruptrici cogitationi obnoxius, ex qua divinitus insculptae legis arbiter, ab ipso solo, qua virginem decet ratione, percurritur. » Tarasius vero [b]) ubi Deiparam triennem in templo oblatam describit, haec eiusdem parentibus verba commodat: « Accipe o Zacharia tabernaculum immaculatum, accipe o sacerdos intemeratum Verbi thalamum, accipe o propheta thuribulum lucis ab omni materia

ἀνέγνω γραμμάτων ἐπιστήμων, πλὴν τοῦ σφραγίσαντος, καὶ ὑπὲρ λόγον τηρήσαντος· ταύτην ὁ καθαρώτατος τόμος ἐδήλωσεν, ἐν ᾧ ἀγράφως ὁ λόγος ἐγχαραχθεὶς, τὸ τῆς ἀπάτης χειρόγραφον ἔσχισεν.

a) Orat. II. in Deiparae nativit. pag. 854. E. 855. A. Χαῖρε σφραγὶς βασιλικὴ, ἡ τὸν ἐκ σοῦ οὐσιωθέντα βασιλέα τῶν ἁπάντων ἀποτυποῦσα μητρομοίῳ σώματι· εἴπερ οἷα ἡ γεννῶσα, τοιοῦτον δηλαδὴ καὶ τὸ γέννημα. Χαῖρε βιβλίον ἐσφραγισμένον, ἡ πάσῃ φθοροποιῷ ἐπινοίᾳ ἀπήμαντος, ἐξ ἧς ὁ θεοχαράκτου νόμου κύριος πρὸς αὐτοῦ μόνου παρθενικῶς ἀναγινώσκεται.

b) Orat. de Deiparae in Templum ingress. pag. 7. Δέχου Ζαχαρία τὴν σκηνὴν τὴν ἀμίαντον· δέχου ἱερεῦ τὴν ἀκηλίδωτον παστάδα τοῦ λόγου· δέχου προφῆτα τὸ θυμιατήριον τοῦ αὔλου φωτός· δέχου δίκαιε τὸ πυρίμορφον ἅρμα τοῦ ὑψίστου· δέχου ἄμεμπτε τὴν ὡραίαν ἄμπελον, ἥτις βλαστήσει τὸν ἀείζωον βότρυν· εἰσάγαγε αὐτὴν εἰς τὰ ἐνδότατα τοῦ ναοῦ κυρίου· πρόσφερε αὐτὴν εἰς τόπον ἁγιάσματος, ὃ κατειργάσατο ὁ ὕψιστος εἰς ἑαυτοῦ κατασκήνωσιν· ἀνάγαγε ταύτην εἰς τὰ ἄδυτα, τὸν ἀόρατον ἐν κοιλίᾳ βαστάζειν ἐπιγομένην· μακάρισον αὐτὴν, τὴν μακαρίους πάντας βροτοὺς ἀναδείξασαν· μεγάλυνον ταύτην, τὴν τῶν μεγαλουργιῶν θεοῦ ἀναδειχθεῖσαν βίβλον θεογράφον· ἀνάλαβε ταύτην, τὴν ἐκ τῆς προμήτορος Εὔας κατάρας ἡμᾶς ἀπαλλάξασαν· ἄσπασαι ταύτην, τὴν πρὸς τὸν θεὸν φιλανθρωπίᾳ ἡμᾶς συνδήσασαν, καὶ τὴν ἔχθραν τοῦ ὄφεως, τῷ αὐτῆς τόκῳ καθελοῦσαν· ἀγκάλισαι αὐτὴν, τὴν ἐξ ἀγκάλων τοῦ ὄφεως ἡμᾶς ἀφαρπάσασαν· προφήτευσον περὶ ταύτην, τὴν τῶν προφητῶν ἀναδειχθεῖσαν πλήρωσιν, καὶ τῆς ἐπαγγελίας θεοῦ πρὸς ἀνθρώπους ἀνακεφαλαίωσιν.

1) Is. VI. 7.
2) Is. XXIX. 11.
3) Is. VIII. 1.

secretae, accipe o iuste igniferum currum Altissimi, accipe o inculpate floridam vitem quae racemum aeternae vitae efferet, intromitte illam in intimos recessus templi Domini, infer illam in sedes sanctimoniae, quas in sui domicilium Altissimus obsepsit, inducito hanc in sanctissima penetralia maturantem in utero eum ferre qui oculis cerni non potest, beatam ipsam praedica quae beatos constituit omnes mortales, magnifice hanc lauda quae prolata est veluti liber divinitus complectens mgnifica opera Dei. Excipe hanc quae a maledicto in primam parentem Evam immisso nos liberavit: complectere hanc quae nos cum Deo caritate devinxit, et inimicitiam serpentis suo partu abstulit: implica istam brachiis quae nos ab implexu serpentis abstraxit: de hac vaticinare, quae prophetarum edita est consummatio, et divinarum ad homines promissionum compendium. »

529. Post quae Zachariam [a]) sistit ex afflatu Spiritus inclamantem: « O puella immaculata, o Virgo impolluta, o adolescentula venustissima, o mulierum ornamentum, filiarum nitor, o mater virgo sancta, tu benedicta inter mulieres, tu celebrata propter castitatem, tu obsignata propter virginitatem, tu Adami maledicti expiatio, tu debiti Evae solutio, tu Abelis purissima oblatio et primae dedicatae immolationis innocens sacrificium, tu Enos in Deum spes

a) Ibid. pagg. 9-11. Ὦ κόρη ἀμίαντε, ὦ παρθένε ἀμόλυντε· ὦ νεᾶνις πάγκαλλε· ὦ γυναικῶν ἀγλάϊσμα· ὦ θυγατέρων καλλώπισμα· ὦ μῆτερ παρθένε ἁγία· σὺ, εὐλογημένη ἐν γυναιξί· σὺ, δεδοξασμένη τῇ ἁγνείᾳ, σὺ ἐσφραγισμένη τῇ παρθενίᾳ· σὺ, τοῦ Ἀδὰμ τῆς κατάρας ἡ λύσις· σὺ, τῆς Εὔας τοῦ ὀφλήματος ἡ πλήρωσις· σὺ, τοῦ Ἄβελ ἡ καθαρωτάτη προσφορὰ, καὶ πρωτοθύτου προθέσεως ἄκακος θυσία· σὺ, τοῦ Ἐνὼς ἐν θεῷ ἐλπὶς ἀκαταίσχυντος· σὺ, τοῦ Ἐνὼχ ἡ εὐαρέστησις, καὶ πρὸς τὸν ἄσυλον βίον μετάστασις· σὺ, τοῦ Μελχισεδὲκ τῆς βασιλείας καὶ τῆς ἱερατείας ἀγλάϊσμα πάμφωτον· σὺ, τοῦ Ἀβραὰμ ἡ πίστωσις, καὶ τῆς ἐπαγγελίας καὶ τεκνογονίας ὑπήκοος πειθάρχησις· σὺ, τοῦ Ἰσαὰκ καινὴ θυσία, καὶ τὸ λογικὸν ὁλοκαύτωμα· σὺ, τοῦ Ἰακὼβ τῆς ἐν κλίμακι ἀνόδου αἰτία· τῆς δωδεκαφύλου τεκνογονίας ἐκσφράγισμα μέγιστον· σὺ, τοῦ Ἰούδα πέφηνας ἡ κατὰ γένος θυγάτηρ· σὺ, τοῦ Ἰωσὴφ ἡ σωφροσύνη, καὶ τῆς παλαιᾶς Αἰγυπτίας, ἤγουν τῆς Ἰουδαίων συναγωγῆς, καθαίρεσις, ἄχραντε· σὺ, τοῦ Ἰὼβ ἡ ἐν πειρασμοῖς ὑπομονητικὴ ἀνακεφαλαίωσις, καὶ τῶν ὑπαρχόντων αὐτῷ διπλῆ διάδοσις καὶ πλουτοποιὸς ὕπαρξις· σὺ, τοῦ Μωσέως καὶ νομοθέτου θεότευκτος βίβλος, ἐν ᾗ τὸ τῆς παλιγγενεσίας μυστήριον ἐγράφη, καὶ δακτύλοις θείοις ἐν πλαξὶν ἐνομοθετήθη, ὡς ἐν Σιναίῳ τῷ ὄρει, ἐν ᾧπερ Ἰσραὴλ ὁ ἀριφανὴς ἐκ δουλείας Αἰγυπτίων τῶν νοητῶν ἐλευθερωθήσεται, ὡς ὁ πρὶν ἐν τῇ ἐρήμῳ λαὸς τοῦ μάννα ἐπλήσθη, καὶ τοῦ ὕδατος ἐκ πέτρας ἀκροτόμου· ἡ δὲ πέτρα ἦν ὁ Χριστὸς, ὁ μέλλων ἐκ τῆς κοιλίας σου προέρχεσθαι, ὡς ἐκ παστοῦ νυμφίος· σὺ εἶ τῶν προφητῶν ἡ διόπτρα, καὶ τῶν ῥημάτων αὐτῶν ἡ ἐκπλήρωσις.

pudore non suffusa, tu Enoch inita gratia et in securam vitam migratio, tu Noe arca et secundae regenerationis ad Deum conciliatrix, tu regni et sacerdotii Melchisedech perillustris splendor, tu Abrahami probatio et promissionis ac futurae posteritatis obediens fides, tu Isaaci novum sacrificium et rationale holocaustum, tu Iacobi in scalam adscensus caussa et sobolis in duodecim tribus propagatae expressa maxime effigies, tu Iudae prognata es secundum stirpem filia, tu Iosephi pudicitia et veteris Aegyptiae, Synagogae nimirum Iudaeorum purgatio, o immaculata, tu Iobi in tentationibus patientiae perfectio, et bonorum eius in duplum restitutio ac ditissima copia, tu Moysis eiusdemque legislatoris liber divinitus concinnatus, in quo scriptum est sacramentum regenerationis, et divinis digitis insculpta in tabulis lex est, quemadmodum in Sina monte, ubi Israel recens genitus ab Aegyptiorum spiritalium servitute liberabitur, quemadmodum antiquus populus in solitudine manna et aqua de aspera petra expletus est: petra autem erat Christus e tuo gremio proditurus, tamquam sponsus e thalamo. Tu es prophetarum speculum, et rerum ab illis praenunciatarum exitus. »

530. Quod quum probe nosset [a]) Iosephus hymnographus cecinit: « Magnus archangelus *(Gabriel)* quum te, o innocens, librum Christi animatum et Spiritu obsignatum vidisset, ad te clamavit: gaude o gaudii sedes, per quam primae parentis maledictio abolita est. Adae correctio gaude, o Virgo Dei sponsa, quae infernum interemisti: gaude, tota immaculata, palatium Regis universorum: gaude o throne ignee omnipotentis.

Gaude rosa semper vigens, quae sola pomum odoris suavissimi protulisti: gaude tu quae peperisti olfactorium illius qui solus Rex est: gaude nuptialis inscia thalami, mundique salus.

Gaude innocentiae thesaurus, per quam a casu nostro erecti

a) Triod. pag. 316. col. 2. B-D. Χριστοῦ βίβλον ἔμψυχον, ἐσφραγισμένην σε πνεύματι, ὁ μέγας ἀρχάγγελος, ἁγνὴ, θεώμενος ἐπεφώνει σοι· χαῖρε χαρᾶς δοχεῖον, δι᾽ ἧς τῆς προμήτορος ἀρὰ λυθήσεται.

Ἀδὰμ ἐπανόρθωσις χαῖρε, παρθένε θεόνυμφε, τοῦ ᾅδου ἡ νέκρωσις· χαῖρε πανάμωμε, τὸ παλάτιον τοῦ πάντων βασιλέως· χαῖρε θρόνε πύρινε τοῦ παντοκράτορος.

Ῥόδον τὸ ἀμάραντον χαῖρε, ἡ μόνη βλαστήσασα τὸ μῆλον τὸ εὔοσμον· χαῖρε ἡ τέξασα τὸ ὀσφράδιον τοῦ μόνου βασιλέως· χαῖρε ἀπειρόγαμε, κόσμου διάσωσμα.

Ἁγνείας θησαύρισμα χαῖρε, δι᾽ ἧς ἐκ τοῦ πτώματος ἡμῶν ἐξανέστημεν· χαῖρε ἡδύπνοον κρίνον, δέσποινα, πιστοὺς εὐωδιάζον· θυμίαμα εὔοσμον, μύρον πολύτιμον.

sumus: gaude suave redolens lilium fideles odore recreans: thymiama suavissimum, unguentum pretiosissimum. » Cum quibus haec insigniter conspirant [a]) ex hymno sancti Iacobi sarugensis: « Sicuti epistola obsignata nobis Maria apparuit, in qua mysteria Filii et profunda eius abscondita celabantur. Epistola fuit non antea scripta ac deinde obsignata, sed quam obsignarunt ac tum demum scripserunt [1]) caelestes. » Atque haec item quae Syri [b]) alibi usurpant: « Erat Maria obsignatae instar epistolae, et lecta est quin eius sigilla solverentur: fuit in ea spes, vita et redemptio tum Adamo qui mandatum violavit, tum omnibus eiusdem filiis. » Fuit igitur Deipara *liber obsignatus*, quod nullam virginitatis iacturam, etsi mater, subierit; sed liber practerca fuit obsignatus, si patribus credimus, *quod fuerit penitus immaculata, tota immaculata, semper virens, nulli obnoxia corruptrici cogitationi, innocentiae thesaurus magnifica Dei opera complectens, gaudii domicilium, Adae correctio, Evae reparatio, humani generis salus, instrumentum universalis restitutionis, et ad redemptionem quod spectat, nobiliore prorsus ordine comprehensa ac is sit quo reliqua Adami progenies continetur.* Haec enim sunt quae descriptis propositi typi explanationibus perspicue significantur. Sed haec pariter eiusmodi sunt, quae sicuti Deiparam a reliquo hominum genere secernunt; ita ab ipsa omnem vel levissimam peccati suspicionem culpaeque umbram amandant.

531. Quod quidem esse omnino verissimum evidentius patebit, si ea insuper recolantur quibus maiores nostri symbolum *portae signatae* expolire consueverunt. De hoc enim symbolo Dionysius alexandrinus [c]) inquit: « Nec in verum eius tabernaculum alius in-

a) Offic. Maronit. pagg. 335-389.
ܐܝܟ ܐܓܪܬܐ ܚܬܝܡܬܐ ܡܪܝܡ ܐܬܚܙܝܬ ܠܢ. ܕܒܗ̇ ܗܘܘ ܟܣܝܢ ܐܪ̈ܙܘܗܝ ܕܒܪܐ
ܘܥܘܡ̈ܩܘܗܝ. ܐܓܪܬܐ ܗܘܬ ܠܐ ܕܠܩܕܡ ܟܬܝܒܐ ܘܒܬܪ ܐܬܚܬܡܬ. ܐܠܐ ܕܚܬܡܘܗ̇ ܘܗܝܕܝܢ
ܟܬܒܘܗ̇ ܕܒܝܬ ܐܠܗܐ ܀

b) Ibid. pag. 157.
ܗܘܬ ܡܪܝܡ ܐܝܟ ܐܓܪܬܐ ܕܚܬܝܡܐ. ܘܐܬܩܪܝܬ ܕܠܐ ܫܪܝܢ ܗܘܘ ܛܒ̈ܥܐ ܕܝܠܗ̇.
ܗܘܐ ܗܘܐ ܒܗ̇ ܣܒܪܐ ܘܚܝܐ ܘܦܘܪܩܢܐ ܠܐܕܡ ܕܥܒܪ ܦܘܩܕܢܐ ܘܠܟܠܗܘܢ ܒ̈ܢܘܗܝ.

c) Epist. con. Paulum samosat. pag. 240. A-C. Οὔτι ἐξῆλθεν, εἰ μὴ μόνος κύριος· καὶ ἐσφραγίσθη ἡ πύλη τῆς σκηνῆς σῶα καὶ ἀρραγὴς καὶ ἀμόλυντος· χειρὶ γὰρ πέπηκται

1) Intellige ipsum Deum ܕܒܝܬ ܐܠܗܐ, adinstar graecae phraseos οἱ περὶ τὸν θεόν.

troivit nec ab eo exivit, nisi solus Dominus. Et signata est porta tabernaculi integra et incorrupta et inviolata, manu enim Dei clausa est et digito eius signata. Neque manu hominis sacerdos noster *(Christus)* electus est, neque tabernaculum eius ab hominibus fabricatum, sed Spiritu sancto firmatum est et virtute Altissimi protegitur illud *semper* laudatissimum Dei tabernaculum, Maria Deipara et virgo. » De eodem Ambrosius [1]) sic habet: « Quae autem est illa porta sanctuarii, porta illa exterior ad orientem quae manet clausa, et nemo, inquit [2]), pertransibit per eam nisi solus Deus Israel? Nonne haec porta Maria est, per quam in hunc mundum Redemptor intravit? Haec porta iustitiae, sicut ipse [3]) dixit, *sine nos implere omnem iustitiam*. Haec porta est beata Maria, de qua scriptum est: Dominus pertransibit per eam et erit clausa post partum, quia Virgo concepit et genuit. » His autem addi debent quae [a]) Georgius nicomediensis de oraculo disserens conceptae Virginis ait: « Hodierna praedictione radicis bonorum in sterili utero nasciturae, fore praenunciatur ut hominum natura quae vitio exaruerat, virentia pietatis germina producat. Quum hodie figitur Regis porta [4]) per quam nulli transitus patet; illi quidem mirabili quadam et supra vim mentis ratione praeparatur qui per eam transiturus est; nobis autem pervias caeli portas praevie efficit. »

532. Suffragatur [b]) Ephraemus qui Deiparam invocans clamat: « O porta caelestis, per quam qui in terra sumus, ad caelum currimus. » Suffragatur [c]) Sophronius qui laudibus Deiparam extollens

θεοῦ καὶ ἐσφράγισται δακτύλῳ· οὔτε χειρὶ ἀνθρώπου ὁ ἡμῶν ἀρχιερεὺς κεχειροτόνητο, οὔτε ἡ σκηνὴ αὐτοῦ ὑπ' ἀνθρώπων κατεσκευάσθη· ἀλλὰ πνεύματι ἁγίῳ ἥδρασται, καὶ σκέπεται τῇ δυνάμει τοῦ ὑψίστου ἡ ἀείμνηστος σκηνὴ τοῦ θεοῦ, Μαρία ἡ θεοτόκος καὶ παρθένος.

a) Orat. in oraculum concept. Deiparae pag. 998. B-C. apud Combefisium Auctar. T. I. Σήμερον ἡ ῥίζα τῶν ἀγαθῶν ἐν ἀκάρπῳ προαγορευομένη φύεσθαι νηδύϊ, τὴν ἀποξηρανθεῖσαν ἡμῶν τῇ κακίᾳ φύσιν, νεοθαλῆ τῆς εὐσεβείας ἀναφύειν προμηνύει βλαστήματα· σήμερον ἡ ἀδιόδευτος τοῦ βασιλέως ἐρειδομένη πύλη, αὐτοῦ μὲν τῇ ὑπὲρ ἔννοιαν προετοιμάζεται διόδῳ· ἡμῖν δὲ βασίμους τὰς οὐρανίους προκατασκευάζει πύλας.

b) Prec. IV. pag. 528. opp. graec. T. III. Πύλη ἐπουράνια, δι' ἧς οἱ ἐπὶ γῆς εἰς οὐρανοὺς ἀνατρέχομεν.

c) Triod. pag. 169. apud Mai Spicileg. rom. T. IV. Ἱεραί σε τῶν προφητῶν κηρύτ-

1) Epist. Class. I. epist. XLII. quae est synodica ad Siricium Pontificem n. 6. col. 967.

2) Ezech. XLIV. 2

3) Matth. III. 15.

4) Ezech. XLIV. 2

inquit: « Sacrae prophetarum voces te symbolice portam, ex qua in tenebris mortisque umbra sedentibus ortus est, o Virgo, sol qui solus lucem affert. » Et [a]) rursum: « Quum videres tamquam lucis porta ex inferorum latebris solem orientem et mundi fines illuminantem, replebaris divina laetitia, o puella perfecte immaculata. » Suffragatur apertissimis verbis [1]) Hesychius, et cum Hesychio in eamdem concedens sententiam [b]) Modestus de Virgine scribit: « Iamvero praevisa et prophetice praenunciata est in illo augustissimo aditu, seu in illa [2]) lucifera porta quae posita in Sion ad orientem respiciebat, quaeque divinissimum fuit praesagium incolatus et operationis vivifici et sanctissimi Spiritus, ad quam portam nullum accessit mendacium, sed sola et verissima vivificatrix via per eam procesit, et per ipsam nos ad Patrem suum adduxit Dominus noster et Deus, qui dicit in [3]) Evangelio: *ego sum via, veritas et vita, nemo nisi per me venit ad Patrem.* »

533. Praetereo testimonia [4]) Hieronymi, vulgati Gregorii neocaesariensis [5]) et [6]) Iohannis damasceni, atque ad ea venio quae in Euchologio repetita leguntur. Itaque in [c]) Officio pro sacerdote vita functo legimus: « Porta semper clausa et mystice obsignata, benedicta Virgo Deipara, preces nostras suscipe, et filio Deoque tuo eas offer, ut per te salvet animas nostras. » Et [d]) pluribus interiectis:

τουσι φωναὶ συμβολικῶς πύλην, ἐξ ἧς τοῖς ἐν σκότει καὶ σκιᾷ καθημένοις ἀνέτειλεν ἥλιος, παρθένε, ὁ μόνος φωτοδότης.

a) Ibid. pag. 210. Ὡς πύλη φωτὸς ἐκ τῶν ᾅδου κευθμονῶν τὸν ἥλιον ἰδοῦσα ἀνατείλαντα, κόρη, καὶ φωταγωγήσαντα τὰ πέρατα τοῦ κόσμου, θείας ἐπλήσθης θυμηδίας, παναμώμητε.

b) Encom. in Deiparam pag. 39. Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἐν σεβασμιωτάτῃ προσαγωγῇ, ἢ ἐν τῇ πρὸς ἑῴαν βλεπούσῃ φωτοφόρῳ πύλῃ τῇ κατοικούσῃ ἐν Σιών, καὶ οὔσῃ ἐνθειοτάτῃ προγνώσει τῆς αὐτῆς μετοικήσεως, καὶ ἐξ ἐνεργείας ζωοποιοῦ καὶ παναγίου πνεύματος προορασθεῖσα καὶ ἐκφανθεῖσα ὑποφητικῶς, ἐν ᾗ ψεῦδος οὐ προσεπέλασεν, ἀλλ' ἡ μόνη παναληθινὴ ζωοποιὸς ὁδὸς ὥδευσε καὶ ἐν αὐτῇ ἦρεν ἡμᾶς πρὸς τὸν πατέρα αὐτοῦ ὁ κύριος ἡμῶν καὶ θεός, φάσκων ἐν εὐαγγελίοις· ἐγώ εἰμι ἡ ὁδὸς καὶ ἡ ἀλήθεια καὶ ἡ ζωή.

c) Euchols. pag. 575. C. Ἀδιόδευτε πύλη μυστικῶς ἐσφραγισμένη, εὐλογημένη θεοτόκε παρθένε, δέξαι τὰς δεήσεις ἡμῶν, καὶ προσάγαγε τῷ σῷ υἱῷ καὶ θεῷ, ἵνα σώσῃ διὰ σοῦ τὰς ψυχὰς ἡμῶν.

d) Euchlog. pag. 586. A-B. Ἡ φωτεινοτάτη πύλη, ἣν διώδευσε θεός, ὡς οἶδας,

1) Orat. de laudibus Deiparae pagg. 420. D. et 422. C. in biblioth. graeco-lat. T. II.

2) Ezech. XIV. 1.

3) Ioh. XIV. 6.

4) Comm. in Ezech. XLIV. col. 336. opp. Tom. V.

5) Orat. III. pag. 27.

6) Orat. I. in Deiparae dormit. pag. 864. C-D.

« Lucidissima porta quam Deus, ut nosti, penetravit, famulo tuo caelestes portas recludi efflagita, ut te quae sola es humani generis protectio, in requie celebret. » Et [a]) in canone funereo pro mulieribus vita functis: « Te Isaias inter prophetas mirandus agnovit signatam portam, in qua Patris Verbum Spiritu descriptum est; eius vero explens canticum, te fide uti Dei matrem colo, magnifico et celebro. »

534. Euchologio ceteri respondent Graecorum libri; in Menaeis [b]) siquidem Iosephus de pretiosa Virginis Zona canit: « O quae nobis es bonorum omnium conciliatrix, te cum gratiarum actione laudamus, vestemque tuam venerabilem deosculantes, o puella, exclamamus: benedicite opera Dominum.

Lumine iugi fruuntur oculi cordis nostri, quum habeamus ceu lampadem in lucerna mensae prominentem sacram vestem innocentissimae Virginis.

O Virgo, servos tuos quamquam indignos nullo modo reliquisti expertes sacri tui contactus; pro vitali namque corpore tuo vestem tuam omnibus donasti.

Honoremus divinis canticis amplissimum Dei tabernaculum, castissimam inter matres, portam caelestem, per quam clausa est ianua quae introducebat ad mortem. » In canone autem pro festo sancti Stephani iunioris sic [c]) habet: « Portam imperviam, purum

πύλας οὐρανίους ἀνοιγῆναι αἴτησαι τῷ σῷ οἰκέτῃ, ὅπως σὲ δοξάζῃ ἐπαναπαυόμενος· μόνως προστασία τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων.

a) Euchelog. pag. 561. C. Σὲ προεφήτευσεν ἐσφραγισμένην πύλην σαφῶς ὁ Ἡσαΐας ὁ ἐν προφήταις θαυμαστὸς, ἐν ᾗ ὁ λόγος πνεύματι πατρὸς προεγράφη· ἣν πίστει ὡς θεοῦ μητέρα σέβω καὶ μεγαλύνω καὶ ἀνυμνῶ, τὴν ᾠδὴν ἐκπληρῶν.

b) Men. die II. Iulii Ode η'. pag. 12. col. 1. D-E. Εὐχαρίστοις φωναῖς ἀνυμνοῦμέν σε τὴν παντοίων καλῶν ἡμῖν πρόξενον, καὶ τὴν σεπτὴν ἐσθῆτά σου ἀσπαζόμεθα, κόρη, ἀναβοῶντες· εὐλογεῖτε τὰ ἔργα τὸν κύριον.

Νοητὸν, ὡς λαμπάδιον ἔχοντες ἐν λυχνίᾳ τραπέζης προκείμενον, τὸ ἱερὸν μαφόριον τῆς πανάγνου παρθένου, τὰς τῆς καρδίας φωτιζόμεθα κόρας ἑκάστοτε.

Οὐδαμῶς ἀμοιροῦντας κατέλιπες ἱερᾶς σου, παρθένε, προσψαύσεως τοὺς ἀναξίους δούλους σου· ἀντὶ σώματος γὰρ σοῦ τοῦ ζωηφόρου, τὴν ἐσθῆτά σου πᾶσι δεδώρησαι.

Ὑμνῳδίαις ἐνθέοις τιμήσωμεν τοῦ θεοῦ τὸ εὐρύχωρον σκήνωμα, τὴν ἐν μητράσι πάναγνον, τὴν οὐράνιον πύλην, δι' ἧς ἐκλείσθη ἡ πρὸς θάνατον πύλη ἀπάγουσα.

c) Men. die XXVIII. Novembris Ode α'. pag. 207. col. 2. D. et Ode ς'. pag. 209. col. 2. A. Τὴν ἀδιόδευτον πύλην, τὸ καθαρὸν τῆς ἁγνείας τέμενος, τὴν καλὴν ἐν γυναιξὶ, τὴν ἁγίαν δέσποιναν φωναῖς ἱεραῖς ὁ ἱερὸς λαὸς δοξάσωμεν.

Ὑπεραγία, ἡ τὸν θεὸν μόνη ἐπὶ γῆς ὡς ἀληθῶς τὸν ὑπεράγιον τέξασα, τοὺς σὲ θεοτόκον ἀεὶ κηρύττοντας ἁγίασον καὶ σῶσον τῇ μεσιτείᾳ σου.

castitatis templum, pulcram inter mulieres, Dominam sanctam, sacris vocibus sacer populus glorificemus.

O supersancta quae supersanctum Deum sola in terra verissime peperisti, eos qui te semper Deiparam praedicant, sanctifica tuaque mediatione serva. » Quibus consona ista sunt [a]) ex Pentecostario: « Te laudamus quae sola Virgo peperisti, et uterum inviolatum servasti, te thronum Domini, portam et montem et spiritale candelabrum, thalamum Dei totum lucidum, et manifeste tabernaculum gloriae, arcam et urnam et mensam. » Neque ista minus quae [1]) Armeniorum Ecclesia frequentat: « Te Ezechiel vidit ianuam caeli, et sponsam intactam. Benedicta es in seculum. » Porro similia habent [2]) Copti, similia passim [3]) et Latini, in quorum hymnis haec etiam [4]) legimus:

» Fit porta Christi pervia, » Transitque rex et permanet
» Referta plena gratia, » Clausa ut fuit per secula.

535. Sit itaque credaturque Maria *porta obsignata,* quod virginitatis decus cum maternitatis fecunditate coniunxerit: sit credaturque *porta obsignata* quod Virgo ante partum atque in partu, numquam deinceps non virgo permanserit; sed *porta obsignata* ea etiam de caussa, testantibus patribus, existimetur quod fuerit *porta caelestis, porta sanctissima, porta lucis, tota lucida, perfecte immaculata, porta semper laudatissima, firmata Spiritus opera, virtute Altissimi protecta, fixa* [5]) *tamquam Regis porta in ipso suo conce-*

a) Pentecost. pag. 126. col. 2. A-B. Παρθένον μόνην τίκτουσαν, καὶ νηδὺν ἄφθορον τηρήσασαν, ὑμνοῦμέν σε, ἁγνή, θρόνον κυρίου, καὶ πύλην καὶ ὄρος, καὶ νοητὴν λυχνίαν, νυμφῶνα ὁλόφωτον τοῦ Θεοῦ, καὶ σκηνὴν δόξης σαφῶς, κιβωτόν τε καὶ στάμνον καὶ τράπεζαν.

1) Confessio Eccles. armen. pag. 41.

2) Theotoch. pag. 105. tetrast. V, VI, VII.

3) Thesaur. hymnolog. T. I. pag. 155, et T. II. pagg. 11, 22, 57. Cum quibus iuverit contulisse quae tradunt Bruno astensis lib. V. sentent. cap. I. pag. 554. opp. T. II. et Gerhohus reicherspergensis in Ps. XXIII. pag. 449.

4) Thesaur. hymnolog. T. I. pag. 21.

5) Quibus uti par est intelligendis iuverit animo ista reputasse, quae Alphonsus Salmeronius tridentinus theologus T. III. in evang. Tract. XXX. ad verba Matth. I. 16. *de qua natus est Iesus*, scribit: « Mariae maternitas, ut ita dicam, conceptionis illius comes fuit et administra. Quid sublimius? quid augustius quam divina maternitas, qua Virgo Deipara vere dicitur et est vera Dei genitrix? Vis nosse puritatem et dignitatem immaculatae conceptionis Deiparae? Ne raputes temporis divortium inter Mariae conceptionem et Dei maternitatem. Nam etsi conceptio quindecim annorum spatio maternitatem anteverterit, in Dei tamen mente et mysteriorum praevisione maternitas conceptionis est comes, nec computanda est sine maternitate conceptio: concipitur enim mox Dei mater digna futura. Unde divina maternitas futura Dei matris conceptioni adest, ut affinitatem cum peccato praepropere arceat et avertat. Nec tantum divina maternitas comes adest, sed etiam marianae conceptionis administra: scilicet tantus gratiae et gloriae nitor in Deiparae purissima conceptione emicat, ut Dei maternitas quae est omnium

ptu, in suo conceptu Deo praeparata, per quam Redemptor in mundum intravit, per quam clausa fuit porta quae ducit ad mortem, eaque reserata quae provehit ad vitam, porta denique ad quam nullum accessit mendacium, neque per peccatum mendacii auctor Satanas. Fieri autem non potuit, ut porta hisce insignis dotibus, atque hisce honestata characteribus originali corruptelae atque praevaricationi patuerit. Quod quidem prudenter animadvertit, disertaque testificatione significavit [1]) Faustus regiensis in Gallia episcopus scribens: « Ex matre vero *(Christus)* initium sumpsit, sicut legimus [2]) per Esaiam, *ecce Virgo in utero accipiet et pariet filium, et vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus,* idest, latens in humana fragilitate maiestas, sicut in Iohanne evangelista [3]) legimus: *et Verbum caro factum est et habitavit in nobis,* in nobis, idest, in fragilitate corporis nostri. Item de Mariae Virginis [4]) generatione: *porta erat clausa, et non est aperta,* tamquam si interrogaretur cur aperta non esset, adiecit; *quia Dominus transivit per eam.* Porta clausa, idest, signaculum pudoris, immaculatae carnis integritas. Non enim est violata partu, quae magis est sanctificata conceptu, *quae absque omni peccato concepta est in utero.* »

536. Et merito cuiusvis exsors culpae concepta in utero perhibetur, ipsa namque fuit [5]) *tomus* ille *novus,* de quo [6]) Theodotus

a) Orat. in Deiparam et in Symeonem §. III. pag. 460. C. apud Gallandium Tom. IX. *Χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ κύριος μετὰ σοῦ· μεθ' οὗ δευτερώσωμεν· χαῖρε τὸ ἐκπόθητον ἡμῶν εὐφραντήριον· χαῖρε τὸ ἐκκλησιαστικὸν ἀγαλλίασμα· χαῖρε τὸ ἡδύπνοον ὄνομα· χαῖρε τὸ θεολαμπὲς καὶ περιχαρὲς πρόσωπον· χαίροις τὸ πάνσεπτον μνημόσυνον· χαίροις ἡ σωτήριος καὶ πνευματικὴ κάθεσις· χαίροις φωτοστόλιστε μῆτερ ἀδύτου φέγγους· χαίροις παναχραντε μῆτερ ἁγιότητος· χαίροις διειδεστάτη πηγὴ τοῦ ζωοποιοῦ νάματος· χαίροις νέα μῆτερ καὶ*

Mariae gratiarum matrix non dedignetur puritati conceptionis veluti ministrare: siquidem singulare et perillustre gratiarum omnium privilegium in conceptione Virgini praemature concessum, ex divina maternitate auguste nascitur: gratia enim tunc naturam praepropere antevertit, ut digna filii Dei mater conciperetur. Ergo infinita dignitas et gratia divinae maternitatis veluti comes et administra adest immaculatae Virginis Deiparae conceptioni: » Hinc ea coniunctio inter cetera Virginis dona eiusque divinam maternitatem, quam in ecclesiasticis monimentis constanter advertimus, quaeque in his etiam splendet quae in Pentecostario pag. 161. col. 1. A-B. referuntur: *Μετὰ ἀγγέλων τὰ οὐράνια, μετὰ ἀνθρώπων τὰ ἐπίγεια ἐν φωνῇ ἀγαλλιάσεως, Θεοτόκε, βοῶμέν σοι· χαῖρε πύλη τῶν οὐρανῶν πλατυτέρα· χαῖρε μόνη τῶν γηγενῶν σωτηρία· χαῖρε σεμνή, χαῖρε κεχαριτωμένη, ἡ τεκοῦσα Θεὸν σεσωματωμένον. Cum angelis caelestia, cum hominibus terrestria voce exsultationis tibi, o Deipara, acclamamus: ave porta caelis latior, ave sola terrigenarum salus, ave veneranda, ave gratia plena quae Deum incorporatum peperisti.*

1) De ratione fidei, ad obiecta quaedam responsio pagg. 124, 125. edit. Paris. MDLXXXVI. Porro de Fausto digni sunt qui consulantur Bollandiani ad diem XVI. Ianuarii.

2) Is. VII. 14. coll. Matth. I. 22, 23.

3) Ioh. I. 14.

4) Ezech. XLIV. 1, 3.

5) Is. VIII. 1.

ancyranus scribit: « Ave gratia plena, Dominus tecum. Cum quo *(Gabriele)* iterum resumamus: ave desiderata nobis laetitia: ave gloriatio Ecclesiae: ave nomen dulce spirans: ave divine fulgens et gratiosa admodum facies: ave perquam venerabile monimentum: ave vellus salutare et spiritale: ave lumen induta, mater splendoris nescientis occasum: ave intemeratissima mater sanctitatis: ave pellucidissime fons vivifici laticis: ave sis nova mater et novi ortus fictirium: ave sis incomprehensionis mater inexplicabilis: ave novus ille [1]) iuxta Isaiam tomus scriptionis novae, cuius fidi testes angeli atque homines. » Similia scribit [a]) Proclus constantinopolitanus inquiens: « Haec novus novi testamenti tomus, per quam festine spoliatum est imperium daemonum, citoque humana dirempta captivitas. Haec [2]) trina humani generis mensura, Graecorum scilicet, Romanorum et Iudaeorum, in qua ineffabilis Dei sapientia fermentum bonitatis suae abscondit. » Neque ab his diversa sunt quae docent Ephraemus, Georgius nicomediensis et Iohannes damascenus.

537. Ephraemo [b]) namque Deipara est « Tomus a Deo conscriptus, per quem Adami chirographum scissum est. » De Deipara [c]) Georgius ait: « Huius typum gessit mundissimus ille tomus, in quo nulla scriptione exaratum Verbum erroris chirographum disrupit. » Iohannes vero damascenus ubi [d]) illius celebrat natalem diem, scribit: « Hodie tomum novum [3]) opifex omnium condidit Deus Verbum,

νεογενίας τὸ πλαστήριον· χαίροις ἀνερμήνευτε μῆτερ ἀκαταληψίας· χαίροις ὁ καινὸς κατὰ Ἡσαΐαν τόμος τῆς νέας συγγραφῆς, ἧς μάρτυρες πιστοὶ, ἄγγελοί τε καὶ ἄνθρωποι.

a) Orat. VI. de Deiparae laudibus §. XVII. pag. 645. B-C. apud Gallandium Tom. IX. Αὕτη ἡ καινὸς τῆς καινῆς διαθήκης τόμος, δι' ἧς τῶν δαιμόνων ὀξέως ἡ δυναστεία ἐσκυλεύθη, καὶ τῶν ἀνθρώπων ταχέως ἡ αἰχμαλωσία προενομεύθη· αὕτη τὰ τρία μέτρα τῆς ἀνθρωπότητος Ἑλλήνων, Ῥωμαίων, Ἰουδαίων, ἐν ᾗ ἡ ἄρρητος τοῦ θεοῦ σοφία τὴν ζύμην τῆς οἰκείας ἔκρυψεν ἀγαθότητος.

b) Prec. IV. pag. 529. F. opp. graec. T. III. Τόμος ὁ θεόγραφος, δι' οὗ τὸ τοῦ Ἀδὰμ ἐσχίσθη χειρόγραφον.

c) Orat. in Deiparae ingressum in Templum pag. 1098. D. apud Combefisium Auctar. T. I. Ταύτην ὁ καθαρώτατος τόμος ἐδήλωσεν, ἐν ᾧ ἀγράφως ὁ λόγος ἐγχαραχθεὶς, τὸ τῆς ἀπάτης χειρόγραφον ἔσχισεν.

d) Orat. I. in Deiparae nativit. §. VII. pag. 845. E. Σήμερον τόμον καινὸν ὁ πάντα

1) Is. VIII. 1.

2) Matth. XIII. 33.

3) Quibus ista sunt similia ex Orat. III. pag. 855. A. Χαῖρε τόμος καινοῦ μυστηρίου, ἡ τῇ ἀφθαρσίᾳ παντάπασιν ἄθικτος, ἐν ᾗ ὁ ἀνείδεος λόγος γραφίδι ἀνθρωπίνης ἰδέας ἐζωγράφηται, εἴτουν σεσωμάτωται, ὁ κατὰ πάντα ὅμοιος ἡμῖν πλὴν ἁμαρτίας γενόμενος. *Ave tomus novi mysterii undequaque a corruptione immunis, in qua omnis expers formae Verbum humanae speciei penicillo depictum est, hoc est, car-*

quem ex corde Pater eructavit, Spiritu qui Dei lingua est, tamquam calamo conscriptum: qui quidem homini scienti litteras traditus, nequaquam ab eo lectus fuit. » Tum natam alloquens [a]) puellam clamat: « O Ioachimi et Annae sacratissima filia, quae Principatibus et Potestatibus, igneisque maligni telis latuisti: quae in Spiritus thalamo versata es et sine macula custodita, ut sponsa Dei et natura Dei mater esses. O sacratissima filia, quae in maternis ulnis cerneris, apostaticisque Virtutibus formidabilis es. »

538. Subdo quae tradit [b]) Leo Augustus his verbis: « Ave faustissimus Dei Verbi scripturae tomus, per quem quum gravi servitutis iugo teneremur, inviolabilis nobis libertas scripta est. » Tum illa subdo quae tradunt Iohannes monachus, Iosephus hymnographus et Cosmas melodus, e quibus [c]) Iohannes scribit: « Tomus Dei per angelum hodie annunciatur, in quo Verbum eiusdem cum Patre throni consors modo inscribetur. » Concinit [d]) Iosephus inquiens: « Tomus quum sis novissimus, o intemerata, in te inscriptum est Verbum, quod libro viventium suos inserit divinos pugiles dictas sibi leges adamussim servantes. » Et [e]) rursum: « Tomum te pridem vidit Isaias, o semper Virgo, in quo Patris digito inscriptum erat

ποιῶν κατεσκεύασε, θεὸς λόγος, ὃν ἐκ καρδίας ὁ πατὴρ ἐξηρεύξατο, γλώσσῃ θεοῦ ὡς καλάμῃ τῷ πνεύματι ἐν αὐτῷ γραφησόμενον, ὃς ἐδόθη ἀνδρὶ εἰδότι γράμματα, καὶ οὐκ ἀνέγνω.

a) Ibid. §. VIII. pag. 846. A. Ὦ θυγάτριον Ἰωακείμ τε καὶ Ἄννης τὸ ἱερώτατον, τὸ λαθὸν τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας καὶ τὰ πεπυρωμένα βέλη τοῦ πονηροῦ· τὸ ἐν θαλάμῳ τοῦ πνεύματος πολιτευσάμενον, καὶ τηρηθὲν ἄμωμον εἰς νύμφην θεοῦ, καὶ μητέρα φύσει τοῦ θεοῦ· ὦ θυγάτριον ἱερώτατον, τὸ ἐπὶ μητρικαῖς φαινόμενον, καὶ φοβερὸν ταῖς ἀποστατικαῖς δυνάμεσιν.

b) Orat. in Deiparae dormit. pag. 1741. D-E. apud Combefisium Auctar. Tom. I. Χαῖρε ὁ δεξιώτατος τόμος τῆς τοῦ λόγου γραφῆς· δι᾽ οὗ τετρυχωμένοις ἡμῖν, τῷ βάρει τῆς δουλείας ζυγῷ, ἀναφαίρετος ἐγράφη ἐλευθερία.

c) Men. die IX. Decembris Ode ς΄. pag. 74. col. 1. A. Ὁ τόμος θεοῦ δι᾽ ἀγγέλου σήμερον κηρύττεται, ἐν ᾧπερ ὁ σύνθρονος λόγος τοῦ πατρὸς νῦν ἐγγραφήσεται.

d) Men. die VI. Martii Ode ζ΄. pag. 25. col. 1. C-D. Τόμος, ἄχραντε, καινότατος ὑπάρχουσα, τὸν λόγον ἐγγραφόμενον ἐν σοὶ ἔσχηκας, τὸν ἐν βίβλῳ ζώντων τοὺς αὐτοῦ ἐγγράψαντα θείους ἀθλητὰς, τὰ γεγραμμένα ἐμμελῶς ἀποπληρώσαντας.

e) Pentecostar. pag. 91. col. 2. B-C. Τόμον σε πάλαι ἐθεάσατο Ἡσαΐας, ἀειπάρθενε, ἐν ᾧ δακτύλῳ τοῦ πατρὸς λόγος ἄχρονος ἐγέγραπτο, ἐκ πάσης ἀλογίας σώζων ἡμᾶς τοὺς λόγοις σὲ ἱεροῖς ἀνυμνοῦντας.

ne indutum, quod simile nobis per omnia factum sit, excepto peccato. Et similia quoque illa sunt quae tradit de fide orthod. lib. IV. cap. XIV. pag. 275. D.

aeternum Verbum ab omni absurditate nos servans qui te sacris hymnis extollimus. » Concinit et [a]) Cosmas qui Deiparam laudans ait: « Iampridem ceu purus tomus suscipiens scriptum modo Verbum quod est divinitate incircumscriptum, innotuisti prophetis, o mater virgo Maria Dei sponsa; tu enim nullis adstrictum limitibus sinu tuo ineffabiliter circumdedisti. » Ab his autem vix aut ne vix quidem differunt quae habent [1]) Sophronius hierosolymitanus, antiquus auctor dialogi [2]) contra Iudaeos, et [b]) Theophanes cuius haec sunt verba: « Isaias spiritu illustratus vidit Ioachimi et Annae foetum, tomum novum, cui Verbum incarnatum inscriptum est. »

539. Quamquam igitur symbolo *novi tomi* praemonstrata idcirco fuerit Deipara, quod citra hominis operam conceperit et virgo simul atque mater exstiterit; his tamen ex sententia patrum christianaeque interpretationis neque significatio neque potestas symboli absolvitur. Eo namque symbolum praeterea spectavit, ut Deipara non solum impervia homini, sed multo magis impervia culpae haberetur, atque adeo prae reliquo hominum genere haberetur, hinc quidem veluti *tomus mundissimus, novissimus, faustissimus,* inde autem veluti *desiderata laetitia, ecclesiae gloriatio, lumine induta, intemeratissima splendoris et sanctitatis mater, fons purissimus vivifici laticis, semper caelitus custodita quemadmodum Dei sponsam naturalemque Dei matrem decebat, condita uti novi foederis tomus, ex Ioachimo et Anna ceu novus tomus genita, formidabilis apostaticis Virtutibus, igneis satanae telis inaccessa, et per quam hominum genus fuerit in libertatem assertum, diabolus vero exspoliatus, soluta captivitas et scriptum in nos damnationis chirographum abolitum atque discissum.*

540. Iamvero hanc ipsam neque omnino aliam esse sinceram

a) Men. die XXV. Ianuarii Ode ϛ'. pag. 208. col. 2. A. Τόμος καθαρὸς τὸν λόγον δεχόμενος γραφόμενον νῦν τὸν ἀπερίγραπτον τῇ θεότητι ἐγνωρίσθης προφήταις καὶ πρότερον, μητροπάρθενε Μαρία θεονύμφευτε· σὺ γὰρ τὸν ἀπεριόριστον ἐν γαστρί σου ἀφράστως ἐχώρησας.

b) Die IX. Septembris Ode ϛ'. pag. 69. col. 2. B. Ἐλλαμφθεὶς Ἡσαΐας τῷ πνεύματι, τοῦ Ἰωακεὶμ καὶ τῆς Ἄννης τὸ κύημα, τόμον καινὸν ἑώρακεν, ᾧ ἐγράφη ὁ λόγος σαρκούμενος.

1) Hymn. II. εἰς τὴν Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ γέννησιν, vv. 76, 80. pag. 56. apud Mai in Spicileg. rom. T. IV.

2) Dialog. cont. Iudaeos cap. XXXVI. p. 294. apud Henricum Canisium lectt. antiq. T. IV.

Deiparae effigiem nullo unquam foedatam naevo, tum etiam confirmant patres quum illud eiusdem symbolum enarrant, quo teste [a]) pseudo-Epiphanio praemonstrata fuit tamquam « Mons [1]) nullo modo incisus praeruptam habens petram Christum. » De hoc enim Virginis symbolo [b]) Modestus scribit: « Hodie vero qui appellatus est olim [2]) a Propheta *lapis angularis*, mirifice proprium transtulit montem, qui in altitudinem gloriae sese super omnem creaturam attollit; unde [3]) sine contactu abscissus Christus Deus [4]) correxit orbem terrae, orthodoxae fidei suae aedificatis Ecclesiis; ut qui ad eum pie per eumdem montem confugerint, ex omnis haereseos impietate liberentur, iuxta illud [5]) Scripturae: *omnis qui credit in illum, non confundetur.* » Ad hoc symbolum respiciens [c]) Tarasius ait: « Te etiam vir desideriorum Daniel proclamavit montem magnum, e quo Christus lapis angularis abscindetur, et simulacrum multiformis serpentis ruina atque exitio dissipabit. » Neque alio ista pertinent quibus [6]) a Germano Deipara nuncupatur « Mons e quo devolutus nulla praecisus manu lapis contrivit aras idolorum, et factus est in caput anguli mirabilis in oculis nostris. » Itemque ista quibus de Virgine [7]) ait: « Deum rursus video caelos inclinantem et in montem sanctum descendentem, qui toti supereminet terrae, et nonnisi caelestia sapit. »

541. Eodem refertur [d]) Cosmae hierosolymitani testimonium

a) Orat. de laudibus Deiparae pag. 294. inter opp. Epiphanii T. II. Τὸ ἀλατόμητον ὄρος, ἡ τὴν ἀκρότομον ἔχουσα πέτραν Χριστόν.

b) Encom. in Deiparam pag. 25. Σήμερον δὲ ὁ ὑπὸ θεσπεσίου προφήτου προαγορευθεὶς ἀκρογωνιαῖος λίθος τοῦ ἰδίου ὄρους τὴν θαυμαστὴν μετάστασιν δέδρακε, τοῦ ὑπερεξαίροντος πάσης κτίσεως ἐν ὑψώμασι δόξης· ἐξ οὗπερ ἄνευ ἀφῆς τμηθεὶς Χριστὸς ὁ θεὸς, κατώρθωσεν ἅπασαν τὴν οἰκουμένην, οἰκοδομήσας ἐν αὐτῇ τὰς τῆς ὀρθοδόξου πίστεως αὐτοῦ ἐκκλησίας, ὅπως ἂν οἱ εὐσεβῶς διὰ τοῦ αὐτοῦ ὄρους πρὸς αὐτὸν καταφεύγοντες ῥυσθῶσιν ἐκ πάσης δυσσεβοῦς αἱρέσεως, καθ᾽ ἃ φησὶ τὸ γράμμα τὸ ἱερὸν, ὅτι πᾶς ὁ πιστεύων ἐπ᾽ αὐτῷ οὐ καταισχυνθήσεται.

c) Orat. in Deiparae ingressum in Templum. Σὲ, καὶ ὁ τῶν ἐπιθυμιῶν ἀνὴρ Δανιὴλ ἀνεκήρυξεν ὄρος μέγα, ἐξ οὗ Χριστὸς ὁ ἀκρογωνιαῖος λίθος ἀποτμηθήσεται· καὶ τὴν εἰκόνα τοῦ πολυμόρφου ὄφεως ὀλέσει καὶ ἐκλικμήσει.

d) Men. die XXV. Ianuarii Ode δ'. pag. 190. col. 1. E. Ὄρος ἀνεδείχθης σὺ νοη-

1) Dan. II. 45.
2) Ps. CXVII. 22.
3) Daniel. II. 45.
4) Ps. XCV. 10.
5) Rom. X. 11.
6) Orat. I. in Deiparae praesent. edita a Maraccio in Mariale Germani, pag. 53
7) Orat. I. in Deiparae annunciat ab eodem edita pag. 97

quo de Virgine scribit: « Tu es mons ille spiritalis, quo ineffabiliter abscissus est lapis ille pretiosus qui tenebricosae superstitionis imaginem contrivit, suaeque gratiae radiis eos illuminavit, qui fideliter clamant, glorificetur, Domine, potentia tua. » Eodem referuntur Theophanis verba quibus [a]) nunc ait: « Daniel sanctissime montem conspexisti spiritalem, solam illibatam semperque virginem puellam. » Et nunc [b]) subdit: « Montem Dei quem Daniel praenovit, tabernaculum spiritale, tabulam venerandam, gloriae sanctuarium, mensam divinum capientem panem, sanctam Virginem laudemus. » Atque eodem, ne alia [1]) commemorem, ista pariter referuntur quibus [c]) Iosephus Deiparae nativitatem extollit: « Mira fecunditate praedita terra e terra nascitur infecunda, et fecundissimum gignet fructum, agricolam scilicet bonorum, et spicam vitae allatricem quae nutrit omnes divino spiritu.

Hodie pullulavit virga virginitatis, ex qua flos efflorescet sator noster Deus, qui mala germina rescindit propter summam bonitatem suam.

Vide quomodo mons a lapicida intactus et e petra sterili natus spiritalem lapidem profert, qui universa superbissimi hostis simulacra confringet.

τὸν, ὅθεν ἐτμήθη ἀποῤῥήτως ὁ ἔντιμος λίθος λεπτύνων ζοφερᾶς πλάνης εἰκόνα, καὶ φωτισμῷ τῆς χάριτος καταυγάζων τοὺς πίστει ἀναβοῶντας, κύριε, δόξα τῇ δυνάμει σου.

a) Men. die XVII. Decembris Ode α'. pag. 133. col. 1. A. Ὄρος ἐθεώρεις νοητὸν, Δανιὴλ ἱερώτατε, τὴν μόνην ἄχραντον ἀειπάρθενον κόρην.

b) Men. die XIX. Decembris Ode α'. pag. 156. col. 1. C. Τὸ ὄρος τοῦ Θεοῦ Δανιὴλ ὁ προεῖδε, τὴν σκηνὴν νοητὴν, τὴν πλάκα τὴν σεπτὴν, τὸ τῆς δόξης ἁγίασμα, τράπεζαν τὸν θεῖον ἄρτον χωρήσασαν, ᾄσμασι τὴν ἁγίαν παρθένον ὑμνήσωμεν.

c) Men. die VII. Septembris Ode γ'. pag. 50. col. 1. A-B. Ἡ γῆ ἡ κατάκαρπος ἐκ γῆς ἀκάρπου γεννᾶται, ἥτις καρπογονήσει τὸν γεωργὸν τῶν ἀγαθῶν, καὶ ζωηφόρον ἄσταχυν, τὸν τρέφοντα πάντας θείῳ πνεύματι.

Σήμερον ἐβλάστησε τῆς παρθενίας ἡ ῥάβδος, ἐξ ἧς ἀνθήσει ἄνθος ὁ φυτουργὸς ἡμῶν θεὸς, τὰ πονηρὰ βλαστήματα ἀποτέμνων ἄκρᾳ ἀγαθότητι.

Ἴδε τὸ ἀλάξευτον ὄρος, ἐκ πέτρας ἀγόνου ἀποτεχθὲν, τὸν λίθον καρπογονεῖ τὸν νοητὸν, ὃς συντριβὴν ἐργάσεται τῶν ξοάνων πάντων τοῦ ἀλάστορος.

Νόμου προχαράγματα σὲ προεδήλωσαν, κόρη· τὸν νομοδότην σὺ γὰρ νομίμων δίχα ἐν γαστρὶ κυοφορεῖς τηροῦντά σε ὑπὲρ λόγον ἄφθορον, ἀμίαντον.

1) Videsis Eusebii caesariensis Theophaniae fragmenta pag. 125. apud Mai in Nov. PP. Biblioth. T. IV., Offic. quadrag. in Sabbato carnis privii Ode ζ. pag. 13., in Sabbato Tyroph. Ode η'. pag. 76., in Fer. II. Hebd. I. Ieiun. Ode α'. pag. 95., in Fer III. Hebd. II. Ieiun. Ode η'. pag. 174., in Dom. III. Ieiun. Ode θ'. pag. 287. et Thesaur. hymnolog. T. I. pagg. 21-22.

Te praemonstrarunt Legis praesignationes, o puella; etenim praeter consuetum morem legislatorem gestas in utero conceptum, qui te supra rationis vim incorruptam inviolatamque conservat. »

542. Sicut ergo cordi Deo fuit ut Deipara virginitate corporis niteret, atque adeo mons esset intactus a lapicida et nullius opera hominis incisus; ita eidem cordi fuit ut Deipara virginitate animi mentisque emicaret, atque adeo esset et ab omnibus censeretur *mons sanctus, mons Christi proprius, gloriosior omni creatura, gloriae sanctuarium, toti supereminens terrae, nonnisi caelestia sapiens, per quem ad Christum lapidem angularem accedimus, et e quo pernicies in Satanae regnum derivavit.*

543. Huic autem omnino similis ea est consequutio quae ex symbolo *agri non subacti,* eiusque apud maiores receptis enarrationibus colligitur. Proponit eiusmodi symbolum [a]) Germanus inquiens: « Benedicta tu in mulieribus, arvus [1]) ille a Deo cultus, quae vitae nobis spicam nullo satam semine, partuque nihilominus [2]) editam, velut in areae cumulo gestasti in utero. » Illudque rursum cum aliis iunctum consertumque [3]) proponit atque explanat his verbis: « Ave quae nativitate tua solvisti sterilitatis vincula, et delesti probrum infecunditatis, et legalem maledictionem in profundum proiecisti, et gratiae benedictionem efflorentem dedisti, ingressuque tuo in sancta sanctorum votis parentum adimpletionem et nostrae remissioni fundamentum et laetitiae cumulum attulisti, exordium gratiae praebens. Ave Maria gratia plena, sanctior sanctis, excelsior caelis, gloriosior ipsis Cherubim, honorabilior Seraphim et venerabilior

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1310. D. apud Combefisium Auctar. T. I. *Εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν, ἡ θεογεώργητος ἄρουρα, ἡ τὸν ἄσπορον καὶ ἀπότικτον τῆς ζωῆς ἡμῶν ἄσταχυν ὡς ἐν θημονίᾳ τῇ κοιλίᾳ βαστάσασα.*

1) Vulgatus Gregorius thaumsturgus Orat. I. de annunciat. pag. 12. Χαῖρε ἡ ἀγεώργητος καλλίκαρπος ἄρουρα. *Ave ager qui non exaratus pulcherrimos profert fructus.* Et Iohannes damascenus Orat. II. in Deiparae dormit. §. XIV. pag. 876. D. de Virgine scribit: Ἔδει γὰρ τοῦτο τὸ θεοπρεπὲς ἐνδιαίτημα τὴν ἀνόρυκτον πηγὴν τοῦ τῆς ἀφέσεως ὕδατος, τὴν ἀνήροτον ἄρουραν τοῦ οὐρανίου ἄρτου, τὴν ἀνάρδευτον ἄμπελον τοῦ τῆς ἀμβροσίας βότρυος, τὴν ἀειθαλῆ καὶ καλλίκαρπον ἐλαίαν τοῦ πατρικοῦ ἐλέου, τοῖς κευθμῶσι τῆς γῆς μὴ κατείργεσθαι. *Siquidem divinum illud domicilium, illum minime effossum aquae remissionis fontem, inaratum illud caelestis panis arvum, illam numquam irrigatam uvae immortalis vineam, illam paternae miserationis olivam vernantibus perpetuo foliis pulcherrimisque fructibus onustam, terrae penetralibus claudi minime conveniebat.*

2) Schottus legit ἀπόκτιστον, vertitque *non creatam nobis vitae spicam.* Sed ἀπόκτιστον hac significatione nonnisi barbare adhibetur, et praeterea homo Christus fuit spica verissime creata. Restat ergo ut legatur ἀπότικτον, quo etiam antithesi praeclare fiat satis.

3) Orat. I. in Deiparae praesentat. edita a Maraccio in Mariale Germani, pagg. 53-54

omni creatura. Quae glorioso et splendido tuo in Templum accessu ramum nobis olivae tulisti intelligibilis diluvii finem, et salutis portum fausto tuo nuntio declarans, o columba, cuius pennae deargentatae et posteriora eius in pallore auri, sanctissimi et illuminantis Spiritus fulgore radiantia. Urna ex auro puro constans, et suavissimam animarum nostrarum dulcedinem Christum, qui manna est, continens. Sed o purissima et omni celebratione et veneratione digna, munusque supra omnem creaturarum conditionem Deo dicatum, terra non culta, inaratus ager, vitis abundans, thesaurus integritatis [1]), ornamentum castitatis, tuis gratissimis maternaque auctoritate validis supplicationibus ad filium Deumque tuum, in tutum portum deducito. »

544. Aeque autem fulgent quae [2]) Sophronius senior de Virgine loquens ait: « Cuius profecto emissio uteri, supernorum civium omnium est paradisus. De isto namque ventris agro patriarcha Isaac longe odorans aiebat [3]) dicens: *ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus:* quamvis putent parum intelligentes, quod priores sancti minus de Christo intellexerint mysterium incarnationis, quum et ipsi eadem salvati sint gratia. » Quibus ista respondent quae [4]) inferius subdit: « Benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui. Cuius profecto in Spiritu longe odorem trahens pater Isaac benedicebat filium, in quo caelestis omnis benedictio mundo effloruit. Et bene ab eo plenus ager dicitur, quia plena gratia virtutum virgo Maria pronunciatur, de cuius utero credentibus fructus vitae effulsit. »

545. Hinc [a]) Modestus de Virgine scribit: « Et ex omni ratio-

a) Encom. in Deiparam pagg. 11-13. Καὶ ἐκ πάσης λογικῆς καὶ νοερᾶς κτίσεως ἐκλεξάμενον γενέσθαι παναγίαν μητέρα αὐτοῦ, καὶ ὑπερτέραν τοῦ παντὸς χαριτώσαντα αὐτήν· ᾧ προσβλέψαι οὐ τολμῶσιν, ἢ ἀτενίσαι οὐ φέρουσι τὰ Χερουβὶμ, καὶ προσκυνοῦσι σὺν τῷ παναγίῳ αὐτοῦ πατρὶ καὶ πνεύματι, ἀπαύστως βοῶσαι· ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος κύριος Σαβαώθ· τὸν δι' αὐτῆς καὶ τὴν κτίσιν ἐκ δουλείας ἐλευθερώσαντα, καὶ τὴν μεγίστην παγκόσμιον χαρὰν δράσαντα, καὶ φήσαντα ταῖς ἄνω δυνάμεσι, συγχάρητέ μοι· δι' αὐτῆς γὰρ

1) « Sanctus etiam Proclus, inquit Maraccius in subiectis illustrationibus pag. 196., in Laudat. sacrosanctae Dei genitricis Deiparam nominat *thesaurum impollutum virginitatis*, vel *thesaurum purum illibatae virginitatis*. Nec dissentit Andreas cretensis in Orat 1. de Dormitione, dum eamdem appellat *thesaurum incorruptionis intellectum superantis*. Extat quoque apud Iohannem Buteonem Antonianum hymnus graecus, in quo beata Virgo ut *thesaurus puritatis* celebratur. »

2) Orat. in Deiparae assumpt. col. 100. E. inter opp. Hieronymi T. XI.

3) Gen. XXVII. 27.

4) Ibid. col. 102. B-C.

nali et intelligenti creatura illam elegit in sanctissimam matrem suam, eamque sua plenam gratia supra mundum omnem sustulit: in quem respicere aut oculos intendere non sustinent Cherubim, eumque cum sanctissimo eius Patre et Spiritu adorant et incessanter clamant, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Sabaoth. Qui per eam creatura in libertatem asserta maximam mundo laetitiam attulit, supernisque Potestatibus [1]) dixit, *congratulamini mihi:* per ipsam enim inventa est humana drachma, et bonus pastor ovis pellem induit, et errabundam rationalem ovem sublatam in humeros gaudens Dominus virtutum servavit, qui ex Maria caro factus est immutabiliter, eamque sanctificavit ut esset ager quo Deus exciperetur, in quo Deus et Pater secundum suum beneplacitum fuit agricola, et plantator Spiritus sanctus, unde Christus unigenitus eius filius veluti fructus exortus est, vera vitis in gaudium sanctarum caelestium Potestatum et salutem terrestrium hominum; ait enim [2]) in Evangeliis: *ego sum vitis vera et Pater meus agricola est.* » Et [a]) paullo inferius non modo Deipara a Modesto dicitur *sola inter mulieres benedicta Virgo mater,* verum etiam de ipsa [b]) additur: « Sed ut semper florens virga Iesse progerminavit in carne divinum germen Patris. Designavit enim electum ex omni terra [3]) arvum suum Dominus virtutum, qui ex ea, tamquam non sata spica, germinavit. »

546. Nolo tandem ea seponere quae huc pertinentia docent Pro-

εὕρηται ἡ βροτογενὴς δραχμὴ, καὶ ὑπέδυ τὴν τοῦ προβάτου δορὰν ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς, καὶ ἔσωσε τὸ πεπλανημένον λογικὸν πρόβατον, ἄρας ἐπ' ὤμων, εὐφραινόμενος κύριος τῶν δυνάμεων, ὁ ἐξ αὐτῆς σὰρξ γενόμενος ἀτρέπτως, καὶ ἁγιάσας αὐτὴν εἶναι θεοδόχον χωρίον, ἐν ᾧ ὁ θεὸς καὶ πατὴρ κατ' εὐδοκίαν γέγονε γεωργὸς, καὶ φυτουργὸς τὸ πανάγιον πνεῦμα· ἐξ οὗπερ Χριστὸς ὁ μονογενὴς υἱὸς αὐτοῦ ἐκαρποφορήθη ἄμπελος ἀληθινὴ εἰς εὐφροσύνην οὐρανίων ἁγίων δυνάμεων, καὶ σωτηρίαν ἐπιγείων βροτῶν, φάσκων ἐν εὐαγγελίοις· ἐγώ εἰμι ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινὴ, καὶ ὁ πατήρ μου ὁ γεωργός ἐστι.

a) Ibid. pag. 15. Ἡ μόνη ἐν γυναιξὶν εὐλογημένη παρθενομήτωρ.

b) Ibid. pagg. 15-17. Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ὡς ἀειθαλὴς ῥάβδος Ἰεσσαὶ προσανεβλάστησεν ἐν σαρκὶ θεόφυτον ὄντα τοῦ πατρός· προσκέκληκε γὰρ κύριος τῶν δυνάμεων τὴν ὑπὲρ πάσης γῆς ἐκλεκτὴν αὐτοῦ ἄρουραν, ὁ ἐξ αὐτῆς ὥσπερ ἄσπορος στάχυς βλαστηθείς.

1) Luc. XV. 9.

2) Ioh. XV. 1.

3) Cyrillus alexandrinus Encom. in Deiparam pag. 380. opp. T. V. Par. II. Χαίροις Μαρία, ἡ τὸν στάχυν ἄνευ ἀρότρου καὶ σπέρματος βλαστήσασα τὸν ἀμαράντινον. *Salve Maria, quae spicam sine aratro et semine immarcescibilem protulisti.* Ἡ ἀγεώργητος χώρα, ἡ τὸν λόγον ὡς κόκκον σίτου δεξαμένη, καὶ τὸ δράγμα βλαστήσασα, ἡ νοερὰ κλίβανος, ἡ τὸ πῦρ καὶ τὸν ἄρτον τῆς ζωῆς ἔχουσα. *Ipsa est ager minime cultus, quae Verbum veluti granum frumenti suscipiens etiam manipulum germinavit: ipsa clibanus spiritalis quae ignem et vitae panem habet.* Neque ab his diversa sunt quae Matthaeus cantacuzenus scribit in Cant. II. 7. pag. 15.

clus constantinopolitanus et Iosephus hymnographus. Ille enim quodam veluti stupore [a]) perculsus exclamat: « O uterum, in quo communis hominum libertatis libellus compositus est! o ventrem in quo adversus diabolum fabrefacta sunt arma! o arvum, in quo naturae ipse colonus sine semine spicam edidit! » Iosephus vero [b]) sic habet: « Dei filius illi coaeternus habuit te, o Virgo, tamquam caussam qua similis factus est nobis, quum te solam, o inviolata, super omnem creaturam invenisset puram; unde omnes generationes te laudamus et beatam appellamus.

Qui superius in caelo est angelis invisibilis, inferius in terra natus ex te, o inviolata, ab omnibus conspicitur perfectus homo perditum mundum recuperaturus.

Qui habitat in luce, in sancto utero tuo habitavit, o innocens, ut mundum in tenebris ignorantiae pereuntem recuperaret: eumdem deprecare ut omnes te laudantes illuminet.

Quum creaturarum conditor naturae leges innovasset, o Domina inviolata, ex te ineffabili modo natus est, et me propter immensam misericordiam suam deificavit.

a) Orat. I. de Deiparae laudibus §. III. pag. 615. D. apud Gallandium T. IX. Ὦ γαστὴρ, ἐν ᾗ τὸ τῆς ἐλευθερίας ἡμῶν γραμματεῖον συνετάγη· ὦ κοιλία, ἐν ᾗ τὸ κατὰ τοῦ διαβόλου ὅπλον ἐχαλκεύθη· ὦ ἄρουρα, ἐν ᾗ ὁ τῆς φύσεως γεωργὸς τὸν ἄσταχυν ἀσπόρως ἐβλάστησεν. Ubi ἐβλάστησεν significatione activa manifeste usurpatur.

b) Men. die XVII. Martii Ode α'. pag. 73. col. 2. C. Ὁ θεοῦ συνάναρχος υἱὸς ἔσχεν ὡς αἰτίαν σε τῆς πρὸς ἡμᾶς, παρθένε, ὁμοιώσεως, μόνην ὑπὲρ ἅπασαν κτίσιν, ἄχραντε, καθαράν σε εὑράμενος· ὅθεν σε ὑμνοῦμεν πᾶσαι γενεαὶ καὶ μακαρίζομεν.

Ode γ'. pag. 74. col. 1. A. Ὁ ἄνω ἀθεώρητος τοῖς ἀγγέλοις, ἄχραντε, κάτω ἐκ σοῦ γενόμενος, καθορᾶται τέλειος ἄνθρωπος ἀπολλύμενον κόσμον ἀνακτώμενος.

Ode ε'. pag. 74. col. 2. D. Ὁ φῶς κατοικῶν, τὴν ἁγίαν ᾤκησε νηδύν σου, ἁγνὴ, κόσμον ἀπολλύμενον σκότει ἀγνωσίας ἀνακτώμενος· ὃν ἱκέτευε πάντας φωτίσαι τοὺς ὑμνοῦντάς σε.

Ode ϛ'. pag. 75. col. 1. A-B. Νόμους φύσεως, ἄχραντε δέσποινα, ὁ δημιουργὸς καινουργήσας τῆς κτίσεως, ἐκ σοῦ ἀῤῥήτως τίκτεται, καὶ θεοῖ με δι' ἄμετρον ἔλεος.

Ode ζ'. pag. 76. col. 1. B. Μεγάλου διάκονος σὺ μυστηρίου ἐγένου, παναμώμε· θεὸν γὰρ ἐσωμάτωσας, μεγάλων κακῶν ἡμᾶς ἀπολυτρούμενον τούς σε μεγαλύνοντας, ἁγνὴ, εὐλογημένη, θεοχαρίτωτε.

Ode η'. pag. 76. col. 1. D. Ῥεύσαντες ἡμᾶς τῇ πάλαι παραβάσει ἀνακαινίζων ὁ φιλάνθρωπος, ἀῤῥεύστως σεσάρκωται ἐξ ἀφθόρου σου, παναμώμε, νηδύος, καὶ ἐῤῥύσατο ἅπαντας ἁμαρτίας καταφθορᾶς, παναμώμητε.

Ode θ'. pag. 76. col. 2. B-C. Φωνήν σοι προσάγομεν τοῦ Γαβριὴλ γηθόμενοι, χαῖρε λέγοντες χώρα ἡ ἀγεώργητος· χαῖρε τῆς κατάρας ἡ λύσις· χαῖρε πηγὴ ὕδατος τοῦ ζῶντος, ὁσίων τὸ καύχημα, θεοτόκε ἀειπάρθενε.

Magni mysterii administra facta es tu, o immaculatissima; Deum enim corporasti qui a magnis malis redemit nos qui te magnificamus, o innocens, benedicta, Deo gratissima.

Nos qui propter antiquam transgressionem defluxeramus in corruptionem, amator hominum renovaturus, incorruptibiliter incarnatus est ex impolluto utero tuo, o purissima, atque omnes a peccati corruptione liberavit, o immunis [1]) ab omni macula.

Ad te Gabrielis vocibus laetabundi clamamus dicentes: salve o ager inarate, salve o maledictionis solutio, salve o fons aquae vivae, salve gloriatio sanctorum, Deipara semper virgo. »

547. Cum his autem egregie ista conspirant quae alibi [a]) Iosephus scribit: « Tamquam regis thronum, in quo quum ille sedisset, te, o Virgo, caelestem sedem fidelibus praeparavit, veneramur et cum affectu beatam praedicamus.

a) Men. die XVIII. Maii Ode α'. pag. 71. col. 2. C. Ὡς θρόνον σε, παρθένε, τοῦ βασιλέως, ἐν ᾧ καθίσας, τοῖς πιστοῖς καθέδραν οὐράνιον ἡτοίμασε, γεραίρομεν καὶ πόθῳ μακαρίζομεν.

Ode γ'. pag. 71. col. 2. D. Μόνη παρθενεύεις τίκτουσα, μόνη μυστηρίου μεγίστου ὄντως διάκονος ἐγνωρίσθης θεὸν τεκοῦσα, θεοτόκε μητροπάρθενε.

Ode δ'. pag. 72. col. 1. A-B. Ὑπερύμνητε παρθένε θεοκυῆτορ, τοὺς ὑμνητάς σου σῶζε ἐπὶ σοὶ πεποιθότας πάσης περιστάσεως κινδύνων καὶ θλίψεων.

Ode ε'. pag. 72. col. 1. C. Νύμφη Χριστοῦ ἀνύμφευτε, δι' ἧς τοῦ παλαιοῦ λυθέντες χρέους, υἱοὶ κατὰ χάριν ὤφθημεν πατρὸς ἐπουρανίου, τοὺς ὑμνοῦντάς σε φύλαττε.

Ode ς'. pag. 72. col. 1. E. Ὡς ἄρουρα καρποφόρος τὸν στάχυν ἐβλάστησας, θεοτόκε, τῆς ζωῆς τοὺς πιστοὺς διατρέφοντα, καὶ λιμὸν τῆς πλάνης ἐκ τῆς γῆς ἀληθῶς ἀναστέλλοντα.

Ode ζ'. pag. 72. col. 2. E. Τὴν κιβωτὸν τοῦ θεοῦ, τοῦ θείου μάννα στάμνον, χρυσῆν λυχνίαν τε καὶ τράπεζαν, τὸ ὄρος τὸ ἅγιον, τὴν θεοτόκον πάντες πιστῶς ὑμνολογοῦμεν.

Ode η'. pag. 73. col. 1. B. Νοητὸν ἱλαστήριον πέφυκας τὰς ἁπάντων δεήσεις δεχόμενον, καὶ τῷ υἱῷ σου, πάναγνε, ἀναφέρον εἰς λύτρον τῶν μελῳδούντων· εὐλογεῖτε τὰ ἔργα τὸν κύριον.

Ode θ'. pag. 73. col. 1. E. Φωνήν σοι πιστοὶ περιχαρῶς προσφέρομεν τοῦ ἀγγέλου, θεονύμφευτε· χαῖρε βοήθεια ἀνθρώπων, μαρτύρων, ἀποστόλων κραταίωμα, καὶ πάντων προφητῶν περιήχημα, θεογεννῆτορ παναμώμητε.

1) Heic ego potestati vocis non insistam, neque ex ea inferendo concludam, censeri Virginem non posse originali culpa obstrictam. Duo tantum animadvertam quae movere non minimum debent. Principio itaque animadverto, Deiparam, utpote *immunem ab omni culpa*, reliquo opponi hominum generi quod peccati corruptio pervasit: deinde autem animadverto non modo Deiparam dici *immunem ab omni culpa*, sed praeterea uti eam celebrari, *quam Deus solam super omnem creaturam invenerit puram*. Atqui neque ea oppositio sibi constaret, si originale contagium ipsam quoque Deiparam infecisset; neque Deipara vere celebraretur ut quae sola super omnem creaturam pura reperta fuerit, si et ipsa in originales sordes incidisset.

Sola virgo manens paris, sola mysterii maximi vere administra innotuisti quum Deum peperisti, o Deipara mater virgo.

O Virgo Dei genitrix, omni laude potior, serva laudatores tuos in te confidentes ab omni circumstanti periculo et tribulatione.

Sponsa Christi thori nescia, per quam ab antiquo debito liberati, filii secundum gratiam facti sumus caelestis patris, custodi eos qui te collaudant

Tamquam fecundus ager protulisti, o Deipara, spicam vitae, a qua fideles nutriuntur errorisque fames e terra vere depellitur.

Arcam Dei, urnam mannae divini, aureum candelabrum atque mensam, montem sanctum, Deiparam omnes fideliter extollimus.

Spiritale propitiatorium facta es, a quo omnium preces suscipiuntur, quas, o innocentissima, Filio tuo offers in pretium redemptionis eorum qui canunt: benedicite opera Dominum.

Tibi, o Dei sponsa, vocem Angeli nos fideles laeti offerimus: salve hominum auxilium, martyrum et apostolorum robur, omniumque prophetarum sonitus, o Dei genitrix immaculatissima. »

548. Integritati itaque corporis, qua Deipara sic fuit mater ut virgo permanserit, perfectissime respondit integritas animi, qua sic fuit Adami filia, ut profectam ex eo culpam non contraxerit. Quemadmodum enim ad corpus quod attinet, ager fuit inaratus, arvumque soli Deo patens atque hominibus prorsus omnibus semper impervium; ita ad animum quod spectat, ea fuit *sanctissima, sanctior sanctis, excelsior caelis, honoratior Seraphim, venerabilior omni creatura, thesaurus integritatis, plena gratia virtutum, constans ex auro puro, immaculatissima, omnis expers labis, una inter omnes electa, una inter omnes benedicta, una semper florens et caelitus sanctificata ut Dei agrum decebat, atque una per quam iactum fuit remissionis fundamentum, restituta libertas, collatum adoptionis donum, parta de peccato victoria et satanas debellatus.*

549. Quibus postremo loco e re fore autumo illa subiicere a maioribus nostris tum tradita, quum ipsi vim rationemque enarrant *forcipis* ab Isaia [f]) conspecti, quo veluti symbolo praesignatam fuisse Deiparam arbitrantur. Itaque [a]) Ephraemus postquam de Virgine

a) Orat. ad Deiparam pag. 528. F. et 529. A-B. opp. graec. T. III. Γέφυρα κόσμου παντὸς πρὸς τὸν ὑπερκόσμιον οὐρανὸν ἡμᾶς ἀνάγουσα, ὑπερτέρα καὶ ὑπερενδοξοτέρα Χερουβὶμ

f) Is. VI. 6

loquens scripsit, tu es *pons mundi totius ad altissimum caelum nos ducens, Cherubim et Seraphim sine ulla comparatione superior ac longe gloriosior, angelorum splendor, hominum tutela, clavis in caelum nos introducens, plenitudo gratiarum Trinitatis, velut secundas partes post divinitatem sortita;* mox [a]) pergit: « Tu locus luce repletus, e quo salutis radii universo mundo illuxerunt: porta Ezechielis ad orientem respiciens, tremendae dispensationis magnificentia, speciosum divinae demissionis hospitium, mundi reconciliatio, nostrum propitiatorium et refugium, donum bonorum omnium exoptatissimum, forceps ignifera quam Isaias conspexit. »

55o. Neque secus [b]) Andreas cretensis qui Archangeli vocibus Deiparam salutans inquit: « Ave gratia plena, Dominus tecum. Ille qui dixit, *fiat lux, fiat firmamentum*, et reliqua deinceps omnia creantis magnificentiae eius opera. Ave sis incomprehensibilis gaudii parens: ave sis nova gloriae arca: ave sis seraphica forceps carbonis mystici. » Ad quod symbolum respiciens Leo Augustus [c]) sic habet: « Olim sane ostensa sunt prophetae oculis earum rerum symbola quae iam geruntur. Forceps et carbo aenigma erant, illa quidem complectens, hic vero Prophetae labia contingens propheti-

καὶ Σεραφὶμ ἀσυγκρίτως, ἀγγέλων ἀγλάϊσμα, ἀνθρώπων διάσωσμα, κλεῖς εἰς τὸν οὐρανὸν ἡμᾶς ἡ ἀνάγουσα, τριαδικῶν χαρίτων πλήρωμα, ὡς τὰ δεύτερα τῆς θεότητος φέρουσα.

a) Ibid. pag. 530. B-C. Φωτοδόχον χωρίον, ἐξ οὗ σωτηρίας ἀκτῖνες τῇ οἰκουμένῃ ἐπέλαμψαν· πύλη κατ᾽ ἀνατολὰς βλέπουσα τοῦ Ἰεζεκιὴλ, τὸ μεγαλεῖον τῆς φρικτῆς οἰκονομίας, τὸ περικαλλὲς τῆς θείας συγκαταβάσεως ἐνδιαίτημα, τὸ τοῦ κόσμου διαλλακτήριον, τὸ ἡμέτερον ἱλαστήριον καὶ προσφύγιον, τὸ πάντων τῶν καλῶν εὐκταιότατον δώρημα, φλογοφόρε λαβὴ, ἣν Ἡσαΐας ἑώρακεν.

b) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 102. D-E. apud Gallandium T. XII. Χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ κύριος μετά σου· ὁ εἰπών· γενηθήτω φῶς· γενηθήτω στερέωμα, καὶ τὰ καθεξῆς ἅπαντα τῆς αὐτοῦ δημιουργικῆς μεγαλειότητος ἔργα· χαίροις τῆς ἀκαταλήπτου χαρᾶς γεννήτρια· χαίροις ἡ νέα τῆς δόξης κιβωτός· χαίροις ἡ σεραφικὴ τοῦ μυστικοῦ ἄνθρακος λαβίς.

c) Orat. in dominic. praesent. pag. 1652. A-C. apud Combefisium Auctar. Tom. I. Πάλαι μὲν οὖν σύμβολα, ὄψει προφητικῇ ἐδείκνυε τὰ γινόμενα· λαβὶς ἦν καὶ ἄνθραξ τὸ αἴνιγμα· ἡ μὲν περιέχουσα· ὁ δὲ τῶν ὑποφητικῶν ψαύων χειλέων, καὶ τὴν προφητικὴν ἐκπυρρινίζων ἐπίπνοιαν· ταῦτα δὲ ἄρα ἦν τὰ νῦν πράγματα, τὰ πάλαι αἰνίγματα· ἡ γαλουχοῦσα καὶ παρθενεύουσα· ὁ ἀπρόσιτος καὶ κρατούμενος· κόρη κρατοῦσα καθάπερ λαβὶς τὸν ἄνθρακα τῆς θεότητος, οὗ καὶ χεῖρες τοῦ ἱερέως ἁγιάζονται ψαύουσαι, καὶ στόμα πληροῦται ὑποφητείας τοῦ πνεύματος· ἀγκάλαι περιέπουσαι ὑλικαὶ, ὃν ὁρᾷν οὐ τολμῶσιν ἄϋλοι ὀφθαλμοί· ὃς τὸ ἡμέτερον ἔνυλον, περὶ τῆς ἑαυτοῦ ἑνώσεως οὐσίας, τὸ οἰκεῖον ἄστεκτον, τῷ ἡμετέρῳ ὑλώδει βεβαστάχθαι ποιεῖ.

cumque afflatum accendens. Itaque quae nunc sunt in facto posita, aenigmata tunc erant: nempe lacte nutriens et virgo manens, inaccessus et qui nihilominus teneatur. Puella forcipis instar carbonem deitatis tenens, cuius tactu manus etiam sacerdotis consecrentur, osque prophetico spiritu repleatur: ulnae corporeae illum amplectentes quem intueri non audent immateriales oculi. Qui materialem nostram molem essentiae suae uniens facit, ut sua intoleranda maiestas in materiali nostro corpore portetur. » Et [a]) rursum: « Clamemus voce non indigna, te penitus immaculatam magnifice efferimus, per quam magnificus opifex maximum suorum operum summeque horrendum perfecit, quae continentem omnia sinu continueris, ex cuius uberibus altus sit qui universis e terra quo alantur producit, quae una inter mulieres sis benedicta, universoque generi benedictionem comparaveris, invisamque progenitorum hereditatem a nobis abstuleris. Te antiqua aenigmata praesignabant matrem partus felicitate praecipuam: nempe thronus et [t]) forceps domusque plena gloriae, et si qua eiusmodi videntes quidem oculi, umbram tamen hactenus obtuentes, tua mysteria contemplabantur. Nunc autem praesens ipsa clare ostendis, commutatis quae umbrarum erant in eam claritatem quam gratia habet. Nunc te perspicue cherubicum thronum, immo illo augustiorem videmus. Nunc te forcipem ignem ferentem docemur, et plenum sanctitatis templum. Dominus enim velut in throno in te requievit, eumque forcipis instar complexa es qui maiestate importabilis exsistit, et domo fuit contentus qui nus-

a) Ibid. pag. 1653. E. et 1656. A-C. Μεγαλύνομέν σε τὴν πανάμωμον, φθόγγῳ μὴ ἀναξίῳ βοήσωμεν, δι' ἧς ὁ μεγαλουργὸς τὸ μεῖζον τῶν ἔργων αὐτοῦ καὶ φρικτὸν ἐτελέσατο· ἡ συνέσχες ἐν κόλποις τὸν συνοχέα· ἧς διετράφη μαζῶν, ὁ πᾶσιν ἐκ γῆς ἀναβλαστάνων τροφήν· ἡ μόνη ἐν γυναιξὶν εὐλογημένη, καὶ τὴν εὐλογίαν τῷ γένει κληροδοτήσασα, τῆς στυγηρᾶς τῶν προγόνων κληρονομίας διά σου ἀφ' ἡμῶν ἀρθείσης· αἰνίγματά σε παλαιὰ, τὴν εὐώδινα προϊστορεῖ μητέρα· θρόνος καὶ λαβίς· καὶ οἶκος πλήρης δόξης· καὶ ὅσα ἄλλα, ὀφθαλμοὶ ὁρῶντες μὲν, τέως δὲ σκιὰν ὁρῶντες, σοῦ ἐθεῶντο μυστήρια· νῦν δὲ τρανῶς ἐμφανίζῃ αὐτὴ παριοῦσα, τῶν σκιωδῶν ἀμειφθὲν πρὸς τὴν ἐν χάριτι τρανότητα· νῦν σε τηλαυγῶς τὸν Χερουβικόν· μᾶλλον δὲ, τιμιώτερον θρόνον ὁρῶμεν· νῦν σε τὴν πυρφόρον λαβίδα καταμανθάνομεν, καὶ τὸ πλῆρες τοῦ ἁγιάσματος τέμενος· ὡς γὰρ θρόνῳ ἐν σοὶ ὁ δεσπότης ἀνεπαύσατο, καὶ ὡς λαβίδι περιεσχέθη ὁ ἄστεκτος· καὶ οἴκῳ κεχώρηται ὁ μηδαμοῦ χωρητός· μακαρία μόνη ἐν γυναιξὶν ἀληθῶς, καὶ μεταδοῦσα τῆς σῆς εὐκληρίας ἡμῖν καὶ μακαριότητος.

t) Similem huius typi illustrationem habet pag. 735. apud Mai in Spicileg. rom. T. IX. Iohannes damascenus canone in s. Blasium Ode. γ'.

quam potest capi. Sola tu vere benedicta inter mulieres, et quae nos gloriae tuae ac felicitatis participes reddideris. » Alibi vero [a]) Deiparam ita compellat: « Ave [1]) virga, ex qua quum vitalis flos ceu benedictio effloruisset, mox maledictio interitus effectrix interiit. Ave forceps carbonem illum importabilem complexa, qua a peccati sordibus labiorum contactu emundamur. »

551. Cum his autem belle consentiunt quae Iosephus passim inculcat. Illi namque [b]) ista debemus: « Sublimior angelis apparuisti magni consilii Angelum enixa, o innocens Deipara, cui omnes modulantes canimus: benedictus es Domine Deus in secula.

Tu, o Dei sponsa, quae veluti forceps caelestem carbonem portasti, fruticosas cordis mei passiones combure, et ab igne gehennae me, quaeso, libera ut te glorificem spem fidelium, o penitus immaculata. » Is est [c]) qui scribit: « Ubi Symeon vidit te spiritalem forcipem ferentem divinum illum carbonem, qui ex sanguinibus tuis corpus ineffabiliter accepit, cum gaudio te beatificavit, o immaculatissima.

Qui manu fert universa, in manu perpetuae Virginis gestatus eamdem effecit Cherubim atque Seraphim sublimiorem, tamquam genitricem suam, quam laudemus et pie extollamus.

a) Orat. in Deiparae dormit. pag. 1741. E. et 1744. A. Χαῖρε ῥάβδος, ἐξ ἧς τοῦ ζωηροῦ ἄνθους τῆς εὐλογίας ἐξανθηκότος, ἡ φθοροποιὸς ἀπεφθάρη κατάρα· χαῖρε, ἡ τὸν ἄστεκτον ἄνθρακα περίσχουσα λαβίς, δι' οὗ τῆς ῥυπαρᾶς ἁμαρτίας, ἐν τῇ χειλέων προσψαύσει ἐκκαθαιρόμεθα.

b) Men. die XXI. Ianuarii Ode ζ'. pag. 165. col. 2. D. Ὤφθης ἀγγέλων ὑπερτέρα βουλῆς ἄγγελον μεγάλης τετοκυῖα, θεοτόκε ἁγνή, ᾧ πάντες μελῳδοῦμεν· εὐλογητὸς εἶ κύριε ὁ Θεὸς εἰς τοὺς αἰῶνας.

Ode θ'. pag. 166. col. 2. D. Φέρουσα οἷάπερ λαβὶς τὸν οὐράνιον, θεόνυμφε, ἄνθρακα, τὰ φρυγανώδη μου καρδίας πάθη καὶ νῦν κατάφλεξον· καὶ τῆς γεέννης τοῦ πυρὸς λύτρωσαί με, δέομαι, ἵνα δοξάζω σε τὴν ἐλπίδα τῶν πιστῶν, παναμώμητε.

c) Men. die III. Februarii Ode γ'. pag. 21. col. 1. D. Νοητὴν λαβίδα σε ἄνθρακα φέρουσαν θεῖον, τὸν ἐκ τῶν σῶν αἱμάτων σωματωθέντα ὑπὲρ νοῦν ὁ Συμεὼν ὡς ἔβλεψε, πανάμωμε, χαίρων ἐμακάριζε.

Ode δ'. pag. 21. col. 2. C. Ὁ χειρὶ τὰ πάντα φέρων, ἐν χερσὶ βασταζόμενος τῆς ἀειπαρθένου, ταύτην Χερουβὶμ ἀπειργάσατο καὶ Σεραφὶμ ἀνωτέραν ὡς γεννήτριαν· ἣν ὑμνήσωμεν καὶ εὐσεβῶς μακαρίσωμεν.

Ode η'. pag. 24. col. 1. B. Ὡς κρίνον, ὡς εὔοσμόν σε ῥόδον, ὡς θεῖον ὀσφράδιον ἐδρέψατο λόγος ὁ ὑπέρθεος; πάναγνε θεόνυμφε, καὶ σου τὴν μήτραν ᾤκησεν εὐωδιάζων ἡμῶν τὴν φύσιν δυσωδίας πλησθεῖσαν τῆς ἐξ ἁμαρτίας, Μαρία θεοτόκε.

1) Num. XVII. 8.

Ceu lilium, ceu rosam suavissimam, ceu divinum olfactorium collegit te divinissimum Verbum, o innocentissima Dei sponsa, tuumque uterum inhabitavit odore suavi naturam nostram plenam faetore peccati, o Maria Deipara. » Is est [a]) qui canit: « Templum Dei facta es o puella immaculata Deipara, qui in te supra cogitationem inhabitavit, et animas hominum ab errore exemit.

O forceps carbonis divini et lucidi, o rube divinitatis igne non combuste, fruticosas omnes passiones meas combure et me ab aeterno igne eripito. » Et is [b]) est cui haec in acceptis referimus: « Novus paradisus in quo vitae lignum situm est, facta es nobis, o inviolata innocens Dei genitrix, cuius esca eos qui per escam ceciderant, novae vitae restituis.

Quum te, o intemerata, nos servi tui tutelam apud Filium tuum et Deum atque mediatricem quae non confunditur, habeamus; libera nos a periculis et tentationibus, ut te, o veneranda, cum fide et affectu semper glorificemus.

Tamquam forceps flammifera suscepisti in utero carbonem spiritalem, qui passiones nostras comburit, animas nostras illuminat, et idololatriae tenebras dissolvit, o Virgo inviolata omnibus laudibus prosequenda. »

552. Quod igitur Deipara *forceps* fuerit *carbonis divini*, quod nimirum *administra* fuerit *operis omnium maximi*, quod *sinu incomprehensibilem comprehenderit*, quod *eum lacte aluerit qui omnes pascit*, quod *ulnis eum gestarit qui omnia portat verbo virtutis suae*,

a) Men. die XX. Februarii Ode α'. pag. 113. col. 1. A. Ναὸς ἐχρημάτισας τοῦ Θεοῦ, ἀμόλυντε κόρη, τοῦ οἰκήσαντος ὑπὲρ νοῦν ἐν σοὶ, θεοτόκε, καὶ τὴν πλάνην ἐκ τῶν ψυχῶν τῶν βροτῶν ἐξοικίσαντος.

Ode γ'. pag. 113. col. 1. D. Ἡ λαβὶς ἡ τοῦ θείου καὶ φωταυγοῦς ἄνθρακος, βάτος ἡ πυρὶ μὴ φλεγχθεῖσα τῷ τῆς θεότητος, τὰ φρυγανώδη μου πάντα κατάφλεξον πάθη, καὶ πυρὸς ἐξάρπασον διαιωνίζοντος.

b) Men. die VIII. Aprilis Ode ζ'. pag. 37. col. 2. A-B. Νέος παράδεισος ἡμῖν ζωῆς ξύλον, ἄχραντε, κεκτημένος γεγένησαι· οὗ ἡ βρῶσις τοὺς βρώσει τεθνηκότας ἀνεζώωσεν, ἁγνὴ θεογεννῆτορ.

Ode η'. pag. 37. col. 2. D. Σὲ προστασίαν ἔχομεν, ἄχραντε, οἱ δοῦλοί σου, καὶ πρὸς τὸν υἱόν σου καὶ Θεὸν μεσίτην ἀκαταίσχυντον· κινδύνων ἡμᾶς σῶζε καὶ πειρασμῶν, σεμνὴ, ἵνα πίστει καὶ πόθῳ ἀεί σε δοξάζωμεν.

Ode θ'. pag. 38. col. 1. C. Φλογοφόρος ὡς λαβὶς ὑπεδέξω ἐν γαστρὶ ἄνθρακα τὸν νοητὸν, καταφλέγοντα ἡμῶν τὰ πάθη, καὶ φωτίζοντα τὰς ψυχὰς ἡμῶν, καὶ λύοντα τὸ σκότος τῆς εἰδωλομανίας, ἄχραντε παρθένε πολυΰμνητε.

quod *pons* exstiterit *per quem ad caelum transvehimur*, quod *clavis per quam paterna domus aperitur*, quod *eam gentes veluti salutem expectarint, quemadmodum eius Filius earumdem fuit desiderium atque exspectatio*, et quod *tamquam mediatrix universum genus a maledicto exemerit, illique supernam benedictionem conciliarit:* in caussa id totum fuit, cur nullum ipsa contraheret naevum, sed pro stato providentiae ordine haud secus appareret ac ut *immaculata, immaculatissima, nullius culpae consors, templum sanctitate plenum, plenitudo gratiae Trinitatis, sola inter mulieres benedicta, thronus cherubico augustior, angelis purior atque splendidior et undequaque suave olens quum universa Adami posteritas putore culpae foeteret.*

CAPUT IV.

De symbolis ex earum sumptis genere rerum quae originali puritate nituerunt quaeque numquam fuerunt maledicto obnoxiae: recensentur eiusmodi symbola et maiorum commentariis explanantur: asseritur Deiparae praerogativa qua nullas umquam contraxit peccati labes: et universa argumentatio ex typis symbolisque deducta examini subiicitur eiusque ratio probandique robur aperitur et vindicatur.

553. Quum rerum naturis ita flagitantibus, eiusmodi sit habitus typum inter ac rem typo praesignatam, ut haec excellentiam nobilitatemque praeseferat imagine atque adumbratione potiorem; quisque nullo negotio deprehendit fas minime esse, typis symbolisque rei depravatae atque maledicto obnoxiae ea accensere quae originali puritate nituerint, quae nullam tulerint contagii maculam, quaeque divinam exsecrationem numquam subierint. Iamvero haec inter sua dignitate suoque merito excellunt hinc quidem *consitus a Deo paradisus, et terra illa immaculata* e qua Deus protoparentis corpus effinxit; inde vero tam *lignum vitae* quam *caelum,* de quo nuspiam scriptum legimus quod [1]) his verbis de terra commemoratur: *maledicta terra in opere tuo, spinas et tribulos germinabit tibi.* Nisi ergo patres doctoresque christiani veluti certam exploratamque

1) Gen. III. 17-18.

habuissent eam Deiparae praerogativam, qua illam ab omni naevo immunem solutamque profitemur; sicuti numquam eo devenissent ut pro explicanda eiusdem integritate atque innocentia symbolis *paradisi, terrae primigeniae, ligni vitae, caelique abuterentur:* ita longe minus integrum sibi esse existimassent, innocentiam puritatemque Deiparae illi anteponere qua caelum nitet, et qua paradisus, primigenia terra, lignumque vitae commendabantur. Nihilominus quae continuo dabimus, ad evidentiam usque ostendent, principio quidem nullum esse ex commemoratis symbolis quod patres neglexerint, deinde vero nihil ab iisdem fuisse praetermissum, quo Deiparae innocentiam multo umbris omnibus praestantiorem demonstrarent.

ARTICULUS I.

De paradisi symbolo: cuiusmodi sint apud patres scriptoresque ecclesiasticos eiusdem commentarii: et quam perspicue cum iis praerogativa originalis innocentiae qua Deipara splenduit, conserta appareat.

554. Celebrat Theophanes natalem Deiparae diem, atque ut natae puellae excellentiam dignitatemque [a]) patefaciat, ait: « Ecce sanctus Dei locus manifeste demonstratus, gloriosissima regis civitas aedificata et lucidus paradisus splendide emicavit. » Simillimas usurpat formulas non uno in loco Iosephus. Nunc enim [b]) scribit. « Manifestatus a Deo paradisus apparuisti, o illibata Deipara, medium habens lignum vitae Dominum, e quo edentes nullatenus deinceps morimur, sed vitam meliorem per te vivimus omnes crucis arma circumferentes, et apostatam tyrannum superantes, teque, o Virgo, laudantes. » Nunc [c]) subdit: « Gaude mundi expiatio, gaude mortis solutio, gaude paradisus vitam ferens, gaude divinum habitacu-

a) Antholog. die VII. Septembris Ode θ'. pag. 18. col. 2. A. Ἴδε τοῦ Θεοῦ ὁ τόπος ἅγιος προφανῶς δέδεικται· πόλις ἡ περίδοξος τοῦ βασιλέως ἀνῳκοδόμηται· ὁ φωταυγὴς παράδεισος φαιδρῶς ἐξήνθησε.

b) Men. die XXX. Octobris Ode θ'. pag. 182. col. 1. D. Θεοφανὴς παράδεισος ὤφθης ἔχουσα μέσον ξύλον ζωῆς τὸν κύριον, ἄχραντε Θεοτόκε, ἐξ οὗ φαγόντες οὐκ ἔτι ἀποθνήσκομεν ὅλως, ἀλλὰ ζωὴν ἀμείνονα διά σου ζῶμεν πάντες τὸ τοῦ σταυροῦ ὅπλον περιφέροντες, καὶ νικῶντες τὸν ἀποστάτην τύραννον, σὲ ὑμνοῦντες, παρθένε.

c) Men. die XXII. Ianuarii ad vesp. pag. 182. col. 2. B. Χαῖρε κόσμου καθάρσιον·

lum et mons sanctus. » Nunc vero [a]) ait: « Divinum Dei templum laudemus, sanctam Virginem omnes claris vocibus beatificemus, qui per illam deificati sumus et a gravissimis malis liberati.

Benedicimus te, immaculatissima, quae benedictum Dominum peperisti qui divinis benedictionibus coronavit naturam hominum maledictam, et nos qui ad corruptionis vetustatem redacti eramus, renovavit.

Voces in gratiarum actionem claras et manifestas Dei matri extollamus et clamemus: ave throne Dei altissime: ave nubes lucis: ave paradise, per quam paradiso deliciarum digni effecti sumus. »

555. Cum his autem praeclare ista congruunt [b]) ex officio elevationis panis: « In te, o gratia plena, laetatur omnis creatura, angelorum coetus et hominum genus, o sanctum templum et rationalis paradise, virgineum decus, e qua Deus ante secula exsistens, Deus noster incarnatus est et puer factus: tuum namque uterum sibi effecit thronum, sinumque tuum caelis reddidit capaciorem. In te, o gratia plena, laetatur omnis creatura, gloria tibi. » Atque ista pariter egregie congruunt quae Armeniorum Ecclesia [1]) frequentat: « Tu gloria virginitatis hominum, tu laetitia angelorum, tu tollens maledictionem. Ideo te, Deipara, magnificamus. O admirabilis flos, qui ex Eden dedisti odorem immortalitatis filiis Evae, ex qua diffusa est mors per universum. » Quare in Pentecostario Deipara

ἡ τοῦ θανάτου χαῖρε κατάλυσις· ὁ ζωηφόρος χαῖρε παράδεισος· χαῖρε θεῖον ἐνδιαίτημα καὶ ὄρος ἅγιον.

a) Antholog. die XXVI. Ode δ'. pag. 61. col. 2. C. Τὸ θεῖον τέμενος θεοῦ ὑμνήσωμεν, τὴν ἁγίαν παρθένον περιφανῶς πάντες μακαρίσωμεν, οἱ θεωθέντες δι' αὐτῆς, καὶ δεινῶν ἀπολυτρούμενοι.

Ode ϛ'. pag. 63. col. 1. E. Εὐλογοῦμέν σε, πανάμωμε, κυήσασαν εὐλογημένον κύριον, τὸν εὐλογίαις καταστέψαντα ταῖς θεϊκαῖς ἐπάρατον φύσιν τῶν βροτῶν, καὶ καινουργήσαντα ἡμᾶς παλαιωθέντας φθορᾷ.

Ode θ'. pag. 64. col. 1. D. Φωνὴν προσάξωμεν χαριστήριον τῇ τοῦ θεοῦ μητρὶ περιφανῶς, καὶ βοήσωμεν· χαῖρε θρόνε θεοῦ ὑψηλότατε· χαῖρε φωτὸς νεφέλη· χαῖρε παράδεισε· δι' ἧς παραδείσου τῆς τρυφῆς κατηξιώθημεν.

b) Euchlog. pag. 866. C. Ἐπὶ σοὶ χαίρει, κεχαριτωμένη, πᾶσα ἡ κτίσις, ἀγγέλων τὸ σύστημα, καὶ ἀνθρώπων τὸ γένος, ἡγιασμένε ναὲ καὶ παράδεισε λογικὴ, παρθενικὸν καύχημα, ἐξ ἧς θεὸς ἐσαρκώθη, καὶ παιδίον γέγονεν ὁ πρὸ αἰώνων ὑπάρχων θεὸς ἡμῶν· τὴν γὰρ σὴν μήτραν, θρόνον ἐποίησε, καὶ τὴν σὴν γαστέρα πλατυτέραν οὐρανῶν ἀπειργάσατο· ἐπὶ σοὶ χαίρει, κεχαριτωμένη, πᾶσα ἡ κτίσις, δόξα σοι.

1) Confess. Eccles. Armen. pag. 41.

exhibetur ut quae viam ad paradisum nobis complanarit. His namque verbis [a]) salutatur: « Salve prophetarum signaculum, divinorum apostolorum praedicatio: eum enim qui vere Deus est, super mentem rationemque nobis peperisti: per quem pristinam recuperantes ingenuitatem et paradisi voluptatis participes effecti, te conciliatricem tantae felicitatis hymnis efferimus. »

556. Sin vero ex libris ecclesiasticis ad opera patrum nosmet recipimus, omnium primus occurrit [b]) Germanus de Deipara scribens: « Vide itaque multimodis eam honestatam nominibus, multisque Scripturae locis perspicue declaratam, uti quum verbi gratia illam Scriptura nominat terram, paradisum. » Quae uberius exponit ubi [1]) Deiparam invocans ait: « Ave Dei amoenissimus et rationalis paradisus qui ad orientem voluptatis eius plantaris hodie omnipotentis dextera, ipsique floridum lilium et immarcescibilem proferens rosam; et nobis qui ad occidentem mortis pestilentem ebibimus animisque perniciosam amaritudinem, paradisus in quo floret vitale lignum, quod qui degustant, immortalitatem consequantur. » Ubi autem [2]) verba considerat, quibus Deipara Gabrieli respondit, *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* pergit: « Hoc solum affers? Illud vero maius est quod caelestibus gloria, modestia terrestribus antecellis. Non magna res est, *quia virum non cognosco,* sed quia mens tua supra quam dici et cogitari possit pura et defaecata ad minimam motionis inordinatae minusque convenientis umbram atque vestigium omnes aditus intercludit. Terrestris es paradisus a Deo consitus, et ex quo imperavit Deus Cherubinis, ut quas accepisti a natura leges, ad sanctitatem excolerent, ensemque igneum circa te in orbem rotarent, teque ab omnibus fraudulenti serpentis insidiis tuerentur. *Spiritus sanctus descendet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quando Eva in paradiso versabatur,

a) Pentecostar. pag. 145. col. 1. B. Χαίροις τῶν προφητῶν ἡ σφραγὶς, τῶν θεηγόρων ἀποστόλων τὸ κήρυγμα· θεὸν γὰρ τὸν ὄντως ὄντα σεσαρκωμένον ἡμῖν ὑπὲρ νοῦν καὶ λόγον ἀπεκύησας· δι᾽ οὗ τὴν ἀρχαίαν ἀπολαβόντες εὐγένειαν, καὶ παραδείσου τῆς τρυφῆς ἀπολαύοντες, σὲ τὴν πρόξενον τῆς τοιαύτης λαμπρότητος ὕμνοις καταγεραίρομεν.

b) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1311. C-D. apud Combefisium Auctar. Tom. I. Θεία γὰρ αὐτὴν πολυσήμοις ὀνόμασι καλλυνομένην, καὶ πολλαχοῦ τῆς γραφῆς ἐμφαντικῶς δηλουμένην, ὡς ὅταν φέρει εἰπεῖν γῆν, παράδεισον.

1) Orat. I. Deiparae praesent. edita a Maraccio pag. 52.

2) Orat. 1. in Deipara annunciat. edita a Maraccio pagg. 108-109.

accessit ad illam tortuosus et multiplex spiritus sub sinuosis serpentis voluminibus in illius consuetudinem se insinuans; in te vero Spiritus sanctus rectusque descendet, quandoquidem *recti diligunt te,* ut in Canticis [1]) de te celebratur. » Hinc [a]) alibi animo indulgens et orationis frena laxans inquit: « Quis te non admiretur spem incommutabilem, protectionem immobilem, statum perfugium, semper vigilem intercessionem, perennem salutem, auxilium stabile, patrocinium inconcussum, murum inexpugnabilem, thesaurum voluptatum, paradisum [2]) irreprehensibilem, arcem tutam, vallum undique munitum, validam auxilii turrim, portum tempestate iactatorum, aestuantium tranquillitatem, peccatorum vadem, desperatorum sequestrem, exulum revocationem, pulsorum postliminio reductionem, abalienatorum conciliationem, damnatorum [3]) commendationem, maledictorum benedictionem, rorem squallentis animae, arefactae herbae stillam. Per te enim, inquit [4]) Scriptura, *ossa nostra sicut herba germinabunt :* agni et pastoris matrem, omniumque bonorum manifestissimam conciliatricem. Tua omnia sunt admirabilia. »

557. Atque haec dignissima profecto sunt quae cum iis componantur quibus [b]) Leo sapiens Deiparae primordia demiratus scribit:

a) Orat. in Deiparae dormit. pagg. 1459. D-E. et 1462. A. apud Combefisium Auctar. Tom. I. *Σὲ τίς μὴ θαυμάσει τὴν ἀμετάθετον σκέπην, τὴν ἀμετάστατον καταφυγήν· τὴν ἀκοίμητον πρεσβείαν· τὴν ἀδιάλειπτον σωτηρίαν· τὴν σταθερὰν βοήθειαν· τὴν ἀσάλευτον προστασίαν· τὸ ἀπόρθητον τεῖχος· τὸν θησαυρὸν τῶν ἀπολαύσεων· τὸν ἀνέγκλητον παράδεισον· τὸ ἀσφαλὲς ὀχύρωμα· τὸ κραταιὸν περιχαράκωμα· τὸν ἰσχυρὸν τῆς ἀντιλήψεως πύργον· τὸν λιμένα τῶν χειμαζομένων· τὴν γαλήνην τῶν τεταραγμένων· τὴν τῶν ἁμαρτωλῶν ἐγγυητήν· τὴν τῶν ἀπεγνωσμένων προσαγωγήν· τὴν τῶν ἐξορισθέντων ἀνάληψιν· τὴν τῶν ἐκδιωχθέντων ὑποστροφήν· τὴν τῶν ἀλλοτριωθέντων οἰκείωσιν· τὴν τῶν κατακεκριμένων παράθεσιν· τὴν τῶν κατηραμένων εὐλογίαν· τὴν δρόσον τῆς ψυχικῆς αὐχμηρίας· τὴν σταγόνα τῆς ἐκτακείσης βοτάνης· τὰ γὰρ ὀστᾶ ἡμῶν, ὡς γέγραπται, διὰ σοῦ καθάπερ βοτάνη ἀνατελεῖ· τὴν τοῦ ἀμνοῦ καὶ ποιμένος μητέρα, καὶ πάντων τῶν ἀγαθῶν γνωριζομένην πρόξενον· ὅσα τὰ σὰ, παράδοξα.*

b) Orat. in Deiparae nativit. pagg. 1613. D-E. et 1615. A. apud Combefisium Auctar. Tom. I. *Ὦ σύλληψις καὶ τόκος καὶ βρέφος, δι' ὧν ὁ τῆς ἁμαρτίας ὀλέθριος ὠδὶς ἀπήμβλω,*

1) Cant. I. 3.

2) His respicitur ad primum voluptatis paradisum non penitus *ἀνέγκλητον* neque culpa vacantem: in eo enim atque eius occasione Adam peccavit. Ceterum non desunt codices in quibus Mariam nuncupatam legimus *τὸν ἀνέκλειπτον παράδεισον*, *paradisum indeficientem*, atque idcirco excellentiorem priore, qui brevi defecit.

3) *Παράθεσιν* inquit Combefisius in notis, ad sensum Lucae, *παραθέντες αὐτοὺς Θεῷ*, *commendantes Deo:* qua Mariae commendatione rei iam ac praedamnati absolutionem a Deo iudice et veniam consequantur.

4) Is. LXVI. 14.

« O conceptionem, partumque et infantem, quibus exitiosus peccati partus elanguit et salutis fecunditas innotuit! O infantem, per quam natura quae malitiae ac vitiositatis turpitudine consenuerat, novum induta decorem praeclare exornatur! O infantem, per quam pauperis vitae pannos exuentes, primam illam divinae dignitatis stolam induimus! per quam Deus nobis reconciliatus in incomparabilem paterni amoris necessitudinem inimicitias dissolvit, quas ei facti inimici constitueramus. Te namque Deus ac Pater Unigenito sponsam elegit, proque futurarum arrhabone nuptiarum, ut cognato humano generi reconcilietur, concedit: neque solum inimicitias perimit, condonatque debiti remissionem, et quod contra nos ipsi scripsimus chirographum discindit; verum etiam Unigeniti coheredes facit, illumque ad perferendam nobiscum belli vim mittit, ut pro nobis labores sustineat, hostemque ulciscatur. » Tum [a]) continuo pergit: « Enimvero poenam nunc lue, o malitiae callidus artifex, perfidorum tuorum consiliorum, quibus progenitores meos susurrando perdidisti, immo vero perniciem toti naturae machinatus es. Nec enim a tristitia iam liber abibis, nec subsannatos amplius nos deridebis. Iam enim, iam tibi in maleficum caput quod adversum nos excogitasti maleficium vertitur. Nata est Evae puella, per quam eius quidem instauratur ruina, et maestitia in laetitiam transit: te vero incon-

καὶ τῆς σωτηρίας ἡ πολυγονία ἐγνωρίσθη· ὦ βρέφος, δι᾽ ἧς ἡ καταγηράσασα τῷ αἴσχει τῆς κακίας φύσις, καινὸν ἀλλαξαμένη κάλλος ἐξωραΐσατο· ὦ βρέφος, δι᾽ ἧς τῆς πενιχρᾶς ζωῆς τὰ ῥάκη ἀποδυσάμενοι, τὴν πρώτην στολὴν ἐκείνην τοῦ θείου ἀξιώματος ἐνεδυσάμεθα· δι᾽ ἧς ἡμῖν κατηλλάγη θεὸς, εἰς ἀνείκαστον διαλυθείσης στοργὴν, τῆς ἣν ἡμεῖς ἐκπολεμωθέντες αὐτῷ ἔχθραν συνεστησάμεθα· ἐξελέξατο γάρ σε εἰς νύμφην τῷ μονογενεῖ ὁ θεὸς καὶ πατὴρ, καὶ δίδωσιν ἀντὶ μνήστρων, τὴν πρὸς τὸ συγγενὲς καταλλαγήν· καὶ οὐκ ἀναιρεῖ μόνον τὴν ἔχθραν, οὐδὲ τὴν ἄφεσιν δίδωσι τοῦ ὀφλήματος, οὐδ᾽ ἣν καθ᾽ αὐτῶν ἐχειρογραφήσαμεν διασχίζει γραφήν· ἀλλὰ καὶ συγκληρονόμους τοῦ ἀγαπητοῦ ποιεῖται· καὶ τοῦτον εἰς τὸ καθ᾽ ἡμῶν ἀποστέλλει πόλεμον, συνδιενεγκεῖν ἀνθ᾽ ἡμῶν τοὺς πόνους, καὶ τὸν δυσμενῆ τιμωρήσασθαι.

a) Ibid. pag. 1615. A-C. Ἀλλὰ καθίστασο νῦν σοφιστὰ τῆς κακίας εἰς ποίνην τῶν δολερῶν ἐκείνων σκεμμάτων, οἷς τῇ ψιθυρῷ γλώσσῃ τοὺς ἐμοὺς ἐξειργάσω προπάτορας· μᾶλλον δὲ, δι᾽ ὧν καθ᾽ ὅλης τῆς φύσεως ἐτέχνασω τὸν ὄλεθρον· οὐ γὰρ ἔτι ἀλύπως ἔχων ἀπίοις· οὐδὲ ἐπὶ τῇ χλεύῃ σεμνυνόμενος· ἤδη γὰρ ἤδη σοὶ ἐπὶ τὴν κακομήχανον κεφαλὴν, τὸ καθ᾽ ἡμῶν ἐνσκήπτει κακοῦργον ἐγεννήθη τῇ Εὔᾳ παιδίον, δι᾽ οὗ ἐκείνης ἀνακαλεῖται μὲν ἡ ἧττα, καὶ τὸ σκυθρωπὸν εἰς φαιδρότητα μεταχωρεῖ· σὲ δ᾽ ἀπαράκλητος ἧττα περιστοιχιεῖ, καὶ βαθεῖα στυγνότης· ἐγεωργήθη παράδεισος, ἐξ ἧς ἀναβλαστήσει φυτὸν ἀθάνατον, τὰς κῆρας τοῦ φυτοῦ διαλῦον, οὗ τὴν γεῦσιν προεξένησας· καὶ τὸν ἐξ ἀπάτης παραδοθέντα θανάτῳ, πρὸς ἀθανασίαν ἀνακτώμενον.

solabilis circumstabit casus ac profundus moeror. Plantatus est paradisus, e quo planta germinabit immortalis, plantae illius mala dissipans, cuius tu auctor degustandae fuisti: et restituens immortalitati eum qui per fraudem morti traditus est. » Neque alio ista pertinent quibus fideles ad praedicandas Virginis laudes [a]) hortatur inquiens: « Acclamemus igitur *ave* illi gratia plenae: per te Dominus nobiscum. Et paullulum immutata voce, ave, clamemus, tu quae tamquam lilium in medio confusissimi ac perturbatissimi humanae naturae passionum agri effloruisti, quam ob rem Rex e sua celsitudine citra omne detrimentum descendens cum terrigenis habitavit, quum ex tua suaveolentia sibi domum construxisset. Ave quae caelestem margaritam nobis reclusisti, qua sumus ab avita egestate liberati. Ave per quam ad melioris mundi reparationem humano generi undis obruto, semen salutis conservatum fuit. Ave virga, qua assumpta secundus Moyses, vel potius antiquo illo antiquior et Dominus cum persequutores submergit, tum eos salvat, quos labor luti et laterum peccati attriverat. Ave paradise, cuius alti fructu cognatam et interitus effectricem rubiginem abiecimus, et ad floridam seniique expertem formam traducti sumus. »

558. Eadem est Iohannis damasceni fides atque doctrina, neque ab ipso semel atque obiter tradita, sed crebro et pluribus explanata. Illam namque [b]) tradit atque explanat inquiens: « Ave Maria

a) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 1636. A-D. apud Combefisium Auctar. Tom. I. Χαῖρε τοιγαροῦν τῇ κεχαριτωμένῃ βοῶμεν· διὰ σοῦ ὁ κύριος μεθ' ἡμῶν· βραχὺ τὴν φωνὴν ὑπαλλάξαντες, χαῖρε βοῶμεν, ἡ ὥσπερ κρίνον ἐν μέσῳ τοῦ πολυσυγχύτου τῶν παθῶν χωρίου τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ἀναβλαστήσασα, καὶ διὰ τοῦτο τοῦ οἰκείου ὕψους ἀκενώτως ὁ βασιλεὺς κατελθὼν, μετὰ τῶν κάτω συνῴκησεν, ἐκ τῆς σῆς εὐωδίας τὸν οἶκον πηξάμενος ἑαυτῷ· χαῖρε τὸν οὐράνιον ἡμῖν ἀναπτύξασα μαργαρίτην, δι' οὗ τῆς προγονικῆς πτωχείας ἀπηλλάγημεν· χαῖρε δι' ἧς εἰς ἀμείνονος ἀνανέωσιν κόσμου τοῦ γένους κατακλυζομένου σπέρμα σωτηρίας διετηρήθη· χαῖρε ῥάβδος, ἧς ἐπειλημμένος ὁ δεύτερος Μωσῆς, μᾶλλον δὲ τοῦ παλαιοῦ πρεσβύτερος καὶ δεσπότης, βυθίζει μὲν τοὺς διώκοντας, σώζει δὲ τοὺς τῷ πηλῷ καὶ πλίνθῳ τῆς ἁμαρτίας τετρυχωμένους· χαῖρε παράδεισε, οὗ τῷ καρπῷ τραφέντες, τὸν προσφυέντα ἡμῖν φθοροποιὸν ἰὸν ἀνεπτύσαμεν· πρὸς ἀνθηρὰν δὲ καὶ ἀγήρω ἰδέαν μετεποιήθημεν.

b) Orat. II. in Deiparae nativit. pag. 857. B. Χαῖρε κεχαριτωμένη, τὸ πάσης χαρᾶς χαριέστερον καὶ πρᾶγμα καὶ ὄνομα, ἐξ ἧς χαρὰ ἀδιάδοχος εἰς τὸν κόσμον Χριστὸς γεγέννηται, τῆς ἀδαμιαίας λύπης τὸ ἰατρεῖον· χαῖρε παράδεισε, τῆς Ἐδὲμ χωρίον μακαριώτερον, οὗ φυτὸν ἀρετῆς ἅπαν ἀνατέθηλε, καὶ ἐφ' ᾧ ξύλον τῆς ζωῆς πεφανέρωται· οὗ τῇ μεθέξει εἰς τὴν ἀρχαίαν δίαιταν ἀνατρέχομεν, τῆς φλογίνης ῥομφαίας νῶτα διδούσης, ὡς γέγραπται.

gratia plena, res gaudio omni gratiosior et nomen: ex qua gaudium immortale Christus, inflictae Adamo tristitiae medicina, in mundum venit. Ave paradise, praedium Eden beatius, ubi virtutis planta omnis germinavit, et in quo arbor vitae enituit; cuius commercio ad vitam pristinam redimus, terga dante flamineo gladio, ut scriptum est. » Illam [a]) tradit atque explanat ubi de Deipara ait: « Tu spiritalis es Eden, antiqua illa sanctior ac divinior. In illa siquidem terrenus Adam commorabatur, in te autem Dominus qui de caelo descendit. » Atque illam tradit et explanat ubi de assumpta in caelum Virgine [b]) loquens scribit: « Hodie Eden novi Adami rationalem paradisum suscipit, in quo soluta est condemnatio, in quo plantatum est lignum vitae, in quo operta fuit nostra nuditas. Non enim amplius sumus nudi vestibusque carentes, tamquam divinae imaginis splendore destituti, uberrimaque Spiritus gratia spoliati. Non iam veterem nuditatem deplorantes [1]) dicemus: *expoliavi me tunica mea, quomodo ea induar?* In hunc enim paradisum serpenti aditus patuit, cuius falsae divinitatis cupiditate flagrantes, iumentis sumus [2]) comparati. Ipse enim unigenitus Dei Filius quum Deus esset eiusdemque ac Pater substantiae, ex hac virgine ac pura terra seipsum in hominem formavit: atque ego quidem qui homo eram, Deitatem accepi, et qui mortalis eram, immortalitate sum donatus pelliceasque tunicas exui: abiecta siquidem corruptione, incorruptione indutus sum, accepto deificationis integumento. »

a) Orat. I. in Deiparae dormit. pag. 863. D. Σὺ Ἐδὲμ νοητὴ κεχρημάτικας τῆς πάλαι ἱερωτέρα καὶ θειοτέρα· ἐν ἐκείνῃ μὲν γὰρ Ἀδὰμ χοϊκὸς ηὐλίζετο, ἐν σοὶ δὲ κύριος ἐξ οὐρανοῦ.

b) Orat. II. in Deiparae dormit. pag. 869. C-D. Σήμερον ἡ Ἐδὲμ τοῦ νέου Ἀδὰμ τὸν λογικὸν παράδεισον ὑποδέχεται, ἐν ᾧ τὸ κατάκριμα λέλυται, ἐν ᾧ τὸ τῆς ζωῆς ξύλον πεφύτευται, ἐν ᾧ ἡ ἡμετέρα περιέσταλται γύμνωσις· οὐκέτι γὰρ ἡμεῖς γυμνοὶ, καὶ ἀνείμονες, καὶ τῆς θείας εἰκόνος μὴ φέροντες τὴν λαμπρότητα· καὶ τὴν ἄφθονον χάριν σεσυλημένοι τοῦ πνεύματος, οὐκέτι τὴν παλαιὰν τραγῳδοῦντες γύμνωσιν λέξομεν· ἐξεδυσάμην τὸν χιτῶνα μου, πῶς ἐνδύσομαι αὐτόν; ἐν τούτῳ γὰρ ὁ ὄφις οὐκ ἔσχε παρείσδυσιν, οὗ τῆς ψεύδους ὀρεχθέντες θεώσεως, τοῖς ἀνοήτοις συμπαρεβλήθημεν κτήνεσιν· αὐτὸς γὰρ ὁ τοῦ θεοῦ μονογενὴς υἱὸς, θεὸς ὢν, καὶ τῷ πατρὶ ὁμοούσιος, ἐκ ταύτης τῆς παρθένου καὶ καθαρᾶς ἀρούρας ἑαυτὸν πεπλαστούργηκεν ἄνθρωπον· καὶ τεθέωμαι μὲν ὁ ἄνθρωπος, ὁ θνητὸς ἠθανάτισμαι, καὶ τοὺς δερματίνους χιτῶνας ἐνδέδυμαι· τὴν γὰρ φθορὰν ἀπημφίασμαι, περίκειμαι τῇ περιβολῇ τῆς θεότητος.

1) Cant. V. 3.

2) Ps. XLVIII 10.

559. Porro Modestus hierosolymitanus antistes Deiparam vocat ἐπίγειον τοῦ Χριστοῦ πατρίδα, *terrenam Christi patriam,* ac mox [a]) pergit: « Ave propitiatorium divinissimum et in Deo fundatum, per quod processit propitiatio mundi universi, Salvator Christus Deus. Ex te enim sanctissima Deipara indutus ex Spiritu sancto carnis suae velo processit *sacerdos,* ut [1]) scriptum est, *secundum ordinem Melchisedech,* qui apud se statuit te assumere, ut a te exoratus semper orbi terrae tribuat propitiationem. Ave Maria spiritalis lucidissimus paradisus: tulisti enim ex Spiritu sancto vitae et immortalitatis fructum ex Deo Patre genitum, Christum Deum nostrum, cuius per rectam in eum fidem participes, vivificati sumus; qui tibi in incorruptibili corpore tabernaculum in paradiso locavit, et per te nobis illuc aperuit ingressum. »

560. Prae his autem videri secunda perspicuitate non debent, quae Tarasius, Iohannes euboeensis et Petrus Argorum praesul disertis verbis gravibusque sententiis confirmant. Tarasius [b]) enim interrogationi, *quo igitur nomine Mariam appellabimus?* Aliquot interiectis [c]) subiungit: « An candelabrum? nam sedentes in tenebris et umbra mortis luce collustravit. An thronum? etenim eum qui in paterno throno invisibilis regnat, in Spiritu sancto circumscriptum suo utero suscepit. An margaritam? Etenim multo pretiosissimam margaritam in thesauri usum mortalibus comparavit. An paradisum? Etenim reclusit Eden hominibus exsilio damnatis, quos

a) Encom. in Deiparam pagg. 45-47. Χαίροις ἱλαστήριον τὸ θειότατον καὶ θεοΐδρυτον, δι' οὗ ὁ τοῦ σύμπαντος κόσμου προῆλθεν ἱλασμὸς καὶ σωτὴρ Χριστὸς ὁ Θεός· ἐκ σοῦ γὰρ, παναγία Θεοτόκε, ἐνδυσάμενος τὸ ἐκ πνεύματος ἁγίου τῆς σαρκὸς αὐτοῦ παραπέτασμα, προῆλθεν ἀρχιερεὺς εἰς τὸν αἰῶνα κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ, ὡς γέγραπται· ὁ προσλαβεῖν σε χρηματίσας, δωρούμενος ἀεὶ, καὶ δυσωπούμενος διὰ σοῦ ἱλασμὸν τῇ οἰκουμένῃ· χαίροις Μαρία, ὁ νοητὸς καὶ ὑπεραγλαέστατος παράδεισος, ὡς ἐκ πνεύματος ἁγίου καρποφορήσασα τὸν ἐκ Θεοῦ πατρὸς φύντα καρπὸν τῆς ζωῆς καὶ ἀθανασίας, Χριστὸν τὸν Θεὸν ἡμῶν· οὗ μετασχόντες τῇ εἰς αὐτὸν ὀρθῇ πίστει ἐζωοποιήθημεν, τὸν τῷ σώματι ἀφθάρτῳ κατασκηνοῦντά σε ἐν παραδείσῳ, καὶ διὰ σοῦ ἀνοίξαντα ἡμῖν τὴν εἰς αὐτὸν εἴσοδον.

b) Orat. in Deiparae ingressum in Templum. Τί οὖν καλέσομεν τὴν Μαρίαν;

c) Ibid. Λυχνίαν; καὶ γὰρ τὸ φῶς τοῖς ἐν σκότει καὶ σκιᾷ θανάτου καθημένοις ἐξέλαμψε· θρόνον; καὶ γὰρ τὸν ἐν θρόνῳ τῷ πατρικῷ ἀοράτως βασιλεύοντα, ἐν πνεύματι ἁγίῳ χωρητὸν ὑπεδέξατο· μαργαρίτην; καὶ γὰρ τὸν πολύτιμον μαργαρίτην τοῖς βροτοῖς ἐθησαύρισε· παράδεισον; καὶ γὰρ τὴν Ἐδὲμ τοῖς κατακρίτοις ἀνοίξασα, πρὸς βασιλείαν εἰσάγει τὴν ἀεὶ διαμένουσαν.

1) Ps. CIX. 5.

inducit in regnum nullis aevi spatiis definiendum.» At vero [a]) Iohannes euboeensis de Virginis conceptu Ioachimo et Annae his verbis gratulatur: «Vos beati, Ioachime et Anna, quia rationalem paradisum vobis ipsi edidistis. Ipsa enim non ab hominibus solum, verum etiam ab angelis et archangelis et cherubim et seraphim beatissima praedicatur, quippe quae impollutis visceribus suis creatorem et paradisi satorem gestavit.» Neque aliter [b]) Petrus ubi de eodem Virginis conceptu scribit: «Hodie nostrae cum Deo reconciliationis indicia. Hodie expulsa nostra natura suae revocationis exordia prospiciens laetatur. Hodie primi parentes gaudent, ut qui auribus exceperint sententiam illam iam fere solvendam esse quae illos in terram reversuros edixerat; iam modo admoniti quod rosa illa fragrantissima, quae quidquid sub sole est odore replebit, praevaricationisque foetorem abiget, in sterili plantata est terra, laetantur. Nunc utero in arido divinus plantatur paradisus, qui nos a priori expulsos mortique damnatos suo vitali germine, quod ex ipso orietur, ad vitam revocabit.»

561. Eadem mens fuit Basilio seleuciensi, qui verba salutationis angelicae, *ave gratia plena,* sic [c]) enarrat: «Laetos sume vultus. Ex te enim omnium gaudium nascetur, et illorum antiquam auferet exsecrationem, dissolvendo mortis imperium, cunctisque spem resurrectionis donando. Ave gratia plena, immarcescibilis innocentiae paradise, in quo lignum vitae plantatum fructus salutis universis

a) Orat. in Deiparae concept. Μακάριοι ὑμεῖς, Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννα, ὅτι παράδεισον λογικὸν ὑμῖν ἐκυήσατε· αὕτη γὰρ οὐ μόνον ὑπὸ ἀνθρώπων μακαρίζεται, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ ἀγγέλων καὶ ἀρχαγγέλων καὶ τῶν Χερουβὶμ καὶ τῶν Σεραφίμ· αὕτη γὰρ τὸν φυτουργὸν (τῆς κτίσεως καὶ) τοῦ παραδείσου ἐξ ἀχράντων αὐτῆς λαγόνων ἐκυοφόρησεν.

b) Orat. in Deiparae concept. Σήμερον τῆς ἡμετέρας πρὸς θεὸν καταλλαγῆς τὰ μηνύματα· σήμερον ἡ ἀπωσθεῖσα φύσις ἡμῶν τῆς ἀνακλήσεως τὰ προοίμια κατοπτεύουσα, γέγηθε· σήμερον οἱ προπάτορες τῆς εἰς γῆν ἀπόφασιν ὅσον οὔπω λύεσθαι μέλλουσαν, ἐνωτιζόμενοι χαίρουσιν· ἄρτι τὸ εὐωδέστατον ῥόδον ἐν ἀκάρπῳ φυτευόμενον ἀρούρᾳ πάσῃ τῇ ὑφ' ἡλίῳ μέλλον εὐωδιάζειν, καὶ τῆς παραβάσεως ἐλαύνειν τὸ δυσῶδες εὐαγγελιζόμενοι γήθονται· νῦν ὁ θεῖος παράδεισος ἐν ἀνίκμῳ νηδύϊ φυτεύεται, τοὺς ἐκ τοῦ πρώτου ἐξορισθέντας ἡμᾶς καὶ θανάτου κατακριθέντας πρὸς ζωὴν διὰ τοῦ ἐξ αὐτοῦ βλαστήσειν μέλλοντος ἐπανάξων ζωηφόρου φυτοῦ.

c) Orat. in Deiparam pagg. 590. E. et 591. A. apud Combefisium Auctar. Tom. I. Φαιδρὸν ἀνάλαβε πρόσωπον· ἐκ σοῦ γὰρ ἡ πάντων τεχθήσεται χαρὰ, καὶ παύσει τούτων τὴν ἀρχαίαν ἀρὰν, ἐν τῷ καταλύειν τοῦ θανάτου τὸ κράτος, καὶ δωρεῖσθαι πᾶσιν ἀναστάσεως ἐλπίδα· χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ ἀμάραντος τῆς ἁγνείας παράδεισος, ἐν ᾧ φυτευθὲν τὸ ξύλον τῆς ζωῆς βλαστήσει πᾶσι σωτηρίας καρπούς.

producet. » Hinc [a]) Pseudo-Epiphanio Deipara est « Caelum et templum et thronus divinitatis, inexplicabile paradisi monile. » Vulgatus autem neocaesariensis Gregorius [b]) de ea scribit: « Haec in domo Dei instar olivae fructiferae plantata, cui Spiritus sanctus obumbravit. Haec semper virens immortalitatis paradisus, in qua lignum vitae plantatum cunctis immortalitatis fructus suppeditat. Haec lucis indumentum et virtutis domicilium. Haec fons perennis, in quo aqua viva scaturivit atque produxit Domini in carne adventum. » Et [c]) rursum: « Haec est quam Isaac praevidens dicebat Iacobo: det tibi Dominus benedictionem caeli desuper, et benedictionem terrae habentis omnia. Qui enim e caelo descendit unigenitus Deus Verbum gestatum est in utero et genitum ex paradiso virginali habente omnia. »

562. Hoc ipso paradisi symbolo utitur [d]) Sophronius inquiens « Salve conditoris ager, salve rationalis Domini paradise, salve o caelum et throne et tabernaculum in quo creator inhabitans triste inferni tabernaculum, o innocens, depraedatus dormientes illic excitavit. » Usurpat idem symbolum [e]) Proclus, et concionem alloquens ait: « Heic nos quippe modo sancta Dei genitrix Virgo Maria in unum coegit: impollutus ille virginitatis thesaurus, spiritalis secundi Adami paradisus, unionis naturarum officina, salutaris commercii nundinae. » Quibus dissimiles non sunt laudes quas alibi [f]) Virgini

a) Orat. de laudibus Deiparae pag. 300. B. Ὁ οὐρανὸς καὶ ναὸς θρόνος τῆς Θεότητος, τὸ ἀνεκλάλητον τοῦ παραδείσου κειμήλιον.

b) Orat. II. in Deiparam pag. 18. A-B. Αὕτη ἐν τῷ οἴκῳ Θεοῦ πεφυτευμένη ὡς κατάκαρπος ἐλαία, ἐν ᾗ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπεσκίασε· αὕτη ἡ ἀειθαλὴς τῆς ἀφθαρσίας παράδεισος, ἐν ᾗ τὸ ζωοποιὸν ξύλον φυτευθὲν, τοῖς πᾶσιν χορηγεῖ ἀθανασίας καρπούς· αὕτη φωτὸς ἔνδυμα, καὶ ἀρετῆς ἐφέστιον· αὕτη πηγὴ ἀένναος, ἐν ᾗ τὸ ζωὸν ὕδωρ ἔβλυσε τὴν ἔνσαρκον τοῦ κυρίου παρουσίαν.

c) Orat. III. in Deiparam pag. 28. B. Αὕτη γάρ ἐστιν ἣν προορῶν ὁ Ἰσαὰκ ἔλεγε τῷ Ἰακώβ· δώσει σοι κύριος εὐλογίαν οὐρανοῦ ἄνωθεν· καὶ εὐλογίαν γῆς ἐχούσης τὰ πάντα· ὁ γὰρ ἐξ οὐρανοῦ καταβὰς μονογενὴς Θεὸς λόγος ἐγεννήθη κυοφορηθεὶς ἐκ παρθενικοῦ παραδείσου ἔχοντος τὰ πάντα.

d) Triod. pag. 184. apud Mai Spicileg. rom. T. IV. Χαῖρε χωρίον τοῦ δημιουργοῦ· χαῖρε παράδεισε κυρίου λογικέ· χαῖρε οὐρανὲ καὶ θρόνε καὶ σκηνὴ, ἐν ᾗ ποιητὴς σκηνώσας, τὸ τοῦ ᾅδου ἀμειδὲς, ἁγνὴ, σκήνωμα σκυλεύσας ἀνέστησεν ἐκεῖ τοὺς καθεύδοντας.

e) Orat. I. de Deiparae laudibus §. I. p. 614. B. apud Gallandium T. IX. Συνεκάλεσε γὰρ ἡμᾶς νῦν ἐνταῦθα ἡ ἁγία θεοτόκος παρθένος Μαρία· τὸ ἀμόλυντον τῆς παρθενίας κειμήλιον· ὁ λογικὸς τοῦ δευτέρου Ἀδὰμ παράδεισος· τὸ ἐργαστήριον τῆς ἑνώσεως τῶν φύσεων· ἡ πανήγυρις τοῦ σωτηρίου συναλλάγματος.

f) Orat. IV. in Domini nat. §. I. pag. 626. B-C. Ὦ γῆς ἀσπόρου καρπὸν βλαστη-

defert exclamans: « O terram non satam, quae caelestem fructum protulit! o Virginem, quae Adamo paradisum reseravit! immo quae ipso paradiso gloriosior exstitit. Nam paradisus quidem Dei cultura fuit; haec autem Deum ipsum secundum carnem excoluit. » Et [a]) rursum: « Haec oliva fructifera plantata in domo Domini, ex qua Spiritus sanctus dominici corporis ramum accipiens, tempestate iactato humano generi detulit, fauste de caelo annuntians pacem. Haec floridus et immarcescibilis paradisus, in qua lignum vitae plantatum universis fructum immortalitatis libere praebet. »

563. Neque aliter [b]) Theodotus ancyranus, qui homiliam habitam in die natali Salvatoris, lectamque in ephesina synodo his verbis exorsus est: « Clara et admirabilis praesentis caussa festivitatis: clara quidem, quoniam communem hominibus ceu fons profudit salutem: admirabilis autem, quia naturae vicit rationem. Natura enim post partum nescit ulterius virginem: gratia vero et parientem ostendit et virginem servavit, et matrem effecit et virginitati non nocuit. Gratia enim erat integritatem servans. O terram non satam quae fructum germinavit salutiferum! O Virginem quae ipsum vicit deliciarum paradisum! » His vero laudum praeconiis ista iungi debent, quibus [c]) Ephraemus Deiparam extollit: « Salve can-

σάσης οὐράνιον· ὦ παρθένος ἀνοίξασα τῷ Ἀδὰμ τὸν παράδεισον· μᾶλλον δὲ τοῦ παραδείσου ἐνδοξοτέρα ὑπάρχουσα· ὁ μὲν γὰρ Θεοῦ γεώργιον γέγονεν· ἡ δὲ κατὰ σάρκα Θεὸν αὐτὸν ἐγεώργησε.

a) Orat. VI. de Deiparae laudibus §. XVII. pag. 646. A-C. Αὕτη ἡ ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ θεοῦ πεφυτευμένη κατάκαρπος ἐλαία, ἐξ ἧς τὸ ἅγιον πνεῦμα τὸ σωματικὸν τοῦ κυρίου λαβὸν κάρφος, τῇ χειμαζομένῃ τῶν ἀνθρώπων διεκόμιζε φύσει, τὴν ἄνωθεν εὐαγγελισάμενος εἰρήνην· αὕτη ἡ εὐθαλὴς καὶ ἄφθαρτος παράδεισος, ἐν ᾗ τὸ τῆς ζωῆς ξύλον φυτευθὲν, πᾶσιν ἀκωλύτως χορηγεῖ τῆς ἀθανασίας τὸν καρπόν.

b) Orat. in natal. Salvatoris diem §. I. pag. 440. A. apud Gallandium T. IX. Λαμπρὰ καὶ παράδοξος τῆς παρούσης ἑορτῆς ἡ ὑπόθεσις· λαμπρὰ μὲν, ὅτι κοινὴν ἀνθρώποις σωτηρίαν ἐπήγασε· παράδοξος δὲ, ὅτι τὸν τῆς φύσεως λόγον ἐνίκησε· φύσις μὲν γὰρ τὴν τεκοῦσαν οὐκ οἶδεν οὐκέτι παρθένον· ἡ δὲ χάρις καὶ τίκτουσαν ἔδειξε, καὶ παρθένον ἐφύλαξε, καὶ μητέρα ἐποίησε, καὶ παρθενίαν οὐκ ἔβλαψε· χάρις γὰρ ἦν σωφροσύνην φυλάττουσα· ὦ γῆς ἄσπορος καρπὸν βλαστησάσης σωτήριον· ὦ παρθένος, αὐτὸν νικήσασα τὸν Ἐδὲμ τὸν παράδεισον.

c) Orat. ad Deiparam pag. 547. E-F. opp. graec. T. III. Χαῖρε τὸ ᾆσμα Χερουβὶμ καὶ ὕμνος τῶν ἀγγέλων· χαῖρε εἰρήνη καὶ χαρὰ τοῦ ἀνθρωπίνου γένους· χαῖρε παράδεισε τρυφῆς· χαῖρε ζωῆς τὸ ξύλον· χαῖρε τὸ τεῖχος τῶν πιστῶν, λιμὴν κινδυνευόντων· χαῖρε ἀνάκλησις Ἀδὰμ, τῆς Εὔας χαῖρε λύτρον· χαῖρε πηγὴ τῆς χάριτος καὶ τῆς ἀθανασίας· χαῖρε ἁγίου πνεύματος πηγὴ ἐσφραγισμένη· χαῖρε ναὲ θειότατε· χαῖρε θρόνε κυρίου· χαῖρε ἁγνὴ, ἡ δράκοντος τοῦ ἀρχεκάκου κάραν συνθλάσασα, καὶ εἰς ἄβυσσον ῥίψασα πεπεδημένον· χαῖρε

ticum cherubim, hymnusque angelorum. Salve pax et gaudium humani generis. Salve paradisus deliciarum. Salve lignum vitae. Salve murus fidelium, portus periclitantium. Salve revocatio Adami. Salve pretium redemptionis Evae. Salve fons gratiae et immortalitatis. Salve sancti Spiritus fons signatus. Salve templum divinissimum. Salve sedes Dei. Salve pura, quae Draconis nequissimi caput contrivisti, et in abyssum proiecisti vinculis constrictum. Salve perfugium afflictorum. Salve maledictionis solutio, per quam laetitia mundo apparuit, immaculatissima Virgo, ob tuum partum. Salve mater Christi filii Dei vivi. »

564. Iamvero maioribus nostris nc succurrere quidem animo potuit, ut Deiparam [1]) cum *paradiso* componerent, nisi explorata illis ac rata fuisset eiusdem praerogativa qua semper innocentia splenduit, nullamque originis labem [2]) contraxit. Atqui non modo patres christianique scriptores Deiparam cum paradiso contendunt, neque modo Deiparam salutant tamquam *paradisum rationalem, spiritalem, lucidum, lucidissimum, a Deo consitum et in ipsa conceptione plantatum, protectum ab omnibus Serpentis insidiis, floridum, immarcescibilem, omnibus illustrem decoribus, inculpatum, semper virentem, per quem digni effecti sumus paradiso deliciarum et e quo immortalitatis odor in universam Evae posteritatem dimanavit;* verum etiam Deiparam sistunt atque celebrant *veluti paradisum Eden beatiorem, sanctiorem, diviniorem, gloriosiorem ac prorsus eiusmodi qui primum voluptatis paradisum longissime superarit.* Hoc unum igitur inferendum superest, Deiparam originali innocentia excelluisse, nihilque ad illius efferendum immaculatum conceptum occurrere hisce accommodatius, quibus graeca ecclesia [a]) cum Io-

ἀρᾶς ἡ λύτρωσις, δι' ἧς χαρὰ τῷ κόσμῳ ἐδείχθης, παναμώμητε, τῷ σῷ, παρθένε, τόκῳ· χαῖρε ἡ μήτηρ τοῦ Χριστοῦ υἱοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος.

a) Men. die VIII. Aprilis Ode ζ'. pag. 37. col. 2. A. Νέος παράδεισος ἡμῖν ζωῆς ξύλον, ἄχραντε, κεκτημένος γεγένησαι· οὗ ἡ βρῶσις τοὺς βρώσει τεθνηκότας ἀνεζώωσεν, ἁγνὴ θεογεννῆτορ.

1) Si cui in votis sit alia novisse maiorum suffragia eodem pertinentia, is adeat Hippolytum Maraccium in Polyanth. marian. lib. XIII. pag. 100-108.

2) Sanctius a Porta theologus non ignobilis ex nobilissimo Praedicatorum Ordine comparans in suo Mariali Deiparam cum paradiso ait: « Beata Virgo in hoc paradiso comparatur, quia in ea numquam fuit aliquid corruptum nec peccati macula infectum. » Et mox: « In illo paradiso litterali de viro facta est mulier, in paradiso Virginis spirituali de muliere factus est vir. Ad Gal. IV. *misit Deus filium suum factum ex muliere*. Ad haec ille paradisus apertus fuit serpenti qui seduxit Evam; iste noster gloriosus paradisus clausus fuit serpenti, nec potuit ingredi

sepho canit: « Novus paradisus, in quo vitae lignum situm est, facta es nobis; cuius esca eos qui per escam ceciderant, novae vitae restituit, o innocens Dei genitrix. »

ARTICULUS II.

De symbolis ex terra adhuc intacta et nondum maledicto obnoxia, atque ex ligno vitae: utriusque symboli enarrationes maioribus usitatae referuntur, et originalis Deiparae integritas comprobatur.

565. Paradisi symbolo cognatum illud est, quod *ex terra adhuc intacta, nondum maledicto obnoxia, neque spinis adhuc tribulisque inhorrescente,* patres eo consilio derivarunt ut suam de originibus Deiparae fidem sententiamque aperirent. Atque hoc inde symbolum derivavit [1]) Tertullianus quum de vero loquens Christi conceptu scripsit: « Ante omnia autem commendanda erit ratio quae praefuit, ut Dei filius de virgine nasceretur. Nove nasci debebat novae nativitatis dedicator, de qua signum daturus Dominus ab Esaia [2]) praedicabatur. Quod est istud signum? *Ecce virgo concipiet in utero et pariet filium.* Concepit igitur virgo et peperit Emmanuelem, nobiscum Deum. Haec est nativitas nova, dum homo nascitur in Deo; in quo homine Deus natus est, carne [3]) antiqui seminis suscepta sine semine antiquo, ut illam novo semine, idest spiritaliter reformaret, exclusis antiquitatis sordibus expiatam. Sed tota novitas ista, sicut et in omnibus de veteri figurata est, rationali per Virginem dispositione Domino nascente. Virgo erat adhuc terra, nondum opere compressa, nondum sementi subacta: ex ea hominem factum accepimus [4]) a Deo in animam vivam. Igitur si primus Adam de terra traditur, merito sequens vel novissimus Adam ut [5]) Apostolus dixit, perinde de terra, idest carne nondum generationi resignata, in spiritum vivificantem a Deo est prolatus. » Idemque symbolum inde repetiit

ad eam, imo ipsa est illa quae contrivit caput serpentis. » Quibus nihil dicitur quod superioribus patrum suffragiis multo etiam evidentius non contineatur.

1) De carne Christi cap. XVII. pag. 320. D. et 321. A.

2) Is. VII. 14.

3) Scite Bernardus Serm. in verba, *Signum magnum:* « Prudentissimus et clementissimus artifex quod quassatum erat, non confregit sed utilius omnino refecit, ut videlicet nobis novum formaret Adam ex vetere, et Evam transfunderet in Mariam. »

4) Gen. II. 7.

5) I. Cor. XV. 45.

quum [1]) adversus Iudaeos ex impletis prophetarum vaticiniis ostendens Christum iam advenisse, relatis [2]) Psalmi verbis, *terra dedit benedictiones suas*, continuo adiecit: « Utique illa terra virgo, nondum pluviis rigata nec imbribus fecundata, ex qua homo tunc primum plasmatus est, ex qua nunc Christus secundum carnem ex Virgine natus est. »

566. Antiquior Tertulliano [3]) Irenaeus hoc ipsum occupaverat symbolum inquiens: « Et quemadmodum protoplastus ille Adam de rudi terra et adhuc virgine (nondum enim pluerat Deus, et homo non erat operatus terram) habuit substantiam, et plasmatus est manu Dei, idest, Verbo Dei; ita recapitulans in se Adam ipse Verbum exsistens ex Maria quae adhuc erat virgo, recte accipiebat generationem Adae recapitulationis. » Et [a]) mox: « Quare igitur non iterum sumpsit limum Deus, sed ex Maria operatus est plasmationem fieri? Ut non alia plasmatio fieret, neque alia esset plasmatio quae salvaretur, sed eadem ipsa recapitularetur, servata similitudine. » Hippolytus [b]) vero eodem non obscure respiciens ait: « Qui perditum hominem *ex terra* formatum et vinculis mortis adstrictum ex infimo inferno eripuit; hic devicti hominis fuit auxiliator, secundum ipsum similis illi, primogenitum Verbum primum parentem Adam *in Virgine* visitans: spiritualis terrenum in matrice quaerens, semper vivus per inobedientiam mortuum, caelestis terrestrem ad superiora vocans, nobilis servum per propriam obedientiam libertate donare volens. » Quare ad normam apostolicae antiquitatis videri expressa debent quae in epistola presbyterorum et diaconorum Achaiae tribuuntur

a) Ibid. Εἰς τί οὖν πάλιν οὐκ ἔλαβε γῆν ὁ θεὸς, ἀλλ' ἐκ Μαρίας ἐνήργησε τὴν πλάσιν γενέσθαι; ἵνα μὴ ἄλλη πλάσις γένηται, μηδὲ ἄλλο τὸ σωζόμενον, ἀλλ' αὐτὸς ἐκεῖνος (vetus interpres legit, σωζόμενον ἢ πλάσμα, ἀλλ' αὐτὸ ἐκεῖνο) ἀνακεφαλαιωθῇ, τηρουμένης τῆς ὁμοιότητος.

b) Ex serm. In magnum canticum apud Theodoritum dial. II. pagg. 88-89. et apud Gallandium pag. 457. A. T. II. Ὁ τὸν ἀπολωλότα ἐκ γῆς πρωτόπλαστον ἄνθρωπον, καὶ ἐν δεσμοῖς θανάτου κρατούμενον, ἐξ ᾅδου κατωτάτου ἑλκύσας, οὗτος ἦν ὁ τοῦ νενικημένου ἀνθρώπου γεγενημένος βοηθὸς, κατ' αὐτὸν ὅμοιος αὐτῷ, πρωτότοκος λόγος τὸν πρωτόπλαστον Ἀδὰμ ἐν τῇ παρθένῳ ἐπισκεπτόμενος· ὁ πνευματικὸς τὸν χοϊκὸν ἐν τῇ μήτρᾳ ἐπιζητῶν· ὁ ἀεὶ ζῶν τὸν διὰ παρακοῆς ἀποθανόντα· ὁ οὐράνιος τὸν ἐπίγειον εἰς τὰ ἄνω καλῶν· ὁ εὐγενὴς τὸν δοῦλον διὰ τῆς ἰδίας ὑπακοῆς ἐλεύθερον ἀποδεῖξαι θέλων.

1) Cont. Iudaeos cap. XIII. pag. 199. A.
2) Ps. CXVI. 5.
3) Cont. haeres. lib. III. cap. XXI. n. 10. pag. 218.

Andreae, quum idem perhibetur [a]) his verbis Aegeam crucis mysterium [1]) edocuisse: « Hoc est quod tibi dicere ardentissime desiderabam, ut dum perdidisse omnium hominum animas innatam suam [2]) iustitiam docuero, eiusdem etiam per crucis mysterium restaurationem pandam. Primus enim homo per lignum praevaricationis mortem induxit; hinc necesse erat ut per lignum passionis mors, quae ingressa fuerat, pelleretur. Et propterea quod ex immaculata terra creatus fuerat primus homo, necesse erat ut ex immaculata Virgine nasceretur perfectus homo, quo Filius Dei qui antea condiderat hominem, vitam aeternam quam perdiderant homines per Adamum, repararet. Deinde ut per lignum crucis concupiscentiae lignum excluderet, expandit in cruce incontaminatas manus pro manibus [3]) ultro expansis, pro suavissimo cibo fellis potum accepit, et in se suscipiens nostram mortalitatem, suam nobis [4]) donavit immortalitatem. »

567. Quibus ea in primis respondent quae [5]) Iulius Firmicus Maternus alloquens Constantium et Constantem Augustos scribit: « Cur Deus, idest, Filius Dei homo passus est fieri, brevi ac vera pietati vestrae ratione monstrabitur. Cum hominem primum, idest, Adam ad imaginem suam Deus faceret, certam illi mandatorum dedit legem. Is per feminam, idest, Evam deceptus diaboli persuasionibus, promissae sibi gloriae perdidit dignitatem. Lignum erat in paradiso, quo promissorum a Deo praemiorum perdidit gratiam. De virginis terrae limo homo factus est: nondum enim, ut ait [6]) Scriptura,

a) Epist. presbyter. et diaconor. Achaiae cap. V. pag. 156. apud Gallandium Tom. I. Τοῦτό ἐστιν, ὃ εἰρηκέναι σοι ἐπεθύμουν, ἵνα, ἐν τῷ ἀπολωλεκυίας τὰς πάντων ἀνθρώπων ψυχὰς διδάξω δικαίαν τὴν οἰκοδομὴν αὐτῶν, καὶ διὰ τοῦ μυστηρίου τοῦ σταυροῦ ἐφαπλώσω ταύτην· ὁ γὰρ πρῶτος ἄνθρωπος διὰ τοῦ ξύλου τῆς παραβάσεως θάνατον ἐπήγαγεν· καὶ ἀναγκαῖον ἦν, ἵνα διὰ τοῦ ξύλου τοῦ πάθους ὁ εἰσελθὼν θάνατος ἐκβληθῇ· καὶ, ὅτι ἐξ ἀμώμου γῆς γέγονεν ὁ πρῶτος ἄνθρωπος, ἀναγκαῖον ἦν ἐξ ἀμώμου παρθένου κυηθῆναι τὸν τέλειον ἄνθρωπον, ἵνα ὁ τοῦ θεοῦ υἱὸς, ὁ πρώην ποιήσας τὸν ἄνθρωπον, ζωὴν τὴν αἰώνιον, ἣν ἀπώλεσαν οἱ ἄνθρωποι διὰ τοῦ Ἀδάμ, ἑτοιμάσῃ· εἶθ' οὕτως διὰ τοῦ ξύλου τοῦ σταυροῦ τὸ ξύλον τῆς ἐπιθυμίας ἀποκλείσῃ, ἐκτείνει ἐν τῷ σταυρῷ τὰς ἀχράντους χεῖρας ὑπὲρ χειρῶν ἑκουσίως ἐκτεταμένων· ἀντὶ ἡδυτάτης τροφῆς, τροφὴν χολῆς ἔλαβε· καὶ ἐν ἑαυτῷ δεξάμενος τὸ θνητὸν ἡμῶν, τὴν αὐτοῦ ἀθανασίαν ἡμῖν ἐχαρίσατο.

1) Gal. VI. 14. Ephes. II. 16.
2) Eccles. VII. 29. Ephes. IV. 24.
3) Gen. II. 17.
4) I. Tim. VI. 16, Rom. VI. 11., VIII. 11, I. Cor. XV. 53-54, II. Cor. IV. 11, V. 4.
5) De errore profanarum religionum cap. XXVI. apud Gallandium T. V. p. 34. C-E.
6) Gen. II. 5.

supra terram pluerat. Hic contemptis mandatis Dei humanum genus mortalitatis laqueis afflixit. Oportebat hoc totum et reformari et corrigi; et reformatio originis debuit reformare primordia. Ex virginis terrae limo factus Adam praevaricatione propria promissam perdidit vitam. Per virginem Mariam ac Spiritum sanctum Christus natus et immortalitatem accepit et regnum. Arbor ligni pestiferum deceptis pabulum praebuit: lignum crucis vitam immortali compage restituit. Contemsit Adam, obedivit Deo Christus. Sic divina dispositione quidquid Adam perdidit, Christus invenit. » Respondent et ea quae Pseudo-Ambrosius et Pseudo-Augustinus tradunt, ille quidem [1]) ubi primum et secundum conferens Adamum ait: « Primus homo de terra et caelo, secundus de caelo et terra: hic ex Deo et Maria quae de terra: ille de terra et spiritu qui de caelo est. Uterque tamen ex virgine et sine coitus permixtione est: hic ex incorrupta, ille ex intacta, quia nullo adhuc semine nec vomere fuit sauciata. » Posterior vero [2]) ubi celebrans natalem Domini diem scribit: « Homo, sollicitante inimico, Deus esse voluit per superbiam; et Deus homo factus est per misericordiam. Innovatur in nobis quodam modo per Christi divinitatem species illius antiqui et incipientis seculi, quando primus Adam de limi materia figuratur. Ecce enim nunc secundus Adam, quasi de intacta ac rudi terra, Virginis de carne formatur. Ecce, inquam, iterum cessantibus naturae legibus, novus homo in novam vitam solo Deo operante perficitur. » Et [3]) rursum: « Quoniam sicut Adam ex terra virgine figuratus est, ita et Christus ex virgine natus agnoscitur. Ibi nunc flatus Dei de terra vivum hominem surgere fecit ad vitam: hic mundo [4]) Spiritus sanctus de Maria virgine Christum hominem figuravit, in quo Deus ad reparationem hominis habitaret. Adam enim ibi tunc nascitur, hic renovatur et resuscitatur in Christo. Fuit ergo similis reparatio, quomodo fuit et hominis creatio. »

568. Consentiunt [5]) francofordienses patres, qui in epistola synodica anno DCCXCIV. ad Praesules Hispaniae missa scribunt: « Sed et hoc volumus a vobis audire, an Adam primus humani generis pater, qui de terra virgine creatus est, liber esset conditus sive

1) Serm. XLV. de primo Adamo et secundo n. 1. coll. 449-450.
2) Serm. de tempore IX. et apud Maurinos T. V. in app. Serm. CXIX. qui est Serm. III. in nat. Domini, n. 1. col. 152. C-D.
3) Serm. XVII. de Tempore, et apud Maurinos T. V. in app. Serm. CXXV. qui est Serm. IX. in natali Domini, n. 2 col. 159. A.
4) Al. *mundum*.
5) Apud Mansium T. XIII. col. 898. C-D.

servus? Si servus quomodo tunc imago Dei? Si liber, quare et Christus quoque non ingenuus de Virgine? Meliore quidem terra, etiam animata et immaculata, Spiritu sancto operante factus est homo, dicente [1]) Apostolo: *factus est primus homo de terra terrenus, secundus de caelo caelestis*. Si terrenum liberum confitemur, quare non multo magis caelestem liberum confitemur?» Consentit Bruno astensis Signiensium Episcopus qui verba [2]) Psalmi *veritas de terra orta est et iustitia de caelo prospexit*, hoc commentario [3]) explanat: «Beata Virgo Maria et *terra* vocatur et *caelum*. Terra per naturam, caelum per gratiam; terra quia de terra facta est, caelum quia Dei habitatio est. Veritas igitur de terra orta est, quia Salvator noster de Virgine natus est: ipse enim et via est et veritas et vita. Et iustitia de caelo prospexit, quia idem Dominus Salvator noster qui de ea natus est, quae et caelum vocatur et terra, mundum istum misericorditer respicere, et impios et peccatores iustificare dignatus est. Bene autem caelum dixit quam terram vocaverat, ne tantae personae iniuriam [4]) tali nomine fecisse videretur.» Consentit [5]) Guerricus abbas qui in mysterium annuntiatae Deiparae intentus exclamat: «Prorsus hodie benedixisti, Domine, terram tuam, illam benedictam in mulieribus. Hodie dedisti benignitatem Spiritus sancti, ut terra nostra daret benedictum fructum ventris sui, et rorantibus caelis desuper uterus virginalis Salvatorem germinaret. Maledicta terra in opere praevaricatoris, quae etiam exercitata spinas et tribulos germinat heredibus maledictionis. At nunc benedicta terra in opere Redemptoris, quae remissionem peccatorum fructumque vitae parturit universis. Prorsus benedicta illa terra, quae omnino intacta, nec fossa nec seminata, de solo rore caeli Salvatorem germinat, et mortalibus panem angelorum, alimoniam vitae aeternae ministrat.» Consentit et Adamus Perseniae abbas, qui sermonem de partu Deiparae [6]) his verbis auspicatur: «*Cantate* [7]) *Domino canticum novum*,

1) I. Cor. XV, 47.

2) Ps. LXXXIV

3) Exposit. in Psalmos pag. 483. col. 2. B-D. edit. Romae MDCCLXXXIX.

4) Quae his illustrari possunt ex Serm. XIII. de Tempore, apud Maurinos T. V. in app. Serm. CXXVIII. qui est Serm. XII. in nat. Domini n. 2. col. 162. A. «Laeta sum qui talem fecit te, ut et ipsa fieret in te, qui tibi et munus fecunditatis adtulit conceptus, et donum virginitatis non abstulit natus: qui sibi, antequam nasceretur, et uterum de quo nasceretur et civitatem in qua nasceretur et diem in quo nasceretur, elegit, et ipse condidit quod elegit. Sic namque olim (Ps. LXXXVI. 5.) praedictum est: *mater Sion dicet, homo, et homo factus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.*»

5) Serm. II. de Deiparae annuntiat. pag. 802. A. Biblioth. max. lugdun. T. XXIII.

6) Serm. III. de partu Virginis pag. 64. edit. Maracii Romae MDCLII.

7) Ps. CXLIX.

quia mirabilia fecit. Novis est efferenda laudibus hodiernae celebritas novitatis. Quid enim non novum, ubi caelum et *terram novam* caeli et terrae Dominus fecit? Caelum quippe novum Virginis partus: terra nova est Virginis uterus. Per haec duo, nova fiunt omnia, dum per novam Verbi Dei in carne nativitatem vetustas abiicitur luctuosa. »

569. Verum sepositis latinis scriptoribus iisque paullo recentioribus, ad graecos vetustioresque redeo, penes quos de hoc innoxiae terrae symbolo luculentissima reperiuntur. Et luculentissima sane reperiuntur [a]) penes Theodotum ancyranum, qui hoc praemisso epiphonemate, *o Virginem quae ipsum vicit deliciarum paradisum*, e vestigio subdit: « Ille namque sine semine genus omne propaginis stirpium protulit, ex virgine terra exortis plantis: haec autem Virgo melior est illa terra. Non enim pomiferas protulit arbores, sed virgam Iesse fructum salutiferum hominibus afferentem. Et illa terra virgo erat, et ista virgo: sed ibi quidem arbores nasci praecepit Deus: huius autem Virginis creator ipse secundum carnem factus est germen. Neque illa terra ante arbores plantaria suscepit, neque haec ex partu virginitatem laesit. » Luculentissima item apud Proclum reperiuntur, qui se aliosque ad celebrandas Deiparae laudes ideo [b]) incendit atque excitat « Ut leni sic Spiritus aura delati, auriferam [1]) civitatem Evilat occupasse inveniamur. Quaenam vero est Evilat, et terra, et aurum? Nonne sancta Virgo, puraque et intaminata eius anima? » Dum vero eos refellit qui [2]) Evangelistae verbis abutebantur ut perpetuam Deiparae virginitatem in discrimen adducerent, prin-

a) Orat. in Christi nat. §. I. pag. 440. A-C. apud Gallandium T. IX. Ὢ παρθένος, αὐτὸν νικήσασα τῆς Ἐδὲμ τὸν παράδεισον· ἐκεῖνος μὲν γὰρ μοσχευτῶν φυτῶν γένεος ἀνέτειλεν, ἐκ παρθένου γῆς ἀνατειλάντων φυτῶν· ἡ δὲ παρθένος αὕτη κρείττων ἐκείνης τῆς γῆς· οὐ γὰρ ὀπώρας ἀνέτειλε δένδρα, ἀλλὰ τὴν ῥάβδον Ἰεσσαὶ, καρπὸν σωτήριον τοῖς ἀνθρώποις παρέχουσαν· κἀκείνη ἡ γῆ παρθένος ἦν, καὶ αὕτη παρθένος· ἀλλ' ἐκεῖ μὲν φῦναι δένδρα προσέταξεν ὁ Θεός· ταύτης δὲ τῆς παρθένου αὐτὸς ὁ δημιουργὸς κατὰ σάρκα γέγονε βλάστημα· οὐδὲ ἐκείνη μόσχευμα πρὸ τῶν δένδρων ἐδέξατο· οὐ δὲ αὕτη ἐκ τοῦ τόκου τὴν παρθενίαν ἠδίκησεν.

b) Orat. VI. de laudibus Deiparae §. I. pag. 632. B. apud Gallandium T. IX. Ἵν' οὕτως τῇ πρᾳείᾳ τοῦ πνεύματος αὔρᾳ παραπεμπόμενοι, τὴν χρυσοφόρον τῶν Εὐιλέων πόλιν εὑρεθῶμεν καταληψόμενοι· καὶ τίς ἐστιν Εὐιλὰτ, καὶ ἡ γῆ, καὶ τὸ χρυσίον; οὐχὶ ἡ ἁγία παρθένος, καὶ ἡ ταύτης καθαρὰ καὶ ἄσπιλος ψυχή;

1) Gen. II. 11. 2) Matth. I. 18, 25.

cipio [a]) monet, *discamus quem Iosephi ignoratio sensum habeat*, tum aliquot interiectis [b]) pergit: « Non noverat prophetam illum [1]) Moysi similem ex puella innupta processurum. Non meminerat potuisse eam effici Dei templum, quae ex mundo erat formata luto. Latebat eum ex virginali rursus paradiso intemeratis Domini manibus plasmari secundum Adam. Non cognoscebat terrae principem sine semine procreari. Non intelligebat israeliticam quandoque terram fructum daturam vivificum: *et terra*, inquit [2]), *nostra dabit fructum suum.* » In sermone autem de nativitate Domini graece amisso sed in syriaca interpretatione conservato [3]) sic Proclus habet: « Iam tempus est ut Isaiae prophetae verba [4]) repetantur: *laetentur caeli desuper et nubes depluant iustitiam, quia misertus est Dominus populi sui.* Laetentur caeli desuper, quia quum ipsi ab initio crearentur, Adam pariter a creatore de virgine terra formatus fuit, Deique amicus et familiaris apparuit. Laetentur caeli desuper, quia nunc per Domini nostri in carne dispensationem sanctificata terra est, atque humanum genus de idololatriae sacrificiis liberatum fuit. Nubes autem depluant iustitiam, quia hodie Evae error ablatus fuit et condonatus per virginis Mariae puritatem, perque Deum simul et hominem ex ipsa natum. Hodie Adam, post veterem damnationem, ex horrenda illa mortis sententia liberatus fuit. »

570. Accedit [5]) Severus praesul antiochenus cuius verba describo: « Volenti mihi ad Virginem matrem oculos attollere, perque dictas de ea sententias suspenso ob reverentiam vestigio incedere, quaedam veluti a Deo vox deferri videtur, measque aures clamore valido impellere [6]) his verbis: *cave ne huc accedas, tolle calceos de pedibus, locus enim in quo insistis, terra sancta est.* Reapse oportet mortali qualibet carnalique phantasia, tamquam calceis, mentem il-

a) Ibid. §. VIII. pag. 636. E. Μάθωμεν ποίαν ἔχει ἔννοιαν τοῦ Ἰωσὴφ ἡ ἄγνοια.

b) Ibid. §. VIII. pag. 637. A. Οὐκ ᾔδει ὅτι ὁ κατὰ Μωϋσέα προφήτης, ἐκ τῆς ἀπειρογάμου προήρχετο κόρης· οὐκ ἐμνήσκετο ὅτι ναὸς ἠδύνατο γενέσθαι Θεοῦ, ἡ ἐκ τοῦ καθαροῦ (al. ἀγαθοῦ) πεπλασμένη πηλοῦ· οὐκ ἐγίνωσκεν ὅτι ταῖς ἀχράνταις τοῦ δεσπότου χερσὶ, ἐκ τοῦ παρθενικοῦ πάλιν πλάττεται παραδείσου ὁ δεύτερος Ἀδάμ· οὐκ ᾔδει ὅτι ὁ ἄρχων τῆς ξηρᾶς δημιουργεῖται ἄνευ σπορᾶς· οὐκ ἐγίνωσκεν ὅτι ἡ Ἰσραηλιτικὴ ποτὲ γῆ, τὸν ζωοποιὸν δώσει καρπόν· καὶ ἡ γῆ ἡμῶν, φησὶ, δώσει τὸν καρπόν.

1) Deut. XVIII. 15, 18. coll. Act. III. 22.

2) Ps. LXXXIV. 13.

3) Sermo de nat. Domini pag. XCII. apud Mai. Spicil. rom. T. IV.

4) Is. XLV. 8.

5) Hom. de s. Deipara pag. 211. apud Mai. Spicil. rom. T. X.

6) Ex. III. 5.

lam semet exuere, quae ad divinarum rerum contemplationem conscendere nititur. Quid vero cogitari augustius vel excelsius potest quam Dei mater? Certe qui ad eam accedit, ad sanctam veluti terram sic appropinquat, ut ipsum denique caelum attingat. Quamquam enim Maria de terra est, et humanam naturam nobisque consubstantialem sortita, attamen intemerata est omnique macula carens, quin adeo de suis visceribus, ceu de caelo, Deum protulit factum hominem, quem ipsa divinitus concepit ac peperit. » Accedit semel iterumque Cyrillus alexandrinus, qui de ineffabili disserens Virginis partu [a]) ait: « Inclinavit itaque [1]) caelos et descendit, et virgineo delecto utero sanctae puellae atque in recta religione nutritae, angelica voce partum praenuntiante et conceptionis rationem antea explicante, proprium sibi facit comparatque templum, et neque satam neque ullo cultu dispositam sibi format stationem: sicuti ille qui primus serviit peccato, sine patre fuerat, unamque habebat terram matrem. Sumpsit enim, inquit [2]), Deus pulverem de terra, hominemque formavit. Quamobrem beatus quoque Paulus [3]) ait: primus homo de terra terrenus, secundus homo Dominus de caelo. Huius rei gratia unigenitum Dei Verbum ex sola Virgine materiam fabricae sumens, atque ita illaboratum formans templum sibique uniens, prodit ex Virgine. » Et [b]) mox: « Etenim magnum reapse est et inexplicabile et orationis vim excedens, ra-

a) De incarnat. Domini cap. XXIII. pag. 62. A-B. apud Mai in nov. PP. biblioth. T. II. Ἔκλινε τοίνυν οὐρανοὺς, καὶ κατέβη, καὶ παρθενικὴν ἐκλεξάμενος νηδὺν κόρης ἁγίας καὶ εὐσεβείᾳ συντεθραμμένης, δι' ἀγγελικῆς φωνῆς τὸν τόκον προμηνυσάσης, καὶ τῆς συλλήψεως τὸν τρόπον προερμηνευσάσης, εἰσοικίζεταί τε καὶ ναὸν ἑαυτῷ κατασκευάζει, καὶ τὴν ἄσπαρτον, καὶ ἀνήροτον σκηνὴν διαπλάττει· οὕτως ὁ πρώτως δουλεύσας τῇ ἁμαρτίᾳ, ἀπάτωρ ἐτύγχανε, μητέρα δὲ μόνην εἶχε τὴν γῆν· ἔλαβε γὰρ, φησὶν, ὁ θεὸς χοῦν ἀπὸ τῆς γῆς, καὶ ἔπλασεν τὸν ἄνθρωπον· διὸ καὶ ὁ μακάριος Παῦλος φησίν· ὁ πρῶτος ἄνθρωπος ἐκ γῆς χοϊκὸς, ὁ δεύτερος ἄνθρωπος ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ· τούτου χάριν ὁ μονογενὴς τοῦ θεοῦ λόγος ἐκ μόνης παρθένου τὰς ἀφορμὰς λαβὼν τῆς διαπλάσεως, καὶ τούτῳ τῷ τρόπῳ τὸν ἀγεώργητον δημιουργήσας ναὸν, καὶ ἑαυτῷ συνάψας, πρόεισιν ἐκ τῆς παρθένου.

b) Ibidem. pag. 62. C-D. Μέγα γὰρ τῷ ὄντι καὶ ἀνερμήνευτον, καὶ λόγου δύναμιν ὑπερβαῖνον, βότρυν ἰδεῖν ἐκ γῆς ἄνευ κλημάτων βλαστήσαντα, σῖτον ἄνευ σπερμάτων φύντα, χιτῶνα χωρὶς νημάτων καὶ χειρῶν ὑφαντικῶν ὑφασμένον, ἄρτον οὐ μύλῃ καὶ χερσὶ καὶ πυρὶ δημιουργηθέντα, ἀλλ' ἀρρήτως ἐκ παρθενικῶν ἀλεύρων γεγεννημένον, καὶ τὴν οἰκουμένην καλύψαντα.

1) II. Regg. XXII. 10.
2) Gen. II 7.
3) 1. Cor. XV. 47.

cemum cernere de terra sine palmitibus germinantem, fructum sine seminibus ortum, tunicam sine stamine et sine texente manu contextam, panem sine mola ac manibus et igne fabricatum, sed arcane ex virginali farina confectum et universum mundum complentem.»

571. Accedit Cyrilli in eadem cathedra decessor Athanasius, qui [a]) expendens genealogiae verba, *qui fuit Adam, qui fuit Dei,* inquit: « Cur vero si nobis similis est, non homo tantum dicitur Christus ceu novus aliquis de caelo advenisse, sed filius hominis factus? Si ergo in terra factus est filius hominis, quamquam non ex semine viri genitus sed de Spiritu sancto, solius reapse protoplasti Adami filius [1]) reputabitur. Neque enim praeter Adamum qui de terra est, alius aliquis denominatur homo in caelo exsistens, quique de caelo corpus habuerit et filius hominis sit, Adamo seposito. » Accedit [b]) Andreas cretensis, qui relatis Archangeli ad Deiparam, verbis, *ave gratia plena,* illico subdit: « Ave Deo ante generationes electa, ave divina cum hominibus reconciliatio, ave thesaure vitae immortalis, ave caelum caelo altius solis gloriae domicilium, ave sancta virginalis terra, ex qua novus ille Adam ineffabili a Deo fictione, veteri recuperando novus Adam factus est, ave fermentum

a) Ex fragmentis in Lucam n. 7. pagg. 569. D. et 570. A. apud Mai in nova PP. biblioth. T. II. Διὰ τί δὲ, εἰ καθ᾽ ἡμᾶς ἐστιν, οὐχὶ ἄνθρωπος μόνον λέγεται ὁ Χριστὸς ὡς καινός τις ἐπιδημήσας ἐξ οὐρανῶν, ἀλλ᾽ υἱὸς ἀνθρώπου γέγονεν; εἰ μὲν οὖν ἐπὶ γῆς γέγονεν υἱὸς ἀνθρώπου, καίτοι οὐκ ἐκ ἀνδρὸς γεννηθεὶς, ἀλλ᾽ ἐκ πνεύματος ἁγίου, ἑνὸς ὄντος τοῦ πρωτοπλάστου Ἀδὰμ υἱὸς νοηθήσεται· οὐ γὰρ ἕτερός τις ἐπιγέγραπται ἄνθρωπος ἐν οὐρανῷ ὑπάρξας, παρὰ τὸν ἐκ γῆς Ἀδὰμ, ἵνα καὶ ἐξ οὐρανῶν ἔχῃ τὸ σῶμα, καὶ υἱὸς ἀνθρώπου ᾖ παρὰ τὸν Ἀδάμ.

b) Orat. in Deiparae annuntial. pag. 102. D. apud Gallandium T. XIII. Χαίροις ἐκλεγομένη θεῷ πρὸ γεννήσεων· χαίροις τὸ θεῖον πρὸς ἀνθρώπους διαλλακτήριον· χαίροις θησαυρὲ τῆς ἀκηράτου ζωῆς· χαίροις οὐρανὲ, τοῦ ἡλίου τῆς δόξης ὑπερουράνιον οἴκημα· χαίροις γῆ ἁγία παρθενικὴ, ἐξ ἧς ὁ νέος Ἀδὰμ ἀρρήτῳ θεοπλαστίᾳ ἐχρημάτισε, ἵνα τὸν παλαιὸν ἀνασώσηται· χαίροις ζύμη ἁγία θεοτελὴς, ἐξ ἧς ὅλον τοῦ ἀνθρωπίνου γένους ἀνεζυμώθη τὸ φύραμα, καὶ ἐξ ἑνὸς σώματος Χριστοῦ ἀρτοποιηθὲν, εἰς ἓν συνῆλθε τὸ παράδοξον σύγκριμα.

1) Quibus illustrandis iuverit ista contulisse quae Gregorius antiochenus in Serm. de baptismo Christi n. 3. pag. 556. apud Mai in nova PP. biblioth. T. II., enarrans Salvatoris verba, *sine modo, sic enim oportet nos implere omnem iustitiam*, scribit: « Oportet me in crucem ascendere, et clavis configi, et pati, et vulnera sanare, et per lignum emere eam, quae per ligni transgressionem hominibus facta est, plagam. Oportet me descendere in ipsum profundum inferni, ubi tu debes me annuntiare propter eos qui ibidem tenentur mortui. Oportet me tertia die defunctione carnis meae destruere longaevae mortis potentiam. Oportet me corporis mei lucernam accendere his qui in tenebris et umbra mortis sedent. Oportet me ascendere carne ubi deitate. sum Oportet me offerre Patri *Adam in me regnantem.* »

sacrum Deo perfectum, quo tota massa humani generis conspersa, et quo ex uno Christi corpore in panes formata, in unam coivit novam concretionem. »

572. Neque secus Iacobus monachus qui Deiparae nativitatem laudibus [a]) exornans ait: « Quam divinum tunc libertatis pignus accepit terra, desiderabilem illam et sanctam terram! mundi instaurationis caussam, per quam spinarum diris libera, benedictionis fructus edidit! » Neque secus [b]) Photius, qui modum rationemque enarrans divinae oeconomiae scribit: « Erat itaque conditoris praeparanda mater, quo sic refingeretur quod confractum erat; illamque virginem esse oportebat, ut sicut primus homo e terra virgine factus fuerat, sic ex utero virginis nova iterum fictio ederetur. » Neque secus [c]) Iohannes damascenus qui divinum reparandi hominis consilium suspiciens exclamat: « O indulgentiae demissionem! Qui eximie bonus est, proprii figmenti proles audire non renuit, amore captus illius quae creatis omnibus speciosior est; illam amplexus, quae caelestibus virtutibus dignitate praeit. De hac itaque summe admirabilis Zacharias [1]) ait: *gaude et laetare filia Sion, quia ecce*

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1267. B. apud Combefisium Auctar. T. I. Ὡς ἀῤῥαβῶνα θεῖον τῆς ἐλευθερίας ἡ γῆ τότε τὴν ἐπιθυμητὴν καὶ ἁγίαν ὑπεδέξατο γῆν· τὴν τοῦ καινισμοῦ τῆς κτίσεως αἰτίαν, δι' ἧς τῆς ἀκανθώδους ἀρᾶς ἀπηλλάγη, καὶ εὐλογίας καρποὺς προενήνοχε.

b) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1601. A. apud Combefisium Auctar. T. I. Μητέρα ἔδει κάτω διευτρεπισθῆναι τοῦ πλαστοῦ εἰς τὸ, τὸ συντριβὲν ἀναπλάσασθαι· καὶ ταύτην παρθένον, ἣν ὥσπερ ἐκ παρθένου γῆς ὁ πρῶτος ἄνθρωπος διεπεπλάστο, οὕτω διὰ παρθένου μήτρας πραγματευθῇ ἡ ἀνάπλασις.

c) Orat. II. in Deiparae nativit. §. IV. pagg. 851. E. et 852. A. Ὢ τῆς συγκαταβάσεως· τοῦ ἰδίου πλάσματος γέννημα χρηματίσαι οὐκ ἀπηνήνατο ὁ ὑπεράγαθος, ἐκείνης ἐρασθεὶς δηλαδὴ τῆς ὡραιοτέρας πάσης κτίσεως, ἐκείνης ἐπιλαβόμενος τῆς ἀξιωτέρας τῶν οὐρανίων δυνάμεων· περὶ ταύτης τοίνυν ὁ Ζαχαρίας ὁ θαυμασιώτατος, τέρπου, φησὶ, καὶ εὐφραίνου, θύγατερ Σιὼν, διότι ἰδοὺ ἔρχομαι, καὶ κατασκηνώσω ἐν μέσῳ σου, λέγει κύριος· περὶ ταύτης γε καὶ Ἰωὴλ ὁ μακαριώτατος, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, ὧδέ πως κεκραγὼς φαίνεται· θάρσει γῆ, χαῖρε καὶ εὐφραίνου, ὅτι ἐμεγάλυνε κύριος τοῦ ποιῆσαί σοι· γῆ γάρ ἐστιν, ἐφ' ᾗ ὁ Μωϋσῆς ὁ ἱερώτατος λύσαι τὸ ὑπόδημα τοῦ σκιώδους νόμου εἰς ἐξαλλαγὴν χάριτος προσετάττετο· γῆ ἐστιν, ἐφ' ᾗ τεθεμελιῶσθαι τῇ σαρκὶ ὑπὸ τοῦ πνεύματος ᾄδεται, ὁ θεμελιῶν τὴν γῆν ἐπὶ τὴν ἀσφάλειαν αὐτῆς· γῆ ἐστιν, ἡ σπορᾶς ἀνεπίδεκτος, καὶ ἁπάντων καρποτροφοῦσα τροφοδότην· γῆ ἐστιν, ἐφ' ἣν τῆς ἁμαρτίας ἄκανθα οὐκ ἀνέτειλε, τοὐναντίον δὲ μᾶλλον διὰ τοῦ ταύτης ἔρνους πρόῤῥιζος ἐκτέτιλται· γῆ ἐστιν, οὐχ ὡς ἡ πρότερον κατηραμένη, καὶ ἧς καρποὶ πλήρεις ἀκανθῶν καὶ τριβόλων, ἀλλ' ἐφ' ἣν εὐλογία κυρίου, καὶ ἧς εὐλογημένος ὁ καρπὸς τῆς κοιλίας.

1) Zach. II. 10.

venio et habitabo in medio tui, dicit Dominus. Sed et [1]) beatissimus Ioel de eadem, ut quidem existimo, ita propemodum noscitur clamare: *confide terra, gaude et laetare, quia magnificavit Dominus ut faceret tibi.* Terra namque est, in qua sacratissimus Moyses umbraticae legis calceamentum solvere ob gratiae commutationem iussus est. Terra est, in qua ille carne fundatus a Spiritu canitur, *qui fundat terram super stabilitatem suam.* Terra est, in qua nulla peccati enata spina, secus vero per cuius germen illud potius evulsum est. Terra est non uti prior maledicta, et cuius fructus spinis ac tribulis horrescant; sed super quam benedictio Domini fuit, et cuius fructus ventris benedictus. »

573. Neminem porro facile invenias qui hoc Deiparae symbolum prae Germano aut frequentius usurpet aut praeclarius expoliat. Illud enim usurpat atque expolit ubi [2]) de decreto disserens dominicae incarnationis ait: « Statim atque inventum est dignum incomprehensibilis divinitatis receptaculum, tunc etiam antiquum illud certumque consilium ad finem perductum est atque in opus collatum; et Patris Verbum quod nullis circumscribi terminis potest, infantis in modum purissimo Virginis utero continetur secundum hypostasin massae unitum adamicae, quae ex hoc terra sancta et superimmaculata exstitit. » Illud usurpat atque expolit ubi [3]) Mariam vocat *terram vere sanctam, et quae sola sine semine et absque ulla molitione, divina fecunditate illustris est.* Illud usurpat atque expolit [4]) inquiens: « Ex terra virgine primus Dei manibus formatus est Adam; et nunc Adami conditor ex te oritur novus Adam, ut veterem illum iacentem erigat, mortuumque rursus excitet. » Tum illud [a]) usurpat atque expolit his verbis: « Ex quo igitur, o sanctis-

a) Orat. in Deiparae dormit. pag. 1450. D-E. apud Combefisium Auctar. T. I. Ἐπὰν οὖν, παναγία θεομῆτορ, ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ μᾶλλον εἰπεῖν, διὰ σοῦ κατεκομίσθη, πῶς ἔνδεκτον ὀρφανοὺς τῆς σῆς ἀναθεωρίας καταλεῖψαί σε τῇ μεταστάσει τοὺς ἀνθρώπους; μὴ γένοιτο τοῦτο φρονεῖν ἡμᾶς· ὥσπερ γὰρ ἐν τῷ κόσμῳ τούτῳ διάγουσα, οὐ ξένη τῶν οὐρανίων ὑπῆρχες διαιτημάτων, οὐδὲ μετατεθεῖσα, τῆς τῶν ἀνθρώπων ἠλλοτριώθης τῷ πνεύματι συναναστροφῆς· ἐπειδὴ καὶ οὐρανὸς θεοχώρητος ἀνεδείχθης τοῦ ὑψίστου θεοῦ, διὰ τὸν χωρητικὸν κόλπον σου πρὸς αὐτοῦ βασταγμοῦ· καὶ γῆ πάλιν αὐτῷ πνευματική, διὰ χορηγητικὴν ὑπουργίαν ἐχρημάτισας τῆς σαρκός σου.

1) Ioel II. 21.
2) Orat. I. in Deiparae annunciat. pag. 76. edit. Maraccii.
3) Ibid. pagg. 100-101.
4) Ibid. pag. 108.

sima Dei mater, caelum atque adeo terra per te ornamentis aucta sunt; qui fieri potuit ut migratione tua homines tua tutela orbatos desereres? Absit ut ita sentiamus. Sicut enim in hoc mundo degens non peregrinabaris a caelesti convictu, ita nec translata desiisti versari in spiritu cum hominibus. Nam et caelum visa es Dei altissimi capax, quod illum sinu tuo capaci gestasti: et spiritalis pariter illi terra exstitisti ob obsequium carnis ei subministratae. »

574. Reliqui sunt libri ecclesiastici, in quibus simillima non infrequenter occurrunt. Atque in Menaeis sane, praeeunte [a]) Iosepho, canitur: « Mortuam ob Serpentis morsum animam meam, tu o immaculatissima, quae sola vitam manifeste peperisti, vivifica.

Voce Gabrielis ad te clamamus: ave terra electa, ave mensa aurea, ave hominum refugium, ave martyrum gloriatio, ave angelorum gaudium, Deipara sancta, robur eorum qui te sincera fide beatam praedicant. » In hymnario autem [1]) Latinorum ecclesiis familiari haec Ambrosio adscripta leguntur;

» Rorem dederunt aethera
» Nubesque iustum fuderunt,
» Patens excepit Dominum
» Terra salutem generans.

Denique in Psalterio cui Anselmi nomen praefigitur, ista [2]) habentur:

» Ave terra quae dedisti
» Fructum Deo confitendi,
» Cuius est benedictio
» Vera sui cognitio.
» Ave terra virginea,
» In cuius Deus medio
» Salutis est mysteria
» Operatus in Filio.

a) Men. die XXIV. Augusti Ode η'. pag. 134. col. 1. A. Νενεκρωμένην δήγματι τὴν ψυχήν μου τοῦ ὄφεως, μόνη προφανῶς ἡ τὴν ζωὴν κυήσασα, πανάμωμε, ζώωσον.

Ode θ'. pag. 134. col. 1. E. Φωνὴν σοι προσφωνοῦμεν τοῦ Γαβριήλ· χαῖρε γῆ ἐκλεκτή· χαῖρε τράπεζα χρυσοειδής· χαῖρε τῶν ἀνθρώπων καταφυγή· χαῖρε μαρτύρων καύχημα· χαῖρε τῶν ἀγγέλων ἡ χαρμονὴ, ἁγία Θεοτόκε, κραταίωμα τῶν πίστει εἰλικρινῶς μακαριζόντων σε.

1) Inter opp. card. Thomasii pagg. 382-383. 2) Inter opp. Anselmi pag. 305. col. 2. A-C.

Et [1]) rursum:

» Ave terra benedicta,
» Sanctificans mysteria,
» Cuius sancta fecunditas
» Dei Patris est veritas.

Et [2]) mox:

» Ave terra benedicta,
» In qua cantatur canticum,
» Quod in terra aliena
» Cantari non est licitum.

575. E quibus iunctis copulatisque deducimus, terram primigeniam Deiparae symbolis maiorum suffragatione accenseri. Sed quo eiusmodi symbolum *ex sese* pertinet, quidve illo *ex maiorum commentariis* significatur? Nihil in terra primigenia evidentius refulget, nihilque in ea apparet quod prius aut oculos feriat aut animum occupet, quam quod illa fuerit *bona, maledicti nescia, nullisque sive tribulis sive spinis inhorrescens*. Sensit hoc [3]) Ambrosius, primamque hominis formationem enarrans declaravit inquiens: « Ex terra creatus virgine, quae ad verbum Dei formata et creata recenti fuerat exortu, nondum ea parricidali caediumque concreta sanguine, flagitiis et dedecore polluta, nondum carne nostra damnata maledicto obnoxiae hereditatis.» Quum itaque Virginem hac praemonstratam terra maiores testentur; cum ipsa symboli ratione consertum est, ut ea *nullo dedecore polluta, nec maledicto obnoxiae hereditatis damnata* existimetur. Audio, sed ita ne etiam patribus visum est, aut huc quoque traditi ab iis commentarii revocantur? Nonne satius videntur unanimes censuisse, hoc symbolo non aliam Deiparae dotem praeter perfectissimam eiusdem virginitatem fuisse adumbratam?

576. Non abnuo neque ullatenus repugno, sed dumtaxat animadverto, quemadmodum corpori, ita pariter animo suam competere virginitatem, et non minus corpori suum esse florem qui carnali contagione marcescit, quam animo suus sit flos qui pestifero peccati halitu violatur. Quapropter eo vere quaestio redit, non quidem utrum maiores nostri putarint, Deiparae virginitatem originalis ter-

1) Ibid. col. 3. C.
2) Ibid. pag. 306. col. 3. D.
3) Enarrat. in cap. II. Geneseos de paradiso ad Sabinum col. 423. opp. T. I.

rae symbolo fuisse expressam, *sed quamnam crediderint eo typo virginitatem demonstratam, imperfectam ne atque unius corporis propriam, an omnibus contra expletam numeris et ad ipsum quoque animum pertinentem.* Quum autem talis sit germana quaestionis ratio, eiusdem solutio neque obscura neque impedita videri potest. Et re sane vera primigeniae terrae symbolo eam patres Deiparae virginitatem testantur ostensam, qua Deipara fuerit *terra pura, intacta, immaculata, immaculatissima, superimmaculata, sancta, vere sancta, electa, Dei terra et a Deo numquam aliena, nova, ex mundo formata luto, melior priore, creatis omnibus speciosior, benedicta, super omnia benedicta et caussa benedictionis, numquam ut prior maledicta, nobis quidem per naturam consubstantialis, sed intacta omnique culpa carens, terra desiderabilis in qua Adam innocens regnat, in qua nulla exstitit spina peccati, sed per quam peccatorum spinae fuerunt evulsae, terra simul et caelum, terra unice digna Verbo, suo respondens germini, et tamdiu exspectata, ut in eam Verbum e sinu Patris descenderet, atque ex ea humanam naturam pro dignitate susciperet.*

577. Hae sunt notae atque hi sunt characteres quibus patres mira consensione utuntur, ut Deiparae virginitatem typo primigeniae terrae figuratam explanent. Sicuti autem his notis, uti quisque cernit, non una corporis effertur virginitas, sed corporis iuxta atque animi violata numquam innocentia declaratur; ita eiusmodi characteribus virginitas ostenditur suis omnibus expleta numeris quaeque utrumque florem corporis atque animi illibatum demonstrat. Quoties igitur in ecclesiasticis monimentis legimus, secundum Adamum non secus ac primum [1]) fuisse Virginis filium, eam virginitatem ex maiorum sententia intelligamus oportet, quae non modo corporis vitium sed omnem quoque animi corruptelam excludat: et quoties in eisdem Deiparam legimus haud aliter dictam Virginem

1) Huc praeter tot alia a nobis relata, ista quoque faciunt ex Abdiae apostolica historia lib. VIII. §. IV. pag. 677. apud Fabricium de codd. apocr. novi Testamenti T. II. « Par enim fuit ut qui filium virginis vicerat, a filio Virginis vinceretur. » Et mox §. V. « Primus homo Adam dictus est, qui de terra factus est. Terra autem illa, de qua factus est, virgo fuit, quia nec sanguine humano polluta fuerat, nec ad sepulturam alicuius mortui a quoquam erat aperta. Par ergo erat, ut dixi, ut qui filium vicerat, a filio Virginis vinceretur. » Flavius Iosephus Antiquitt. Iud. lib. I. cap. I. n. 2. pag. 6. descripta hominis formatione pergit: Ὁ δ' ἄνθρωπος οὗτος, Ἄδαμος ἐκλήθη· σημαίνει δὲ τοῦτο, κατὰ γλῶτταν τῶν Ἑβραίων, πυῤῥός, ἐπειδήπερ ἀπὸ τῆς πυῤῥᾶς γῆς φυραθείσης ἐγεγόνει· τοιαύτη γάρ ἐστιν ἡ παρθένος γῆ καὶ ἀληθινή. *Hic homo vocatus est Adamus: significat autem hoc lingua hebraeorum, rufus, quoniam a terra rufa macerata est factus. Talis enim est virgo terra et vera.* Unde Hesychius: Ἀδαμά· παρθενικὴ γῆ, *terra virginalis.*

ac virgo primigenia terra nuncupetur, eam animo virginitatis formam complectamur necesse est, quae non sit deminuta et manca sed plena ac perfecta, et a qua naevus omnis sive animi sive corporis vehementissime abhorreat. Expressit itaque patrum mentem maiorumque sententiam Isidorus thessalonicensis [1]) de Virgine scribens: « Haec profecto terra illa est, cuius stabilissima sunt fundamenta et non commovebuntur in secula. Ex quo factum ut ferret etiam altitudinem super caelos aedificatam: aliam quippe terram et caelum audivimus futurum. Haec terra illa est, e qua veritas orta, et propter quam de caelo prospexit iustitia. Et beatus quidem David similem vanitati et mendacem asserit omnem hominem, pro eodem, ut arbitror, vanitatem et mendacium sumens. Hic vero praecipuus naturae flos, ut sese evidentissime ostenderet esse quid supra homines, unicam protulit veritatem, veramque vitem progerminavit. »

578. Quibus ornamentis adiici et illud debet, quo cum *ligno vitae* Deipara confertur, et quo nescio an ullum excogitari queat insignius, quodque evidentius ipsam ab omni culpae naevo solutam ostendat. Itaque non solum [a]) ab Ephraemo Virgo dicitur *maestitiae dissolutio, captivitatis liberatio, mortalium deificatio, pulcra natura, cuiusvis incapax maculae, illa quae a Libano virginitatis redit et mundum odoramentis replet, ex qua dulcedo defluens antiquam ligni acerbitatem dulcem effecit;* verum etiam [b]) nuncupatur « Paradisus sanctissimus in Eden, lignum vivificum pulcherrimum et iucundissimum fructum ferens. » Immo [c]) is est qui Deiparam salutans ait: « Gaude benedictissima in seculum seculi; gaude lignum opacum, o puella virgo, ex quo omnes fructum decerpimus,

a) Orat. ad Deiparam pagg. 529. F. et 530. A. opp. graec. T. III. Τῆς λύπης ἡ λύσις, τῆς αἰχμαλωσίας ἡ λύτρωσις, τῶν θνητῶν ἡ θέωσις, ἡ ὡραία τῇ φύσει, καὶ μώμου (praepostere in editis, ἀμώμου) παντὸς ἀνεπίδεκτος, ἡ ἀπὸ λιβάνου τῆς παρθενίας ἀνοῦσα καὶ τὸν κόσμον μυρίζουσα, ἐξ ἧς ὁ γλυκασμὸς ἀποῤῥέων τὴν παλαιὰν τοῦ ξύλου πικρίαν ἐγλύκανε.

b) Ibid. pag. 530. C-D. Παράδεισε τοῦ ἐν Ἐδὲμ ἁγιώτατε, ξύλον τὸ ζωηφόρον τὸν ὡραιότατον καὶ ἥδυτατον καρπὸν φέρον.

c) Ibid. pag. 534. E-F. Χαίροις παντευλόγητε εἰς αἰῶνα αἰώνων· χαίροις ξύλον εὔσκιον, παρθένε κόρη, ἐξ οὗ πάντες καρπὸν τρυγῶμεν, ὃν οἱ φάγοντες χαίρουσι, οὐ θανατοῦνται.

1) Orat. III. in Deiparae annunciat. pagg. 81-82. edit. Maraccii.

quem comedentes exhilarantur non moriuntur. » Atque is [a]) rursum est qui Deiparae gratulatur inquiens: « Salve paradisus deliciarum, salve lignum vitae, salve fons gratiae et immortalitatis. »

579. Ad eamdem normam expressa ista sunt, quibus [b]) Graecorum Ecclesia Deiparam laudans canit: « Salve peregrinum auditum, o innocens: salve sanctum paradisi lignum ab ipso Deo plantatum: salve malorum daemonum exstirpatrix, salve o ensis utrinque acute hostis caput abscindens per tuum partum. O sanctissima, o superimmaculata nos exsulantes revoca. » Neque ab hac ipsa norma ista dissident quae [c]) Iosephus in hymno alphabetico Zachariae tribuit Annam alloquenti: « Liquido nunc, mulier, cognovi, respondit senex benevolo animo, lignum ex te germinasse, quod medio veluti in paradiso producturum est fructum vere divinum, nosque homines per corruptionem expulsos, recipiendos iterum clamantes ob gaudium: benedicite omnia opera Domini Dominum. » Omnium vero praeclarissima ista sunt quae [d]) Iohannes damascenus scribit: « Ave aurum purum, quae igne Spiritus in Dei conflatorio probata es, nec malitiae usquam ruga deformis: ex quo auro tum candelabrum, tum mensa, tum reliqua omnia legis ritu aurea, allegoriae non ambigua significatione de te aureis multisque nominibus celebri accipiuntur. Ave lignum non putrescens, quae corruptionis peccati vermem non admisisti: ex qua spirituale altare non ex lignis imputribilibus, sed ex intemerato utero exstructum fuit Deo. »

a) Ibid. pag. 547. E-F. Χαῖρε παράδεισε τρυφῆς· χαῖρε ζωῆς τὸ ξύλον· χαῖρε πηγὴ τῆς χάριτος καὶ τῆς ἀθανασίας.

b) Men. die V. Augusti ad vesper. pag. 17. col. 2. E. Χαῖρε ξένον ἄκουσμα, ἁγνή· χαῖρε ξύλον ἅγιον τοῦ παραδείσου θεόφυτον· χαῖρε ἐξάλειψις πονηρῶν δαιμόνων· χαῖρε ξίφος δίστομον ἐχθροῦ τὴν κεφαλὴν ἀποτέμνουσα τῷ ξένῳ τόκῳ σου· παναγία ὑπεράμωμε ξενωθέντας ἡμᾶς ἀνακάλεσαι.

c) Antholog. die XX. Novembris Ode η'. pag. 125. col. 1. B-C. Νῦν ἔγνων, γύναι, σαφέστατα, προφρόνως ἔφη ὁ γηραιός, ξύλον ἐν μέσῳ, ὡς ἐκβλαστάνειν ἐκ σοῦ, ὅπερ ἐξανθήσει θεῖον ὄντως καρπὸν, παραδείσῳ εἰσοικίζοντα, τοὺς βροτοὺς ἐξωσθέντας φθορᾷ, ἀναβοῶντας χαρᾷ· εὐλογεῖτε πάντα τὰ ἔργα κυρίου τὸν κύριον.

d) Orat. II. in Deiparae nativit. pag. 856. A. Χαῖρε χρυσίον καθαρὸν, ἡ ἐν χωνείᾳ τοῦ Θεοῦ δοκιμασθεῖσα τῷ πυρὶ τοῦ πνεύματος, καὶ μηδαμοῦ ῥυτίδα κακίας φέρουσα· ἐξ οὗ ἥ τε λυχνία, καὶ ἡ τράπεζα, καὶ πάντα τὰ κατὰ τὸν νόμον χρύσεα κατ' ἔμφασιν ἀλληγορικὴν, ἐπί σε τὸν χρυσώνυμον καὶ πολυώνυμον μεταλαμβάνεται· χαῖρε ξύλον ἄσηπτον, ἡ φθορᾶς ἁμαρτικῆς μὴ προσηκαμένη σκώληκα, ἐξ ἧς τὸ νοητὸν θυσιαστήριον οὐκ ἐκ ξύλων ἀσήπτων κατασκευασμένον, ἀλλ' ἐξ ἀχράντων λαγόνων Θεῷ δεδομημένον.

ARTICULUS III.

De symbolo ex caelo: quo ex maiorum commentariis illud spectet: et quam praeclare ad conceptum Deiparae immaculatum ostendendum conducat.

580. Si quid est ab hac nostra terra longissime seiunctum, si quid a corruptione liberum, si quid a maledicto immune, et si quid dignum quod non secus habeatur ac fulgidissimum puritatis speculum; eiusmodi profecto, nemine refragante, existimari *caelum* debet. Est enim caelum supra nostram hanc terram maxime evectum, omnis exsors labis, maledicti nescium, eaque puritate nitens, quae beatorum spirituum atque ipsius Dei domicilium decet. Iamvero ipsum est caelum cum quo Deipara contenditur, atque ipsum est caelum quod veluti Deiparae symbolo et aptissima imago ad eius innocentiam puritatemque exhibendam suffragatione patrum, scriptorumque ecclesiasticorum usurpatur.

581. Et re sane vera hoc caeli symbolum usurpat [a]) vulgatus neocaesariensis Gregorius, qui Deo Patri Gabrielem mittenti haec tribuit verba: « Abi ad domicilium Verbo meo dignum: abi ad alterum quod in terra est caelum. » Idem caeli symbolum usurpat [b]) Modestus hierosolymitanus inquiens: « Papae! sancti angeli a Deo missi ad sanctissimam et gloriosissimam matrem suam, quae tum ipsis tum omnibus caelestibus potestatibus superior est, quae apud ipsum [1]) gratiam invenit, non illi quidem e caelorum altitudine ad eam, quae ab eo amplior caelis et excelsior facta est, missi sunt ad divinam incomprehensibilem conceptionem annunciandam, ut olim archangelus Gabriel; sed ut eam in regnum caelorum ad il-

a) Orat. III. in Deiparam pag. 27. D. Ἄπελθε πρὸς τὸ ἄξιον ἐμοῦ τοῦ λόγου κατοικητήριον· ἄπελθε πρὸς τὸν δεύτερον ἐπὶ γῆς οὐρανόν.

b) Encom. in Deiparam pagg. 31-33. Βαβαὶ, οἱ ἐκ Θεοῦ πρὸς παναγίαν καὶ δεδοξασμένην μητέρα αὐτοῦ ἅγιοι ἄγγελοι ἀπεσταλμένοι, πρὸς τὴν ὑπερτέραν αὐτῶν καὶ πασῶν τῶν οὐρανίων δυνάμεων εὑροῦσαν χάριν παρ' αὐτοῦ, ἐξ ὕψους οὐρανόθεν πρὸς τὴν ὑψηλοτέραν καὶ εὐρυχωροτέραν τοῦ οὐρανοῦ ἀναδειχθεῖσαν ὑφ' αὐτοῦ, οὐκ ἀπερινόητον θείαν σύλληψιν μηνύσαι στελλόμενοι, ὡς ποτὲ ὁ ἀρχάγγελος Γαβριὴλ, ἀλλὰ πρὸς τὸν συλληφθέντα ἐν αὐτῇ προτρέψασθαι αὐτὴν ἐπὶ τὴν οὐρανίαν βασιλείαν.

1) Luc. 1. 30.

lum qui in ea conceptus est, invitarent.» Usurpat [a]) et Leo Augustus ubi de Virgine scribit: «Vere sola in mulieribus benedicta, quae sola primae parenti eiusque posteris opem tulit: illi quidem, qua duplicem calamitatem, cuius illa sibi ac filiis auctrix fuerat, exsolvit: hos vero, qua a malis quibus obnoxii tenebantur, redemit; nec est passa ut posteri in eadem mala denuo incurrerent, ut nimirum maledictio secundum eum cursum quo humanum depascebatur genus, haud ultra procedat, sed retro actus sit et conversus mali impetus eius praesentia quae benedicta est: ut nec amplius homines inevitabilibus mortis retibus teneantur, sed ea utantur veluti ponte ad vitam. Hoc plane quod in Benedictae hisce solemniis festive recolimus, quam ad sese per mortem advehens Rex et Filius, et suae gloriae participem faciens, supra omnem creaturam ostendit gloriosiorem; ita vicem rependens pro carne ex ea suscepta, qua Patris immutabilis character formam nobis similem induit, more nostro effectus particeps carnis et sanguinis: et pro maternis officiis illi rependens ut proxima atque agendi libertate pollens assistat. Quo fit ut quasi mundo non abscesserit neque procul a nobis abierit, sua mundum praesentia non privaverit; sed ex hac vita egressa communibus perpetuo beneficiis eos prosequatur, quorum ad communem utilitatem in vitam venit. Commoratur nobiscum adhuc inferiora perlustrans; quin magis iam ubique adest animatum cae-

a) Orat. in Deiparae dormit. pagg. 1744. C-E. et 1745. A. apud Combefisium Auctar. Tom. I. Τῷ ὄντι μόνη ἐν γυναιξὶν εὐλογημένη, ἡ μόνη τῇ προμήτορι, καὶ τοῖς ἐξ αὐτῆς βοηθήσασα· τῇ μὲν, οἷς διπλῆν οὖσαν τὴν κατήφειαν, ἑαυτῇ καὶ τοῖς τέκνοις λυμηναμένη, διελύσατο· τοῖς δὲ δι' ὧν τούς τε κατόχους ὄντας τῷ κακῷ, ἀπελυτρώσατο· καὶ τοὺς μετὰ ταῦτα οὐκ εἴασε κατασχεθῆναι τῇ συμφορᾷ· οὐκ ἔτι κεχωρηκυίας ἐπὶ τὸ πρόσθεν τὴν πρώην τὸ πλάσμα κατανεμομένης ἀρᾶς· ἀλλ' εἰς ἀνάῤῥουν στραφέντος τοῦ κακοῦ ῥεύματος ἐπιστάσης τῆς εὐλογημένης· οὐδ' ἔτι κρατουμένων ἀνθρώπων ἐν τοῖς ἀφύκτοις τοῦ θανάτου λίνοις· ἀλλὰ χρωμένων αὐτῷ διαβατηρίῳ πρὸς τὴν ζωήν· τοῦτο δὲ τὸ ἐπὶ τῇ εὐλογημένῃ ἀρτίως πανηγυριζόμενον· ἣν διὰ θανάτου πρὸς ἑαυτὸν διαβιβάζων ὁ βασιλεὺς καὶ υἱὸς τῆς ἰδίας δόξης τῇ μετοχῇ, παρὰ πᾶσαν κτίσιν ἐνδοξοτέραν δεικνύει· ἀντισηκῶν οὕτω τὴν ἐξ αὐτῆς μετοχὴν, ᾗ παραπλησίως ἡμῖν ἐμορφώθη ὁ τοῦ πατρὸς ἀναλλοίωτος χαρακτήρ· σαρκὸς καὶ αἵματος ἡμῖν παραπλησίως μετεσχηκώς· καὶ μητρικῆς θεραπείας, τῇ πρὸς αὐτὸν παῤῥησίᾳ καὶ τῇ ἐγγύτητι ἀντιθεραπεύων· δι' ἣν, ὡς μὴ ῥαγεῖσα κόσμου, μηδ' ἀφ' ἡμῶν μακρυνθεῖσα, οὐκ ἐζημίωσε τὸν κόσμον τῆς ἰδίας ὁμιλίας· ἀλλ' ὧν ἐπ' ὠφελείᾳ κοινῇ τῆς εἰς βίον εἰσόδου μετέλαχε, τούτων, καὶ παροδεύσασα, κοινὴν ἐργάζεται διηνεκῶς τὴν ὠφέλειαν· συνδιατρίβει καὶ ἔτι περινοστοῦσα, τοῖς κάτω· μᾶλλον δὲ νῦν πανταχοῦ φθάνει ὁ ἔμψυχος οὐρανός· ὁμοίως ἅπαντας περιέπουσα, καὶ τῆς εὐεργεσίας ὕουσα τὰς ῥανίδας, καὶ λύουσα τὴν αὐχμηρὰν τῆς ἡμετέρας ζωῆς κατάστασιν, ἣν ἡ φλογώδης ἁμαρτία συνίστησι.

lum, omnes aeque fovens, et guttas beneficentiae stillans, arentemque vitae nostrae statum ex aestuantibus peccati flammis provenientem humectans. »

582. Eidem caeli symbolo inhaeret [a]) Georgius nicomediensis, et orationem in Deiparae conceptum ita auspicatur: « Hodie terra illustrioribus supra caelum gratiae fulgoribus laetam faciem explicat, augustius caelo claritate spiritali splendet, maiori supra mundi caelum decore pollet, quippe natum suscipit sublimius caelum, caelum vere splendidissimum et speciosissimum, quod mundo non occidentem solem sed eum praetendat qui nescit occasum: caelum plane non visibilibus stellis sed spiritalium accensione luminum varium. » Quibus merito adduntur quae orationem absolvens Georgius [b]) habet: « Quippe natalitia haec (Deiparae) humanam praenunciarunt regenerationem. Haec revocationem ab errore et futuram vetustatis instaurationem praesignarunt. Haec ignorationis nostrae infecunditatem in scientiae Dei fructum promovendam ostenderunt. Haec ad ingressum gratiae nobis inter complanarunt. Haec salutis portas praeaperuerunt. Haec reconciliationis iecerunt fundamenta. Haec ad mediationem assumpta sunt. Per ea nunc qui eiusdem generis participes sumus, fiduciam habemus. Per ea congruentiorem recepimus statum. Per editum in lucem thalamum, regalibus nuptiis adscripti sumus. Per caelum illud quod nunc splendidius pariter et capacius productum fuit, caelestem vitae rationem adscivimus et per cognatam benedictionem evangelica potimur iucunditate. » Eidem

a) Orat. in Deiparae concept. et nativit. pag. 1043. A-B. apud Combefisium Auctar. T. I. Οὐρανὸν ἡ γῆ ταῖς τῆς χάριτος μαρμαρυγαῖς ὑπερφαιδρύνεται σήμερον· οὐρανὸν ταῖς νοηταῖς ὑπεραγλαΐζεται λαμπρότησιν· οὐρανὸν ὑπὲρ κόσμιον ὡραΐζεται· τὸν γὰρ ὑπέρτερον οὐρανὸν ἀποτικτόμενον δέχεται, τὸν ὑπέρφωτον ὄντως καὶ εὐρυχωρότατον· τὸν οὐχ ἥλιον δυόμενον, ἀλλὰ τὸν ἄδυτον ἀνίσχοντα τῷ κόσμῳ· τὸν οὐκ ἄστροις ὁρωμένοις, ταῖς νοηταῖς δὲ ποικιλλόμενον δᾳδουχίαις.

b) Ibid. pagg. 1066. E. et 1067. A-B. Τοῦτο γὰρ τὸ γενέθλιον, τὴν ἀναγέννησιν προανεφώνησε· τοῦτο, τὴν ἐκ πλάνης ἀνάκλησιν, καὶ παλαιότητος αὖθις ἀνάπλασιν, προδιεκήρυξε· τοῦτο, τὴν τῆς ἀγνωσίας αὐτῆς ἀγονίαν καὶ ἀκαρπίαν εἰς θεογνωσίας καρποφορίαν ἐπιδοῦναι προεμήνυσε· τοῦτο, τὰς πρὸς τὴν χάριν αὐτῇ ὡδοποίησεν εἰσόδους· τοῦτο, τὰς τῆς σωτηρίας πύλας προανέῳξε· τοῦτο, εἰς καταλλαγὰς προτέθειται· τοῦτο, εἰς μεσιτείαν παρείληπται· διὰ τοῦτο, νῦν οἱ τοῦ γένους παῤῥησιαζόμεθα συμμέτοχοι· διὰ τοῦτο, τῆς οἰκειοτέρας μετειλήφαμεν στάσεως· διὰ τὴν ἀποκυηθεῖσαν παστάδα, ἐν τῷ βασιλικῷ κατελογίσθημεν νυμφῶνι· διὰ τὸν νῦν παραχθέντα λαμπρότερόν τε ὁμοῦ καὶ εὐρυχωρότερον οὐρανὸν, τὴν οὐράνιον ἐπεγραψάμεθα διαγωγήν· διὰ τῆς συγγενοῦς εὐλογίας, τῆς εὐαγγελικῆς ἐναπολαύομεν θυμηδίας.

symbolo inhaeret [a]) Iacobus monachus, et de nativitate Deiparae scribit: « Exsultaverunt *(prophetae atque iusti)* videntes diem tuum, nempe tuum hunc natalitium diem, in quo revelatum fuit incarnationis mysterium, in quo qui ex universo te elegit genere, per te universis creaturis gaudium contulit quod nemo auferre possit. Viderunt te thronum cherubicum, regalem thalamum, supercaeleste caelum, templum sanctissimum, tabernaculum multis nominibus celebre. »

583. Neque dissentit [b]) Germanus quippe qui Deiparae symbola recensens ait: « Vocatur [1]) caelum. De caelo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum. Caelum caeli Domino. » Ubi vero in extollenda Deipara totus [2]) versatur, inter cetera scribit: « Ave sanctus Dei thronus, domus gloriae speciosa, electum vas quod sibi Deus seposuit, totius orbis propitiatorium et caelum enarrans Dei gloriam. » Quibus ista [3]) plane respondent: « Secundum angeli vaticinium [4]), o Virgo, illustris proles ex iustis hominibus Ioachim et Anna in lucem hodie prodiisti. Tu caelum et sedes Dei, omnisque puritatis receptaculum. Tu mundi universi certum exsistis gaudium, tu vitae largitrix, tu maledictionis interemptrix, tu benedictionis conciliatrix. »

584. Conspirant Iohannes euboeensis et Tarasius constantinopolitanus, quorum prior [c]) de Christo ait: « Ipse Dominus fortis et

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1282. C-E. apud Combefisium Auctar. T. I. Ἠγαλλιάσαντο ἰδόντες τὴν ἡμέραν τὴν σὴν, ἡμέραν ταύτην τὴν τῆς γεννήσεως, ἐν ᾗ τὸ τῆς οἰκονομίας ἀπεκαλύφθη μυστήριον· ἐν ᾗ ὁ σὲ τοῦ γένους ἐκλεξάμενος, διὰ σοῦ τὴν ἀναφαίρετον τῆς κτίσεως ᾠκονόμησε χαράν· εἶδόν σε θρόνον χερουβικὸν, παστάδα βασιλικὴν, ὑπερουράνιον οὐρανὸν, ναὸν ὑπεράγιον, σκηνὴν πολυώνυμον.

b) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1315. C. apud Combefisium Auctar. T. I. Καλεῖται οὐρανός· ἐξ οὐρανοῦ ἐπέβλεψεν ὁ κύριος· ἴδε πάντας τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων· ὁ οὐρανὸς τοῦ οὐρανοῦ τῷ κυρίῳ.

c) Orat. in Deiparae concept. et nativit. Αὐτὸς κύριος κραταιὸς καὶ δυνατός· αὐτὸς δυνατὸς ἐν πολέμῳ· αὐτὸς ὁ δημιουργὸς ἐκ τῆς παλαιωθείσης γῆς ἐποίησεν οὐρανὸν καινὸν,

1) Ps. CXIII. 16.

2) Orat. I. in Deiparae praesentat. pag. 53. edit. Maraccii.

3) Ex fragmento IV. quod Maraccius edidit pag. 146. et de quo pag. 254. scribit: « Damus hoc fragmentum ex Petro Canisio lib. I. de Deipara cap. XI., qui illud desumpsit ex explicatione s. Germani super Ps. XLIV. ad illa verba, *audi filia et vide.* »

4) Nativitatem beatae Virginis, inquit Maraccius pag. 254, antequam ipsa beata Virgo nasceretur, per Angelos, Dei iussu fuisse revelatam, patet non solum ex s. Germano heic et supra in Orat. II. de praesent. Virginis, sed etiam ex s. Epiphanio lib. III. de haeresibus, haeresi LXXIX., Hieronymo in historia de ortu Mariae, Andrea cretensi in Encomio I. de dormit. Deiparae, Fulberto carnotensi in Serm. de nativit. Virginis, aliisque fere innumeris. »

potens, ipse potens in bello. Ipse rerum opifex ex terra obsoleta effecit caelum novum, thronumque incombustum, et intemeratum terrenum in caelestem thalamum commutavit. » Tarasii autem [a]) ista sunt verba: « Quo igitur nomine Mariam appellabimus? Num caelum? Et vero caeli terraeque effectorem suo utero conclusit. An solem? Ipsa enim septies sole splendidior enitens iustitiae solem concepit. An lunam? Etenim incomparabili pulcritudine emicans Christum omni pulcritudine decorum peperit. » A quibus ne minimum quidem ista dissident [b]) Theodori studitae assumptam Deiparam extollentis: « Hodie igitur terrenum caelum incorruptibilitatis vestimento circumamictum transfertur ad meliorem aeternamque mansionem. Hodie spiritalis atque a Deo illuminata luna in iustitiae solem incurrens, deficit quidem a praesenti temporali vita, simulque exoriens immortalitatis dignitate illustratur. Hodie ex auro facta et divinitus fabricata sanctitatis arca de terrenis tabernaculis ad supernam Hierusalem commigrat in requiem fine carentem. »

585. Conspirant Proclus et Iohannes damascenus, quorum ille [c]) de Deipara scribit: « Ipsa novae creaturae caelestis globus, in qua sol iustitiae numquam occidens omnem ab omni anima peccatorum noctem fugavit. » Ex Damasceno autem plura eaque insignissima habentur quae afferri possunt. Huc enim ista [d]) faciunt quibus de

καὶ θρόνον ἀπατάφλεκτον, καὶ τὸν παλαιωθέντα χοϊκὸν εἰς οὐράνιον παστάδα μεταβαλών.

a) Orat. in Deiparae ingressum in Templum. *Τί οὖν καλέσομεν τὴν Μαρίαν; οὐρανόν, καὶ γὰρ τὸν οὐρανοῦ καὶ γῆς ποιητὴν ἐν μήτρᾳ ἐχώρησεν· ἥλιον; αὕτη γὰρ τοῦ ἡλίου ἑπταπλασίως φωτεινοτέρα ὑπάρχουσα, τὸν ἥλιον τῆς δικαιοσύνης ὑπεδέξατο· σελήνην; αὕτη γὰρ τὸ κάλλος ἀσύγκριτον ἔχουσα, τὸν ὡραῖον κάλλει Χριστὸν ἀπεκύησε.*

b) Orat. VI. in Deiparae dormit. §. I. pagg. 54-55. apud Mai in nova PP. biblioth. T. V. Par. III. *Σήμερον τοιγαροῦν ὁ ἐπίγειος οὐρανὸς τῷ τῆς ἀφθαρσίας περιβολαίῳ ἑλισσόμενος, ἐξαλλάττεται εἰς διαμονὴν τὴν βελτίονά τε καὶ μακραίωνα. Σήμερον ἡ νοητὴ καὶ θεοφώτιστος σελήνη τῷ τῆς δικαιοσύνης ἡλίῳ συνεισβάλλουσα, ἐκλείπει μὲν τοῦ τῆς παραυτίκα ζωῆς προσκαίρου, ἐν τ' αὐτῷ δὲ ἀνατέλλουσα καταλαμπρύνεται τῷ τῆς ἀθανασίας ἀξιώματι. Σήμερον ἡ χρυσότευκτος καὶ θεοκατασκεύαστος κιβωτὸς τοῦ ἁγιάσματος ἐκ τῶν ἐπιχθονίων σκηνωμάτων ἀπαίρουσα πρὸς τὴν ἄνω Ἱερουσαλὴμ μετακομίζεται εἰς κατάπαυσιν ἀτελεύτητον.*

c) Orat. VI. in Deiparam §. XVII. pag. 646. B. apud Gallandium T. IX. *Αὕτη τῆς καινῆς κτίσεως ἡ οὐράνιος σφαῖρα, ἐν ᾗ ὁ ἀειφανὴς τῆς δικαιοσύνης ἥλιος, πᾶσαν ἀπὸ πάσης ἀπέλασε ψυχῆς τῶν ἁμαρτιῶν τὴν νύκτα.*

d) Orat. III. in Deiparae dormit. §. I. pag. 882. D-E. *Πῶς ὁ ἐκ τῆς περιουσίου περιοπῆς τῆς ἀΰλου καὶ πάντων ἐπέκεινα, τῆς πατρικῆς γαστρὸς ἀνεκφοιτήτως εἰς τὴν παρθε-*

assumpta Deipara ait: « Qui factum est, ut qui ex celsissima et incorporali specula, quae extra omnem aleam est, paterno ex sinu non egressus, in virginalem uterum descendens et assumpta carne conceptus, voluntariaque passione adita morte cum corpore ex terra procreato, incorruptione per corruptionem acquisita, ad Patrem iterum reversus, matrem suam secundum carnem ad genitorem suum attraxerit, et ipsam quae caelum terrestre fuerat, ad caelestem terram sustulerit? » Huc ista [a]) pertinent quibus nativitatem Deiparae exaltat: « Hodie in terra ex terrena natura caelum ille condidit, qui olim ex aquis firmamentum compegerat et in altum extulerat. Et sane caelum istud illo longe divinius est ac stupendum magis. Nam qui solem in illo condidit, ex hoc ipse iustitiae sol oriturus est. » Huc spectat [b]) salutatio qua Deiparam compellans ait: « Ave caelum, habitaculum loco qui mundum ambit nobilius, virtutum fulgoribus uti stellis coruscans: ex quo iustitiae sol, salutis quae numquam occidat, ortus est diem hominibus condens. » Atque huc spectant [c]) quae descripta universitatis rerum creatione, oculisque subiecta tum

νικὴν νηδὺν καταβάς, συλληφθείς τε καὶ σαρκωθεὶς, καὶ διὰ παθῶν ἑκουσίως ὁδεύσας πρὸς θάνατον, καὶ μετὰ σώματος ἐκ γῆς τὴν γέννησιν ἔχοντος, καὶ φθορᾷ κτησάμενος τὸ ἄφθαρτον, πρὸς τὸν πατέρα πάλιν ἀναφοιτήσας, τὴν αὐτοῦ κατὰ σάρκα μητέρα πρὸς τὸν ἑαυτοῦ γεννήτορα ἐπεσπάσατο, οὐρανὸν ἐπίγειον χρηματίσασαν, πρὸς τὴν ἐπουράνιον γῆν μετεωρίσας.

a) Orat. I. in Deiparae nativit. §. III. pagg. 842. E. et 843. A. Σήμερον ἐκ τῆς γηΐνης φύσεως οὐρανὸν κατεσκεύασεν ἐπὶ γῆς, ὁ πάλαι ποτὲ ἐξ ὑδάτων πήξας καὶ πρὸς ὕψος μετεωρίσας τὸ στερέωμα· καὶ ὄντως οὗτος ἐκείνου πολὺ θειότερος καὶ παραδοξότερος· ὁ γὰρ ἐν ἐκείνῳ κατασκευάσας τὸν ἥλιον, ἐκ ταύτης δικαιοσύνης ἀνέτειλε ἥλιος.

b) Orat. II. in Deiparae nativit. §. VII. pag. 854. D. Χαῖρε οὐρανὲ, τὸ τοῦ περικοσμίου χώρου ἐνδιαίτημα τιμιώτερον· ἡ ταῖς τῶν ἀρετῶν λαμπηδόσι κατάστερος, ἐξ ἧς ὁ τῆς δικαιοσύνης ἥλιος ἀνέτειλεν, ἡμέραν ἀδύτου σωτηρίας ἀνθρώποις δημιουργησάμενος.

c) Ibid. §. III. pag. 851. A-D. Διάτοι ταῦτα, ὡς ἐν κεφαλαίῳ φάναι, τῇ φθορᾷ κατεσχημένων ἁπάντων, καὶ θεοῦ κατοικτιζομένου μὴ εἰς παντελῆ ἀνυπαρξίαν χωρῆσαι τὸ τῶν οἰκείων χειρῶν πλάσμα, ἄλλου καινοῦ οὐρανοῦ, γῆς τε καὶ θαλάσσης ποίημα, ἐν οἷς χωρηθῆναι εὐδόκει δι' ἀνάπλασιν τοῦ γένους ὁ ἀχώρητος· καὶ ταῦτα ἐστὶν ἡ μακαρία καὶ πολυΰμνητος παρθένος· ὢ τοῦ θαύματος· οὐρανὸς μὲν ὡς ἐκ τῶν ἀδύτων θησαυρῶν, τὸν τῆς δικαιοσύνης ἥλιον ἀνίσχουσα· γῆ δὲ, ὡς ἐκ τῶν ἀχράντων λαγόνων τῆς ἀφθαρσίας τὸν σταχὺν τῆς ζωῆς βλαστήσασα· θάλασσα, ὡς ἐκ τῶν κοιλιακῶν κόλπων, τὸν νοητὸν μαργαρίτην προφέρουσα· ἤδη τοιγαροῦν παρήχθη ἡ νεοφανὴς κτίσις τοῦ ἀχωρήτου· ηὐτρεπίσθη ἡ βασίλειος αὐλὴ τοῦ παμβασιλέως· ἡτοιμάσθη τὸ λογικὸν καταγώγιον τοῦ ἀκαταλήπτου· ὡς μεγαλοπρεπὴς ὅδε ὁ κόσμος· ὡς ἀξιάγαστος ἡ δημιουργία, φυτοῖς ἀρετῶν ὡραΐζουσα, ἄνθεσιν ἁγνείας εὐωδιάζουσα, θεωριῶν ἀγλαΐζουσα, πᾶσαν ἄλλοις ἀμφιλαφέσιν ἀγαθοῖς ἀνενδεῶς ἔχουσα· ἀξία, τὸ δὴ λεγόμενον, τοῦ θεοῦ πρὸς ἀνθρώπους ἐνοικήσεως.

protoparentum felicitate tum eorumdem ruina, his verbis complectitur: « Cunctis itaque, ut verbo expediam, interitioni deditis, miserante Deo ne quem suis ipse manibus formasset, in nihilum cederet penitusque abderetur, caelum aliud novum, terramque ac mare fabricat, in quibus propensiori consilio humanum genus reformaturus ipse caperetur, qui capi nusquam potest. Isthaec porro est beata multipliciterque celebranda Virgo. O rem miram! Caelum quidem est, quum ex penitissimis veluti thesauris solem iustitiae proferat: terra vero, ceu quae ex intemeratis lumbis vitae spicam edat: mare tandem, utpote quae ex uteri sui sinu spiritalem margaritam promit. Nunc itaque nova eius qui capi nequit, creatura eluxit: universorum Regis regalis aula parata est: et eius qui incomprehensibilis est, rationale diversorium instructum. Quam mundus iste magnificus est! Quam stupenda creatio, quae ex virtutum plantis venustatem habet, castitatis odore fragrat, contemplationum splendoribus claret, cunctisque bonis aliis nulla penuria fruitur; digna denique prorsus est, in qua Deus ad homines veniens inhabitet. »

586. His autem e re esse arbitror nonnulla postremo loco subiungere, quae in ecclesiasticis libris non infrequentia recurrunt. Itaque in Psalterio quod tribui [1]) Anselmo solet legimus:

» Ave quam laudant spiritus
» Cui virtus omnis concinit,
» De cuius caelo Dominus
» Nube carnis innotuit.

Et [2]) rursum:

» Caelum caeli, domus Dei,
» Vas misericordiae:
» Pronum vero tibi constat
» Et omnino facile
» Ad quoscumque velis usus
» Angelos transmittere;
» Quod exempla multa probant,
» Quae longum est ponere.

Insigniora vero sunt quae Graeci in suis officiis frequentant. Etenim [a]) praeeunte Theophane canunt: « Qui voluntate caelum extendit, hic alterum te caelum super terram demonstravit, o Deipara illibata, atque ex te his apparuit qui in tenebris sedent. » Neque aliter canunt [b]) praeeunte Iohanne damasceno: « Qui Virginem cae-

a) Men. die IV. Ianuarii Ode ζ'. pag. 35. col. 2. C. *Οὐρανὸν ὁ τανύσας βουλήματι, ἄλλον ἐπὶ γῆς οὐρανόν σε ἀνέδειξε, Θεογεννῆτορ ἄχραντε, καὶ ἐκ σοῦ τοῖς ἐν σκότει ἐπέφανεν.*

b) Men. die XV. Ianuarii Ode ζ'. pag. 122. col. 2. C. *Ὁ οὐρανὸν ποιήσας τὴν παρθένον, καὶ ἐξ αὐτῆς ὡς ἥλιος ἐκλάμψας, εὐλογητὸς εἶ κύριε.*

1) Psalt. Dominae nostrae pag. 364. col. 1. C.

2) Ibid. pag. 307. 2. D.

lum effecisti, atque ex ea tamquam sol emicasti, benedictus es Domine. » Eodemque modo canunt [a]) praeeunte Theodoro: « Vere tu apparuisti caelum super terram, maius supremo polo, o innupta Virgo; ex te siquidem ortus est sol in mundo, iustitiae dominator. »

587. Sed omnium omnino disertissimus est Iosephus. Illius namque [b]) ista sunt: « Exsultat hodie terra, novum enim vidit Dei caelum iucundissimum natum; in quo secundum carnem inhabitans supra caelos attollet homines, suaque omnes bonitate deificabit. » Illi [c]) ista debemus: « Tamquam caelis latior excepisti, o Virgo, in utero tuo Verbum quod nulla re capi potest, et quod redimit ab omni angustia genus humanum.

Caelum visa es, o Dei parens, ex quo ortus est nobis sol iustitiae, qui illuminat nos luce cognitionis, o Dei genitrix innocens. » Ex eiusdem vena fluxerunt [d]) quae subdimus: « Caelum sublime omnium regis Dei facta es, o undequaque immaculata, purumque illius palatium et thalamus divina gratia coruscans. » Ex eadem [e]) Iosephi vena ista quoque haurimus: « Tamquam aliud caelum priori sublimius factam te, Domina, glorificamus, quae nobis solem iustitiae protulisti, profundasque ignorantiae tenebras depulisti. » Neque aliunde quam ex Iosephi fonte [f]) ista derivamus: « Gaude tu quae

a) Ex vet. officio quadrages. pro sabbato carnisprivii Ode α'. pag. 5. apud Angelum Mariam Quirioium in op. inscripto: *Orthodoxa veteris Graeciae Officia*. Ὄντως σὺ ἐφάνης οὐρανὸς ἐπὶ τῆς γῆς μειζότερος τοῦ ἀνωτάτου πόλου, ἀνύμφευτε παρθένε· ἐκ σοῦ γὰρ ἀνέτειλεν ἥλιος ἐν τῷ κόσμῳ, ὁ δεσπόζων τῆς δικαιοσύνης.

b) Men. die VII. Septembris Odo θ'. pag. 53. col. 2. B. Σήμερον ἡ γῆ χορεύει, τὸν νέον γὰρ οὐρανὸν ἔβλεψε θεοῦ τὸν τερπνότατον ἀποτεχθέντα· ἐν ᾧ οἰκήσας σαρκὶ, τῶν οὐρανῶν ἐπέκεινα ἀναβιβάσει βροτοὺς, καὶ θεώσει πάντας ἀγαθότητι.

c) Men. die XXVI. Maii Ode ζ'. pag. 102. col. 2. C-D. Ὡς πλατυτέρα οὖσα τῶν οὐρανῶν ἐν μήτρᾳ ἐδέξω τὸν ἀχώρητον, παρθένε, λυτρούμενον στενοχωρίας πάσης τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων.

Ode η'. pag. 102. col. 2. E. Ὤφθης οὐρανὸς θεοκυῆτορ ἐξανατέλλουσα ἡμῖν τὸν τῆς δικαιοσύνης ἥλιον φωτίζοντα ἡμᾶς φωτὶ ἐπιγνώσεως, θεογεννῆτορ ἁγνή.

d) Men. die XXVII. Iunii Odo ς'. pag. 104. col. 2. D. Οὐρανὸς ὑψηλὸς ἐχρημάτισας τοῦ παμβασιλέως θεοῦ, παναμώμητε, καὶ καθαρὸν παλάτιον, καὶ παστὰς φωτεινὴ θείᾳ χάριτι.

e) Men. die X. Novembris Ode ς'. pag. 71. col. 1. E. Ὡς ἄλλον οὐρανὸν τοῦ πρώην, δέσποινα, δειχθεῖσαν ὑψηλότερον, σὲ δοξάζομεν τὸν ἥλιον ἡμῖν τῆς δικαιοσύνης ἀνατείλασαν, καὶ τὸ βαθὺ τῆς ἀγνωσίας σκότος διώξασαν.

f) Men. die XXIX. Novembris Ode ζ'. pag. 217. col. 1. C. Χαῖρε ἡ μόνη χαρὰν ἀνθρώποις κυήσασα· χαῖρε οὐρανὲ καὶ θρόνε Χερουβικὲ, καὶ περίδοξον παλάτιον τοῦ βασιλεύοντος τῶν αἰώνων, πανάμωμε δέσποινα.

sola hominibus gaudium peperisti: gaude caelum et throne cherubice et gloriosissimum palatium Regis seculorum, o Domina ab omni macula immunis. » Quae sane omnia efficiunt, ad communem receptamque fidem ea censeri expressa oportere quae [1]) in anaphora habentur Dioscori alexandrini, ubi post apostolos, evangelistas, martyres, Iohannem baptistam et Stephanum commemoratio celebratur « Illius etiam, quae est decus istorum, et ab ipsis honoratur et celebratur, quaeque excelsior superiorque cunctis ordinibus caelestibus a tota Ecclesia caelum secundum nominatur, virginis genitricis Dei Mariae. »

588. Haec itaque prae ceteris indubitata sunt: initio quidem propriam esse Virginis laudem ut ea sit dicaturque *caelum, caelum enarrans gloriam Dei, caelum alterum atque secundum, caelum novum, caelum novum ex terra obsoleta, terrestre caelum et caelum caeli:* deinde vero propriam esse Virginis laudem ut ea credatur *caelum supercaeleste, et caelum nostro hoc visibili atque conspicuo tum celsius atque sublimius, tum maius atque divinius.* At si Deipara non secus a reliquo hominum genere secernitur ac caelum a terra seiungatur; erunt ne qui illam [2]) lato in terram maledicto obnoxiam arbitrentur? Erunt ne qui putent eam fuisse universali praevaricatione obligatam, quae *ex auro effecta et divinitus fabricata fuit? Quae fuit quidem terra propter naturam, sed caelum propter gratiam? Quae tamquam caelestis globus novae creaturae apparuit? Quam Deus ostendit uti novam creaturam stupendamque creationem? Quae in suo conceptu speciosissima enituit et omnigenis virtutum splendoribus refulsit? Qua praesente, originalis mali impetus compressus fuit? Quae non aliter exstitit ac ut initium gaudii, reconciliationis et gratiae? Quamque Deus unice selegit ut in ipsa dignum Verbo habitaculum praeberet?* Scilicet tam caeli symbolum, quam eiusdem apud maiores commentarii eo spectant, ut Deipara ab universa Adami posteritate seiungatur, ut summa illius puritas demonstretur, et omnis vel tenuissima culpae umbra ab ea procul arceatur. Scilicet accommodatissime ad maiorum traditionem [3]) Isidorus thes-

1) Apud Assemanum in Cod. liturg. Ecclesiae universae, Lib. IV. Part. IV. pagg. 206-207.

2) « Per caelum, *scribit Bernardinus de Bustis in altero sermone de Conceptione*, intelligi potest anima Virginis, quam Deus Pater simul cum Filio et Spiritu sancto absque ulla corruptione aut macula fabricavit. »

3) Orat. I. de Deiparae nativit. pagg. 10-11. edit. Maraccii. Porro Orat. III. de Deiparae annunciat. pag. 66. Isidorus addit: « Ipsa enim fuit caelum caeli, sors uni Domino congruens »

salonicensis scripsit. « Ego vero quoniam terra olim male se habebat, et tota repleta erat agitatione et insania et peccato veluti quassata, nec poterat ex sese progignere aliquod pharmacum quo malum elueretur et morbus depelleretur; e caelo uno dixerim fuisse remedium adhibendum, et salutare aliquid laboranti porrigendum. Qui igitur commotionem illam sedavit, et ingratum morbi foetorem depulit, hic plane fuerit illustris medicus, nempe Virgo, et caelestis omnino vocandus. Mihi enim davidicum quoque illud huc spectare videtur: *terra mota est, etenim caeli distillaverunt*. Usum vero arbitror Prophetam voce illa, *distillaverunt*, ut ostenderet e caelis non ut olim apertis effusos esse nimios imbres mortem afferentes, ut arca etiam indigerent homines ad servanda generis semina; sed moderate. Quomodo id exprimas? Caelis veluti percolatum florem gratissimi odoris, suavissimum hoc unguentum, Virginem hominibus effluxisse. Et si certum est, Deum nos benigno per ipsam respexisse oculo, certe illud etiam de ipsa dictum fuit: *de caelo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum de praeparato habitaculo suo*. Si praeterea templum Dei est ac sedes, omnino necessarium quoque est et indubitatum de illa esse dictum: *Dominus in templo sancto suo, Dominus in caelo sedes eius*. Quapropter [1]) caelum et caelorum foetum si quis Virginem appellet, ille, mea sententia, non errabit. »

1) « Sine numero fere sunt patres praesertim graeci, inquit in subiecta adnotatione pagg. 159-162. Maraccjus, qui Deiparam virginem Mariam *caeli* nomina nuncuparunt; ut s. Gregorius thaumaturgus Serm. III. de Annunc. *Maria virgo alterum in terra caelum*; ut s. Methodius Tyri et martyr in Homil. de Purificat. b. Virginis: *vere regina, quae vere capax caelum, ad Deum qui nusquam alioquin capi potest, recipiendum facta*; ut s. Athanasius archiepiscopus alexandrinus Serm. in descript. ss. Mariae: *non coinquinatum fuit illud caelum secundum, nempe Maria*; ut s. Epiphanius in Serm. de laudib. Virginis: *Anna gravida effecta caelum peperit, sanctam puellam Mariam. Illa enim reperitur esse caelum*. Ut s. Ioh. Chrysostomus Orat. in Hypapantem Domini: *ave igitur mater, caelum, puella*. Ut s. Proclus Orat. I. quae est de laudibus Virginis: *ancilla et mater, Virgo et caelum*. Ut s. Andreas cretensis Orat. in Salut. angel. *ave gratiosa, Dominus tecum: salve caelum, solis gloriae caeleste tabernaculum*. Ut Hesychius hierosolimit. Orat. II. de laudibus Virginis: *surge Domine in requiem tuam tu et arca sanctificationis tuae; quia enim sol exstitit, necessario Virgo vocabitur caelum*. Ut s. Sabbas in Menaeis Graecorum apud Simonem Wagnereck in pietate mariana Graecorum n. 61: *quosnam tibi titulos dabimus, o gratia plena? Nempe vocabimus caelum, quia ex te sol iustitiae ortus est*. Ut s. Cosmas hierosolymit. in iisdem Menaeis die XV. Augusti Ode IV, *videte, o gentes, et obstupescite, caelum istud terrestre, nempe Deipara, in terra caelesti quae nulli est corruptioni obnoxia, collocatur*. Ut s. Germanus Orat. I. de Assumpt. Virginis: *Dei capax caelum visa es, o Maria, eo quod illum sinu tuo capaci gestasti*. Ut s. Ioh. damascenus Orat. II. de Assumptione: *Hodierna die Virgo illa immaculata, quae vere vivum caelum exstiterat, in caelestia tabernacula introducitur*. Ut Iohannes euboeus Orat. in concept. Deiparae: *revera beati terque beati, o Ioachim et Anna, sed cunctis beatior progenies filiaque David ex lumbis uteroque vestro progredienda* (sic): *nam vos terra estis, illa vero caelum*. Ut s. Theodorus novus confessor in Orat. de nativit. Virginis: *ave caelum, regionis mundum ambientis altissima pars, stellata splendoribus, ex qua ortus est iustitiae sol ferens hominibus salutis diem vespere expertem*. Ut Photius Orat. in nativit. Mariae: *oportebat ut quae te virtutum modis, veluti stellis, caelum effecisset, iustitiae solem praetendens fidelibus universis agnosceretur*. Ut s. Iosephus confessor

ARTICULUS IV.

De ratione deprompti e symbolis argumenti: eiusmodi ea sit explicatur: et quam apte conducat, ad praerogativam immaculati conceptus stabiliendam ostenditur.

589. Ut vis propria atque ratio instituti hucusque argumenti et a nobis pro facultate expoliti rite teneatur, necesse omnino est ne ex animo umquam excidat hinc quidem quid nobis propositum sit confirmare, inde vero modus quo idipsum in praesentia confirmatum volumus. Duo itaque nobis confirmanda proposuimus, et initio quidem universalem infinitamque *thesim* de eximia ac plane singulari Deiparae puritate atque innocentia: tum vero singularem definitamque *hypothesim* de hac eadem puritate atque innocentia, quae ipsum etiam Virginis conceptum honestarit, illumque a communi propagatae humanitatis lege secreverit. Quidquid igitur ad alterutrum caput stabiliendum probe conducit, id cum nostra tractatione consertum est et omnino dignissimum quod a nobis suo in lumine collocetur.

590. Nihilominus quosdam veluti limites in praesentia nobis constituimus, neque aliunde sive thesim sive hypothesim probandam esse declaravimus, quam ex typis symbolisque suffragatione maiorum ad Deiparam traductis deque Deipara opportune explanatis. Inspiciatur igitur oportet, an intra signatos limites nosmet continuerimus, et quod multo est gravius, an collecta hosce intra limites probatio rem conficiat, et qua illam firmitate quave evidentia conficiat. Atqui corûm omnium quae praecedunt lectio palam ostendit obtemperasse nos legi, quam nobismetipsis indiximus, et nefas censuisse praeter signatos limites evagari. Quidquid enim attulimus, quidquid descripsimus, et quidquid intersertis animadversionibus adornavimus, ad Deiparae symbola vel ad illorum commentarios

in Menaeis Graecorum die XIV. Augusti Ode IV: *domus illa, nempe Virgo, qua comprehenditur omnia comprehendens, iam modo ad caelos transitum facit ut illos inhabitet, ipsa quoque caelum existens.* Ut Leo imperator cognomento Sapiens Orat. in assumpt. Deiparae: *et magis iam ubique adest animatum illud caelum, nempe Maria, omnium similiter curam gerens.* Ut Iohannes geometra hymno II. ad b. Virginem:
» Salve caelum homines lustrans, solisque reducens
» Qui carnem ex te habuit, lumina conspicua.

Ut Iacobus monachus Orat. in nativit. Deiparae: *quam mundo laetissima luce collustratum est caelum, glorioso illo et capaciori adveniente caelo, nempe Maria.*»

manifestissime pertinet. Inquirendum igitur superest, eiusmodi sit nec ne adhibita a nobis probatio quae merito legitima habeatur, quaeque thesim atque hypothesim sic evincat ut omnem elabendi rimam praecludat.

591. Ecquidnam vero efflagitari iure potest, ut suis expleta numeris probatio videatur? Nimirum I. ne quid allatum fuerit non genuinum, non sincerum, non authenticum: II. ne quid fuerit praeposteris interpretationibus a germana significatione detortum: et III. ne quid fuerit ex testimoniis prolatis ac rite intellectis derivatum, quod illa non exhibeant, non praeferant, verbisque sive disertis sive significandi potestate aequipollentibus non complectantur. Si enim haec tria fuerint, uti decet, sancte custodita, probatio quae inde efflorescit, legitima est ac penitus decretoria.

592 Sinant modo qui haec nostra legunt, ut ab iis confidenter expostulem quid tandem censeant, quidve de servata a nobis ratione arbitrentur. Putant ne nullis nos partibus defuisse? Putant ne omnia esse sincera quae prompsimus, omnia authentica, non depravata commentariis, neque latius extensa, quam ipsa ex sese ferrent? Licet animum in omnes partes converterim et singula quam diligentissime excusserim, nonnisi duo comperi quae contra obiici utcumque posse viderentur: tum non pauca a nobis relata legi quae cum immaculato Virginis conceptu vix aut ne vix quidem cohaerent: tum non eiusmodi esse singula quae aut praerogativam summae puritatis, aut dotem intaminati conceptus adscribendam Virgini esse patefaciant.

593. Praeclare, sed ut ex ordine respondeam, secum, quaeso, reputent qui ita opinantur, quaestionem de immaculato Virginis conceptu habendam esse veluti hypothesim subiectam thesi universali de omnimoda et prorsus singulari eiusdem puritate: haec enim si semel praestituta fuerit, nulla prorsus de immaculato conceptu reliqua esse poterit dubitatio. Iamvero quae sic comparata sunt, ea duobus omnino modis stabiliri queunt, aut *immediate*, adductisque textibus quae ipsam *in se* hypothesim respiciunt, aut *mediate* allegatisque testimoniis quae quum ad thesim proprie spectent, ad hypothesim nonnisi *in thesi atque in principio* consideratam referuntur. Quare iure nostro a lectoribus exigimus ut sedulo accurateque animadvertant, an quidquam ex symbolis illorumque commentariis a nobis laudatum invenerint, quod ad alterutrum caput non opportune revocetur. Pro certo namque habemus fore ut nihil

quod eiusmodi sit, in eorum oculos offendat. Dilabitur ergo et sua sponte evanescit oborta inde suspicio, quod non pauca retulerimus, quae cum hypothesi de immaculato conceptu non apparent *immediate* conserta.

594. Progredior ad alteram exceptionem, atque ultro concedo talia non esse singula testimonia, quibus sive thesis sive hypothesis adprobetur. Sed I. non desunt singularia testimonia, quemadmodum superiora recolentibus liquidum erit, quibus modo thesis, modo hypothesis, modo utraque continetur. Neque II. desunt singularia symbola, singularesque eorumdem commentarii, quibus hypothesis de immaculato conceptu [1]) perspicue effertur. Quamquam III. quis nisi cum rerum naturis adversa fronte pugnans flagitet, ut desumpta ex testibus atque ex testimoniis probatio ex singulis testibus singulisque testimoniis plena atque absoluta dimanet? Quod licet non iniuria expetere, huc redit: ut nullus adhibeatur testis qui de quaestione taceat, nullumque adhibeatur testimonium quod ad quaestionis solutionem non conspiret: deinde vero ut ex summa testium testimoniorumque complexione quaestio ipsa plane evidenterque enodetur. Sed quem testem adhibuimus, quodve retulimus testimonium a thesi vel ab hypothesi alienum? Immo quem testem adhibuimus qui thesi aut hypothesi aliquo tandem modo non patrocinetur? Et quod retulimus testimonium quo thesis vel hypothesis quadamtenus non sustentetur? Singula igitur ad rem faciunt, neque ut manca minusve idonea reprehendi possunt, nisi ex singulis exquiratur quod ex conflata omnium summa prodire debet.

595. Verum ea ne saltem est summa, quae thesim, idest, maximam Deiparae puritatem, quaeque hypothesim, idest, immaculatum eiusdem conceptum extra omnem dubitationis aleam collocet? Nihil ut respondeam accommodatius succurrit, quam rationes ita subducere. Quemadmodum non potest summa ac maxima ea puritas non videri, quae symbolis omnino omnibus puritatem significantibus fuerit adumbrata; ita nequit immaculatus non censeri illius creatu-

1) Eiusmodi sane est symbolum *ex ligno vitae*, eo etiam nomine plurimi faciendum quod Christo inprimis conveniat. Hinc Theophanes in Men. die III. Ianuarii Ode θ'. pag. 28. col. 2. C. canit: Ὥριμον δρέπομαι ζωὴν μὴ βλαπτόμενος τῷ ξύλῳ τῆς γνώσεως· σὺ γάρ, πανάμωμε, ζωῆς τὸ ξύλον Χριστὸν ἐξήνθησας, τὸν τὰς εἰσόδους τῆς ζωῆς τοῖς πᾶσι γνωρίσαντα· διό σε, πανάγνε, Θεοτόκον οἱ πιστοὶ καταγγέλλομεν. *Maturam mihi decerpo vitam non laesus ligno scientiae. Tu enim, immaculatissima, Christum vitae lignum protulisti, qui vias vitae omnibus ostendit: propterea te, o innocentissima, quotquot sumus fideles Deiparam celebramus.*

rae conceptus, quae summa ac maxima puritate refulserit, quaeque fuerit praesignata typis qui originalem praevaricationem excludunt. Atqui I. nullum est symbolum cum puritate coniunctum, quod maiores nostri ad Virginem non retulerint, et quo non multo puriorem sanctioremque Virginem esse confirmaverint. Virgo namque [1]) illis est *arca sanctificationis, templum Dei sanctum, tabernaculum, altare, mensa, sancta sanctorum, propitiatorium, oraculum, candelabrum, thuribulum, victima immaculata, nubes lucis, scala Iacob, terra sancta, arca Noe, mons sanctus, Sion sancta, vas novum totumque ex auro:* neque istud solum Virgo illis est, sed hoc totum quantum est puritate atque innocentiae longissime superat. Ergo ex maiorum fide atque doctrina quaevis creata puritas et innocentia primas defert puritati atque innocentiae Deiparae, cuius nitor est summus, pulcritudo vero tanta ut cogitationem omnem praetergrediatur.

1) Huc ista pertinent ex Theodoro studita Orat. VI. in dormit. Deiparae n. 4. pag. 59. apud Mai in nova PP. biblioth. T. V. P. III. Χαίροις κλίμαξ ἐστηριγμένη ἀπὸ γῆς εἰς οὐρανὸν, δι' ἧς ἡ καθ' ἡμᾶς κάθοδος, καὶ ἡ εἰς οὐρανοὺς ἄνοδος γέγονε τοῦ κυρίου, κατὰ τὸν μέγαν πατριάρχην Ἰακώβ. Χαίροις βάτε παραδοξοειδέστατε, ἐξ ἧς ἐπεφάνη ἄγγελος κυρίου ἐν φλογὶ πυρὸς, ὅνπερ κατάκαιον τὸ πῦρ οὐ κατέκαιεν, κατὰ Μωϋσέα τὸν θεοπτικώτατον. Χαίροις ὁ θεόδεκτος πόκος, ἐξ οὗ ἀπεῤῥύη ὁ οὐράνιος δρόσος πλήρης λεκάνη ὕδατος, κατὰ Γεδεὼν τὸν θαυμασιώτατον. Χαίροις πόλις τοῦ βασιλέως τοῦ μεγάλου, ἣν οἱ βασιλεῖς θαυμάζοντες μεγαλύνουσι, κατὰ Δαβὶδ τὸν ᾀσματογράφον. Χαίροις ἡ νοητὴ Βηθλεέμ, ὁ οἶκος τοῦ Ἐφραθᾶ, ἐξ οὗ ἐξελήλυθεν ὁ βασιλεὺς τῆς δόξης τοῦ εἶναι εἰς ἄρχοντα ἐν τῷ Ἰσραὴλ, οὗ αἱ ἔξοδοι ἀπ' ἀρχῆς ἐξ ἡμερῶν αἰῶνος, κατὰ Μιχαίαν τὸν θειότατον. Χαίροις τὸ κατάσκιον παρθενικὸν ὄρος ἐξ οὗ ὁ ἅγιος τοῦ Ἰσραὴλ ἐπεφάνη, κατὰ Ἀμβακοὺμ τὸν θεοβόητον. Χαίροις λυχνία χρυσοειδέστατε καὶ φωτοφόρε, ἐξ ἧς περιέλαμψε τοῖς ἐν σκότει καὶ σκιᾷ θανάτου καθημένοις τὸ ἀπρόσιτον φῶς τῆς θεότητος, κατὰ Ζαχαρίαν τὸν θεσπέσιον. Χαίροις τὸ παγκόσμιον ἱλαστήριον τῶν βροτῶν, δι' οὗ ἀπὸ ἀνατολῶν ἡλίου καὶ ἕως δυσμῶν τὸ ὄνομα κυρίου δεδόξασται ἐν τοῖς ἔθνεσι, καὶ ἐν παντὶ τόπῳ θυμίαμα τῷ ὀνόματι αὐτοῦ προσάγεται, κατὰ Μαλαχίαν τὸν ἁγιώτατον. Χαίροις κούφη νεφέλη, ἐν ᾗ κύριος κεκάθηκε, κατὰ Ἡσαΐαν τὸν ἱεροφωνότατον. Χαίροις ἱερὰ βίβλος τῶν προσταγμάτων κυρίου, καὶ ὁ νεοχάρακτος νόμος τῆς χάριτος, δι' ἧς τὰ ἀρεστὰ θεῷ, ἡμῖν γνωστά ἐστι, κατὰ Ἱερεμίαν τὸν πολυθρηνότατον. Χαίροις πύλη κεκλεισμένη, δι' ἧς κύριος ὁ θεὸς τοῦ Ἰσραὴλ εἰσελήλυθεν καὶ ἐξελήλυθεν, κατὰ Ἰεζεκιὴλ τὸν θεοπτικώτατον. Χαίροις τὸ ἀλάξευτον χειροϋψηλότατον ὄρος ἐξ οὗ ὁ ἀκρογωνιαῖος ἀποτέτμηται λίθος, κατὰ Δανιὴλ τὸν θεολογικώτατον. *Ave scala a terra in caelum protensa, per quam Domini ad nos descensus et in caelum reditus fuit, ut Iacob patriarcha vidit. Ave rube mirabilissime, ex quo angelus Domini apparuit in ignis flamma, quem ardens ignis non amburebat, sicuti summa Dei spectatori Moysi ostensum est. Ave Deo gravidum vellus, ex quo caelestis ros defluxit, imma plenus aqua catillus, quod admirabili contigit Gedeoni. Ave civitas regis magni, quam admirabundi reges magnificant, ut hymnographus David delineat. Ave intellectualis Bethleem, domus Ephratha, ex qua egressus est Rex gloriae, ut fieret princeps in Israele, cuius exitus ab initio dierum seculi, ut ait divus Michaeas. Salve umbrose mons virginee, ex quo sanctus Israelis apparuit, ut Habacucus divinitus instinctus clamat. Ave lucerna auro splendens lucifera, ex qua sedentibus in tenebris et in umbra mortis effulsit inaccessa deitatis lux, secundum divinitus afflatum Zachariam. Ave universale mortalium propitiatorium, per quod ab ortu solis usque ad occasum nomen Domini glorificatur in gentibus, et in omni loco thurificatio nomini eius affertur, sicut ait sanctissimus Malachias. Ave levis nebula, in qua Dominus resedit, ut est apud sacra magnaque voce praeditum Isaiam. Ave sacer mandatorum Domini liber, noviter scripta gratiae lex, per quam Deo placita nobis innotescunt, prout luctuosissimus ait Hieremias. Ave ianua clausa, per quam Deus Israelis ingressus est et egressus, sicut summus Dei speculator Ezechiel scribit. Ave nulla manu laborate mons celsissime, ex quo angularis abscissus fuit lapis, sicut ait summus theologus Daniel.*

Porro II. fieri ne potest, ut cum hac summae puritatis atque innocentiae forma originale peccatum, originalesque sordes componantur? fieri profecto non potest, atque idcirco patres scriptoresque ecclesiastici iis symbolis quibus summam Deiparae puritatem adumbrarunt, immaculatum quoque eiusdem conceptum significasse dicendi sunt.

Praesertim quum III. symbola adiecerint ad Deiparam depingendam, quae non minus a peccato dissident quam a Christo Belial abhorreat. Ecquid enim a peccato remotius aut quid ab omni culpae umbra seiunctius *quam paradisus, quam terra primigenia, quam lignum vitae, quam caelum et caelum caeli?* Atqui haec ipsa sunt symbola quibus patres utuntur, quaeque patres explanant ut praeceptam animo fidem de innocentia numquam violata Deiparae patefaciant. Quare nihil satius esse duco quam [1]) Anselmi verbis absolvere: « O sancta, o benedicta, in necessitatibus nostris adesse digneris nostrum consilium et auxilium, quae omnibus es promptior, potentior, efficacior, amabilior, gratiosior et dulcior. Dulcis es in ore te laudantium, in corde te diligentium, in memoria te deprecantium. Magnifica es in omni sexu, in omni aetate, in omni conditione, in tribubus, populis et linguis. Tu es luna in medio firmamenti: candelabrum in medio mundi: lignum vitae in medio paradisi: tu es myrrha electa: piscina in Esebon: virgula fumi ex aromatibus: fasciculus myrrhae et thuris inter ubera sponsi: terebinthus extendens ramos gratiae et salutis: inter benedictas superbenedicta es, superelecta es, superspeciosa, supergratiosa, supergloriosa, mater illius qui gratiam et gloriam et honorem et aeternitatem praestat. »

1) Orat. LIII. ad sanctam virginem Mariam pag. 283. col. 1. A-B







